UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn


Compendium Sacrorvm Ritvvm Et Caeremoniarvm

Vinitor, Gerlacus

Coloniae Agrippinae, 1656

urn:nbn:de:hbz:466:1-9459

Visual Library



Th. 2237.

G° II
2

Ex Legato Celmi Principis Ferdinan
di Epi Paderb: et Monasterr:
Anno 1683.

COMPENDIUM

SACRORVM RITVVM

ET CÆREMONIARUM

QUÆ IN MISSIS QUA PRIVATIS, QVA SOLENNIBUS, NEC NON PONTIFICALIBUS, ET quibuſcunque alijs Eccleſiaſticis functionibus, ex Rubricarum Miſſalis Romani, Cæremonialis Epiſcoporum præſcripto, BARTHOLOMÆI GAVANTI, aliorumque probatiſſimorum Auctorum expoſitione ſeruari debent.

OMNIBVS CVIVSCVMQVE ORDINIS ET gradus Eccleſiaſticis perſonis non minùs vtile quàm neceſſarium.

Editio ſecunda auctior & correctior.

Operâ & ſtudio

R. D. GERLACI VINITORIS
Baſilicæ S. Vrſulæ Colonienſis Vicarij.

Collegij Soc. Jesu Paderb.

COLONIÆ AGRIPPINÆ,
Apud JOANNEM ANTONIUM
KINCHIUM ſub Monocerote.
Permiſſu, & cum approbatione R.mi D. Cenſoris Ordinarij.

ANNO M. DC. LVI.
Cum Priuilegio S. C. M.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN



Perillustris Reu.mo Domino D.
Georgio Paulo Strauio Ep.o
Ieppensis Suffraganeo Colonien.sis

PERILLVSTRI
ET
REVERENDISSIMO DOMINO
D. GEORGIO PAVLO STRAVIO
EPISCOPO IOPPENSI,

SERENISSIMI AC REVERENDISSIMI PRINCIPIS ac Domini D. MAXIMILIANI HENRICI *Archiepiscopi ac Principis Electoris Colonienſis &c. Vtriuſque Bauariæ Ducis &c. per Ciuitatem & Archidiœceſin Colonienſem Suffraganeo & Vicario in Spiritualibus Generali, Metropoliranæ atque S. Vrſulæ Eccleſiarum Colonienſium Canonico &c. Domino ac Patrono meo colendiſſimo.*

CVm nihil æque Eccleſiæ Catholicæ, toto terrarum orbe diffuſæ, vno ſub capite à Chriſto Domino noſtro inſtitutæ, vno Baptiſmate initiatæ, vnâ in fide à ſpiritu ſancto inſtructæ, dignitatem & vnitatem commendet; quàm eorum omnium, quæ ad debitum Dei colendi, ſacraque myſteria ſanctè tra-

ctandi

ctandi & dispensandi, atque Ecclesiastica muni iuxta gradus, ordinis, ac ministerij qualitatem, recte & conuenienter obeundi ritum, spectant, omni moda conformitas & consensus: non immerito Tridentinum Concilium, eò maiorem horum rationem haberi voluit, in sacrosancto Missæ sacrificio, condigno religionis cultu & veneratione celebrando, quòd nimirum nullum aliud opus sanctius à Christi fidelibus peragi potest, quàm ipsum, per quod viuifica illa hostia, qua Deo reconciliati sumus, in Altari per sacerdotes quotidie immolatur. Omnem proinde operam & diligentiam adhiberi necesse est, vt hoc ipsum quanta maxima fieri potest interiori cordis munditia & puritate, atque exterior deuotionis ac pietatis sensu, nec alijs cæremonijs aut ritibus, quàm ab Ecclesia Romana cæterarum omnium matre & magistra probatis, ab ijsdem debitè perficiatur, vt qui animis consona sentiunt in religione, moribus non discrepent in operatione, qua Deus cunctorum Pater iugiter & concorditer à Christi-fidelibus semper laudetur, & in hoc augustissimo Missæ sacrificio adoretur & inuocetur, cùm alioqui maledictus sit is, qui facit opus Dei negligenter, aut aliter quàm Ecclesia ordinauit, quem etiam anathemati subiacere decreuit prædicta Tridentina Synodus hisce verbis: *Si quis dixerit, receptos & approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus, in solenni Sacramentorum administratione adhiberi consuetos, aut contemni, aut sine peccato à ministris pro libito omitti, aut in nouos alios per quemcumque Ecclesiarum Pastorem mutari posse, anathema sit.*

Mul-

Multùm ergo constat interesse, ad tanti sacrificij maiestatem, & rudis populi ædificationem, eosdem vbique seruari ritus, ne is ex eorum diuersitate, vel diuersum quoque Deum suspicetur, vel vnius sacerdotis hostiam alterius hostiâ sentiat esse acceptiorem, his enim ignaræ plebeculæ sublatis suspicionibus maiorem fidelium mentibus instillabit deuotionem. Sed & sacrorum ministeriorum venerationem, valde augebit si templa, vasa sacra, vtensilia & ornamenta munda custodiantur, eædem circa hæc cæremoniæ, ab vniuersali Ecclesia præscriptæ, vsurpentur Hinc est quod, vti passim videmus, homines (Dei haud dubiè impulsu) longioris, etiam lutulentæque viæ tœdia & incommoda minùs horrescant, quo puris sacrorum ritibus interesse queant, quam vicinæ & sordescentis Ecclesiæ commoda adament, quorum feruori vlterius promouendo & propagando, non exiguo sanè rei Christianæ detrimento, iniuriam faciunt, & moram leuiculi quidam ministri, qui indecoro cantu, ineptis gesticulationibus, superuacaneis geniculationibus, insolitisque & proprio genio adinuentis cæremonijs, aut sine certa auctoritate introductis, rem diuinam cum populi offendiculo perturbant & dehonestant. Hi obsecro non tam me quàm S. Augustinum audiant dicentem: *Omnia talia quæ neque sanctarum scripturarum auctoritatibus continentur, neque in Concilijs Episcoporum statuta inueniuntur, neque consuetudine vniuersæ Ecclesiæ roborata sunt, sed diuersorum locorum diuersis moribus innumerabiliter narrantur, resecanda existimo.*

Atque hæc præcipua fuit causa, vt variorum summorum Pontificum à primis etiam sæculis, tam præclarus, quàm pius in eo desudauerit conatus, quò omnia honestè & secundum ordinem fierent, vt certas leges & regulas, quas Rubricas appellare solemus, pro Missis tum solennibus, tum priuatis celebrandis præscripserint, præscriptas autem, irrepentibus paulatim temporum iniuria & hominum incuria atque improbitate diuersis erroribus & abusibus, à tanti sacrificij dignitate alienis, depraua-
tas, pristino rursum [illegible] tituerint, & ad nostra
vsq; tempo[illegible] & [illegible]rgendo stabiliuerint
& adauxe[illegible] ssim[illegible] Eucharistiæ Sacra-
mentum, quod e[illegible] cib[illegible] via, panoplia con-
tra hostes præsid um[illegible] ericulis viaticum & sola-
tium in morte, & odor suauissimus coram irato Numine, modo quædam excellentissimo & studio prorsus singulari, coleretur, & populo diuinæ mensæ accumbenti decentissimè distribueretur. Quæ cogitatio sic animum meum perculit vt planè inhorrescam, dum quidam ad tantum sacrificium, quod numquam eo, quo decet cultu, quantumuis Angelis in puritate, S Ioanni Baptistæ in sanctitate pares, venerari possumus, imparati, tanquam *ex hara ad aram* accurrentes, minusque instructi, in Sacrosanctis illis cæremonijs & ritibus, quibus Ecclesia hoc offerri voluit, irruũt. Quo in genere cùm etiam ignorantia, etsi omnino inexcusabilis, inter causas consideret, hortatu, imò iussu magnorum virorum, quibus non obtemperare nefas fuisse est Deo comprimis,

B.ma etiam V. Maria, Angelo custode, SS. Vrsula & Sodalibus eius pio instituto & labori fauentibus ante octo circiter annos manum omnibus ignorantibus & minùs peritis conatus sum porrigere, edito *Sacrorum Rituum Compendio*, cuius quidem editio tantâ cessit tum bibliopolæ felicitate, tum Ecclesiæ vtilitate vt per diuersa loca exemplaria illius distracta fuerint & absumpta ac nulla è prima editione in bibliopolio supersint. Quapropter operæpretium me facturum existimaui, si libellum hunc, qu sacris initiatis aut initiandis possit esse in via comes, in actionibus sacris director, in casibus occurrentibus arbiter & consultor, in cæremonijs addiscendis instructor, accuratiore studio à me relectum, correctum, & duabus etiam partibus auctum, iterum prælo submitterem. *In quo primò Rubricæ Missalis, recens ab Apostolica Sede correctæ, quàm emendatissimè, exprimuntur, deinde quæ in Rubricis obscurius proponuntur è probatissimis Auctoribus breuissimè exponuntur. Quibus omnibus nunc Cæremoniæ in præcipuis festiuitatibus per annum vsurpandæ, atque ritus Pontificales ante hac desiderati subnectuntur.*

Quia verò prudens hominum nunc obtinet vsus, vt nihil typis vulgetur, quod non conspicuorum virorum cohonestet tutela, fulciat patrocinium, & muniat præsidium, & ego, tenuitatis meæ conscius hoc *Sacrorum Rituum Compendium*, non meum, sed reuerà omnibus modis tuum Perillustris ac Reverendissime Domine ac Patrone maximè, vti, ante, iterum Tui Perillustris nominis fulgore & insignijs

decoratum, Tuæque Auctoritatis defensione munitum rursus in lumen emittendum, & manibus erudiendorum immittendum censui, causas nullas enumero, quoniam Coloniæ in luce sunt, alibi vix verbis explicari ritè possunt, vnum dico : *Tibi, qui semper SS. Canonum, Concilij Tridentini Decretorum, Constitutionum Apostolicarum & sacrorum Ecclesiæ Romanæ Rituum maximus fuisti amator, studiosissimus imitator, accuratissimus observator, & non minùs exactus quam zelosus aliorum in ijs instructor,* omninò debetur. Ita profiteor Coloniæ ad S. Vrsulam ipso Conceptionis B. mæ Mariæ Virginis festo. 1656.

Tuæ Perillustris ac Reverendissimæ Dignitatis

Cliens ac seruus in Domino

GERLACUS VINITOR.

INDEX

INDEX

AVCTORVM ET SCRIPTORVM, QVORVM OPERA IN HOC COMPENDIO vſus ſum.

ACta Eccleſiæ Mediolanenſis.
Andreas Caſtaldus.
S. Auguſtinus.
Azor.
Ægydius Coninck.
Bartholomæus Gauantus.
Bonacina.
Cardinalis de Lugo.
Catechiſmus Romanus.
Cæremoniale Epiſcoporum CLEMENTIS VIII.
Compendium Cæremoniarum Ioannis Iacobs.
Congregatio Sacrorum Rituum.
Conſtitutio CLEMENTIS VIII. de Litanijs.
Conſtitutio VRBANI VIII. de ſacris imaginibus.
Conſtitutio FERDINANDI Archiepiſcopi Colonienſis de imaginibus, repræſentationibus

bus & triplici Vicariorum generalium genere.
Commentaria Bartholomæi Gauanti.
Concilium Tridentinum.
Concilia Prouincialia Colonienſia.
Diana.
Directorium Sacerdotale Matthiæ Kinchy.
Directorium Romanum.
Directorium Chori.
Dominicus Bello.
Durandus.
Epitome Sacrorum Rituum P. Claudij Arnaud.
Emanuel Sà.
Gemma.
Henriquez.
Ioannes V Viggers.
Ius Canonicum.
Michael Bauldrij.
Miſſale Romanum.
Miſſale Colonienſe.
Monitoria directio FERDINANDI Archiepiſcopi Colonienſis.
Molina.
Nauarrus.
Nouarinus.
Octauius Frangipanus.
Paris Craſſus.
Paulus Layman.
Petrus Iuſtinellus.
Petrus Caſanoua.
Pontificale Romanum CLEMENTIS VIII.

Piaſe-

AVCTORVM.

Piaſecius.
Rituale Romanum PAVLI V.
Soto.
Suarez.
Syluius.
Syluester.
S. Thomas Aquinas.
Toletus.

INDEX
TITVLORVM.

Compendium hoc Sacrorum Rituum diuiditur in septem partes, & partes in titulos plures.

Prima pars continet Rubricas generales primi ordinis, titulis viginti.

I. De Duplici, pag. 2
II. De Semiduplici, & Simplici. 2
III. De Feria & Vigilia. 4
IV. De Missis votiuis Sanctæ Mariæ, & alijs. 6
V. De Missis Defunctorum. 12
VI. De Translatione Festorum. 16
VII. De Commemorationibus. 17
VIII. De Introitu, Kyrieeleison, & Gloria in excelsis. 22
IX. De orationibus. 24
X. De Epistola, Graduali, Alleluia, & Tractu, ac de Euangelio. 29
XI. De Symbolo. 31
XII. De Offertorio, Secretis, Præfationibus, & Canone. 34.
XIII. De Communione, Orationibus post Communionem,

nem Ite Missa est, vel Benedicamus Domino, de Benedictione, & Euangelio Sancti Ioannis. 37
XIV. De ordinanda Missa ex supradictis Rubricis. 38.
XV. De Hora celebrandi Missam. 40
XVI. De his quæ clarâ voce aut secretò dicenda sunt in Missa. 42
XVII. De ordine genuflectendi, sedendi, & standi in Missa priuata & solenni. 45
XVIII. De Coloribus Paramentorum. 48
XIX. De qualitate paramentorum. 52
XX. De Præparatione Altaris, & ornamentorum eius. 54.

Secunda pars continet ritum seruandum in celebratione Missæ titulis decem & sex.

I. De præparatione Sacerdotis celebraturi. 64.
II. De ingressu Sacerdotis ad Altare. 77
III. De principio Missæ, & confessione facienda. 85
IV. De Introitu, Kyrieeleison, & Gloria in excelsis. 91.
V. De oratione. 96
VI. De Epistola, Graduali, & alijs vsque ad Offertorium. 99
VII. De Offertorio, & alijs vsque ad Canonem. 105
VIII. De Canone Missæ vsque ad consecrationem. 116
X. De Canone post Consecrationem vsque ad orationem Dominicam. 128

X. De oratione Dominica, & alijs vsque ad factam Communionem 133
XI. De Communione, & orationibus post Communionem dicendis. 150
XII. De benedictione in fine Missæ, & Euangelio S. Ioannis. 152
XIII. De his quæ omittuntur in Missa pro Defunctis. 159.
XIV. De Missa priuata coram Prælato in loco suæ iurisdictionis. 161
XV. De prima Missa noui sacerdotis priuatim celebranda. 163
XVI. De Ministro Missæ priuatæ. 167

Tertia pars defectibus circa Missam occurrentibus adhibet remedia titulis decem.

I. De defectibus in celebratione Missarum occurrentibus, in genere. 183
II. De defectibus materiæ. 184
III. De defectu panis. 185
IV. De defectu vini. 189
V. De defectibus formæ 193
VI. De defectibus Ministri. 196
VII. De defectu intentionis. ibidem
VIII. De defectibus dispositionis animæ. 200
IX. De defectibus dispositionis corporis. 202
X. De defectibus in ministerio ipso occurrentibus. 205.

Quarta

INDEX TITVLORVM.

Quarta pars complectitur actus solennes titulis viginti octo.

I. *De missa solenni in genere ex Rubricis Missalis.* 212.

II. *De officio sacerdotis celebrantis Missam solennem.* 221.

III. *De Communione generali, vel particulari in Missa solenni.* 225

IV. *De Missa solenni & priuata quæ coram SS. Sacramento patenter exposito celebratur.* 251

V. *De ritibus & cæremonijs obseruandis per sacerdotem deportantem Monstrantiam cum SS. Sacramento in processionibus eiusdem.* 263

VI. *De oratione publica & solenni, indicta pro re graui coram SS. Sacramento, quæ dicitur quadraginta Horarum.* 277

VII. *De Missa solenni pro Defunctis.* 268

VIII. *De Absolutione faciendapost Missam Defunctorum in die Depositionis & Anniuersario.* 290

IX. *De Missa solenni, coram Cardinale, Legato sedis Apostolicæ, aut Patriarcha, Archiepiscopo vel Episcopo, in eorum residentijs, vel loco suæ iurisdictionis celebranda.* 297

X. *De Missa minùs solenni cum ministris sacris.* 303.

XI. *De Missa cum duobus Acolythis solis.* 304

XII. De Missa quæ cantatur cum vno solo Clerico. 307.
XIII. De modo, quo die Dominicâ aquæ benedictæ, aspersio fieri debeat. 309
XIV. De officio Diaconi ministrantis sacerdoti in Missa solenni. 313
XV. De Officio Diaconi in Missis solennibus pro Defunctis, & in absolutione Defunctorum post eandem. 336
XVI. De officio Diaconi in Processionibus SS. Sacramenti. 339
XVII. De Officio Subdiaconi ministrantis Sacerdoti in Missa solenni. 341
XVIII. De officio Subdiaconi in Misis solennibus pro defunctis & in absolutione Defunctorum post eandem. 356.
XIX. De officio Subdiaconi in Processionibus, 358
XX. De officio Presbyteri assistentis sacerdoti celebranti Missam solennem. 360
XXI. De officio Acolythorum in Missa solenni, 364
XXII. De officio Acolythorum in Missa Defunctorum, 369.
XXIII. De Officio Thuriferarij in Missa solenni, 372
XXIV. De officio Thuriferarij in Defunctorum absolutione & exequijs. 378
XXV. De officio Magistri Cæremoniarum, 380
XXVI. De officio Sacristæ siue Thesaurarij, 389
XXVII. De officio Organistæ. 397

Quinta

INDEX TITVLORVM.

Quinta pars tractat de cæremonijs Horarum Canonicarum in Choro solenniùs recitandarum, titulis sex.

I. *De Vesperis solennibus,* 402
II. *De Vesperis solennibus præsente Episcopo,* 413
III. *De Completorio.* 415
IV. *De Matutinis,* 417
V. *De Laudibus,* 424
VI. *De Vesperis, Matutinis, & Laudibus Defunctorum.* 425.

PARS VI.

De Ritibus seruandis in quibusdam Præcipuis diebus & festis occurrentibus per annum continet Titulos viginti octo.

I. *De tempore Aduentus.* 439
II. *De vigilia, nocte, & die Natiuitatis Domini nostri Iesu Christi, & alijs festis & diebus vsque ad Purificationem.* pag. 435
III. *De festo Purificationis B. M. V. candelarum benedictione, & distributione, nec non Processione illo die instituenda.* pag. 440
IV. *De feria quarta Cinerum.* pag. 447

V. De

INDEX TITVLORVM.

V. De Tempore Quadrageſimæ vſque ad Dominicam Palmarum. pag. 451

VI. De Dominica Palmarum.

VII. De Matutinis Tenebrarum celebrandis ferijs quarta, quinta, & ſexta maioris Hebdomadæ, pag. 461

VIII. De feria quinta in Cœna Domini pag. 464

IX. De denudatione Altarium pag. 471

X. De mandato ſeu lotione pedum 473

XI. De officio feriæ ſextæ in Paraſceue 477

XII. De ordine ponendi Crucem in ſepulchrum, 488

XIII. De Sabbato ſancto, 489

XIV. De benedictione noui ignis, 490

XV. De benedictione cerei Paſchalis & alijs, 493

XVI. De benedictione fontis baptiſmalis, 497

XVII. De Litanijs, Miſſa ſolenni & veſperis Sabbati ſancti, 499

XVIII. De modo eleuandi Crucem è ſepulchro in nocte ſancta Paſchæ, 505

XIX. De ipſo feſto ſancto Paſchæ, 505

XX. De Litania maiori in die S. Marci, 507

XXII. De Vigilia & feſto Aſcenſionis Domini, 510

XXIII. De Vigilia & die Pentecoſtes. 511

XXIV. De feſto Corporis Chriſti, 512

XXV. De octaua Corporis Chriſti, 514

XXVI. De Dominicis per annum. 516

XXVII. De commemoratione omnium fidelium Defunctorum ibidem.

XXVIII. De feſto Patroni & Dedicationis Eccleſiæ. 517.

PARS

INDEX TITVLORVM.

PARS VII.

De Cæremonijs Episcopalibus Titulos addit viginti quatuor.

I. De officio Presbyteri Assistentis ad vesperas Episcopo celebrante, pag. 518

II. De officio Presbyteri Assistentis in Missa, 220

III. De officio Presbyteri assistentis Episcopo non celebrante sed præsente in missa solenni, 525

IV. De officio duorum Canonicorum in habitu Diaconali Episcopo celebrante, vel eo non celebrante in habitu ordinario Canonicali ipsi assistentium, 526

V. De officio Diaconorum assistentium Episcopo in vesperis, 527

VI. De officio Diaconorum assistentium Episcopo in Missa solenni, 528

VII. De officio Diaconi Euangelium cantaturi in Missa solenni Episcopo proprio Ordinario loci in sua sede Episcopali celebrante. 531

VIII. De officio Diaconi in missa solenni, celebrante Episcopo proprio vel alio non in sua sede, sed faldistorio. 536.

IX. De officio subdiaconi in Missa Pontificali celebrante Episcopo loci proprio & ordinario in sua sede Episcopali. 539

X. De

X. De officio subdiaconi in Missa solenni celebrante Episcopo in faldistorio. 542
XI. De ministro seruiente ad Baculum pastoralem in processionibus, vesperis Missa solenni & alijs actibus pontificalibus. 545
XII. De Ministro seruiente ad Mitram.
XIII. De officio Ministri seruientis ad librum, 547
XIV. De officio Thuriferarij celebrante Episcopo, 549
XV. De officio Acolythorum celebrante Episcopo. 550
XVI. De Ministro ad candelam seruiente Episcopo celebrante. 552
XVII. De officio scutiferorum seu familiarum Episcopi ipso celebrante. 553
XVIII. De vesperis solennibus per Episcopum incrastino celebraturum solenniter habendis. 554
XIX. De Completorio Episcopo præsente. 559
XX. De Matutinis præsente Episcopo. ibidem
XXI. De Laudibus Episcopo proprio celebrante. 563
XXII. De Missa solenni Episcopo proprio celebrante, 564
XXIII. De solenni Missa per Episcopum in aliena Diœcesi pontificaliter celebranda.
XIV. De vesperis & Matutinis pro defunctis celebrante.
XV. De absolutione solenni ab Episcopo & alijs Prælatis facienda circa castrum doloris.
XVI. De Absolutione solenni ab Episcopo & alijs Prælatis facienda circa castrum doloris.
XVII. De Missa quæ sine cantu ab Episcopo celebratur.

BENE.

BENEVOLE LECTOR.

ANtequam de Cæremonijs tractem paucis te monitum volo, quod omnis cæremonia, quæ potissimè ad cælestem clementiam nobis propitiandam inuenta est: præterid, quod est ars reuelata diuinitus; etiam iure scripto, ac summa ratione per patres nostros in initio adolescentiæ Ecclesiæ cælesti quodam numine afflatos, decreta sit: scilicet, vt noscamus quo ritu, quouè sacrificio Deum coli oporteat. Id enim est humanioperis officium, in eoque solo summa rerum, & omnis vitæ beatæ ratio consistit: quandoquidem propterea creati & inspirati sumus ab eo, vt ipsum debitis pijsque veneremur obsequijs. Nihil enim æque singularis, & sancta illa Maiestas ab homine desiderat, ac sinceram adorationem per ritus sacros exhibendam, nihilque pulchriùs, magnificentiùs ac spectabilius in omni diuinæ maiestatis cultu, quam ordo, reuerentia, ac rerum omnium congruæ dispositionis ornatus: quæ si in theatrali spectaculo, in acie militari, in classe parata, iubentur regularissimè seruari, quantò magis cæremoniarum censura, quæ mysterijs imbutæ moralibus & diuinis plena Sacramentis, ac in solo sacrarum rerum ordine, & ratione cum sanctorum patrum consilio intelligentiaq; & auctoritate consistit, diuinis non adhibeatur mysterijs: si quidem actus ipse Ceremonialis, quid est aliud, quam vel honor ab hominibus Deo, vel hominibus propter Deum exhibitus. Non tamen usque adeo negare ausim, veteres illos sacrorum conditores aliter ab initio solennes hos ritus instituisse, quàm nostra ætas profiteat & obseruetur. Quod in omnium fere disciplinarum ampliatione variari videmus. Itaque multiplicatâ in dies deuotione; etiam cæremoniæ multiplicatæ, & saluæ rerum substantia reformatæ fuerunt: quæ etiam nostro quo-

quo

quo tempore, tam pro rei sacræ reuerentia, quàm pro Apostolicæ sedis ornamento, ac sacri senatus auctoritate cum ordinum, ac temporum, & locorum omnium ratione pensata, prout cuiusque merito & vsui rationique conuenit ornantur: & successione mirum in modum ampliantur, non quidem vt priscis aduersentur institutis: sed vt temporibus ac locis & actibus in dies emergentibus magis accommodentur. Non itaque Cæremonias huic compendio insertas, vt superfluas, arbitrarias, nouas aut temerè confictas repudias. verùm vt sacras, ac præsentis ætatis vsu & Patrum dogmatistarum relatione excerptas beneuolè suscipe, ad maiorem Dei gloriam, sacrosancti Missæ sacrificij, aliorumque officiorum Ecclesiasticorum cultum. Veruntamen si qua superaddenda adhuc videbuntur, id, vt libuerit per me licet; Quodsi corrigere potius placuerit, liberè id per me poces. Vale, vtere, & fruere.



DE

RVBRICÆ GENERALES MISSALIS

PARS PRIMA.

MIssa quotidie dicitur secundum ordinem Officij: de festo Duplici, vel Semiduplici, vel Simplici: de Dominica, vel Feria, vel Vigilia, vel Octaua: & extra ordinem Officij, votiua, vel pro Defunctis.

ANNOTATIONES.

§. 1. Circa hanc Rubricam aduerte, permissum esse omni die celebrare, exceptâ Feriâ sextâ Hebdomadæ sanctæ, quâ illicitum est sacrificare. Quia Ecclesia colit, & exhibet realem passionem, & cruentum sacrificium Christi ideo non repræsentat mysticè, seu non immolat incruentè. Siquidem Sacerdos in solemni officio Parasceues non consecrat, sed hostiam pridie consecratam & asseruatam, vnamque eius particulam vino iniectam sumit. Neque licitum esse alios quam infirmos in articulo mortis constitutos eo die communicare, declarauit die 19. Februarij 1622. S. Congregatio Cardinalium, qui sacris ritibus interpretandis præsunt: teste Gauanto.

e. Sabbato de consecrat. dist. 3. Layman. theol. mor. lib. 5. tract. 5. c. 4. n. 7.

Gauantus comm. in Rubr. Miss. Part 4. Tit. 9. n. 25.

§ 2. Nota in Sabbato sancto non nisi vnam Missam solemnem, quæ noctis est, nequaquam autem alias missas priuatas quantumuis votiuas celebrari posse, secundum probabiliorem sententiam & receptam vniuersalis Ecclesiæ consuetudinem.

Layman loco cit. n 8. Gauantus loco cit. Tit. 10. n. 25.

§. 3. Controuersia inter Doctores nata est; vtrum feriâ quintâ maioris Hebdomadæ licitum sit sacerdotibus priuatim sacrificare; quidam id affirmant: alij rectiùs negant, ob receptam consuetudinem celebrandi

c in cœna de consecrat. dist. 2.

Layman loco cit. n 9. Gauantus loco citato tit. 8. n. 7.

in vnaquaque Ecclesia vnum duntaxat sacrum solemne, in quo omnes etiam presbyteri solent communicare ad præsentationem & memoriam Apostolorum, qui in Cœna vltima S. Eucharistiam de manu Christi Domini sumpserunt. Sacra proinde Rituum Congregatio 27. Septemb. 1608. communionem Cleri iussit in solemni hac Missa. Quare hæc communicandi consuetudo in Sacerdotum conuentu obseruanda est. Communicent autem illo die Presbyteri cum stola de collo pendente.

TITULUS I.

De Duplici.

MIssa dicitur de Duplici illis diebus, quibus in Kalendario ponitur hæc nota, *Duplex*, & in Festis mobilibus, quandocumque Officium est Duplex. In Duplicibus dicitur vna tantùm Oratio, nisi aliqua commemoratio fieri debeat. Alia omnia dicuntur vt in proprijs Missis assignatum est. Quando dici debeat, *Gloria in excelsis*, & *Credo*, inferiùs ponitur in proprijs Rubricis.

ANNOTATIO.

Gauantus part. 1. tit. 4. n. 3 litt. O.

§. 1. Missa de Duplici, his gaudet priuilegijs. *Primò* quod in ea vna tantum dicatur Oratio nisi faciendæ sit aliqua commemoratio de officio simul incidente. *Secundò*, quod Missæ priuatæ votiuæ, & pro Defunctis in Duplicibus dici non debeant, prout infrà Tit. 4. de Missis votiuis, & Defunctorum latiùs declarabitur. *Tertiò*, quod antiphona ad præparationem Missæ dicitur integrè ante psalmos & similiter post Missam antiphona ante gratiarum actionem tota.

TITVLVS II.

De Semiduplici, & Simplici.

MIssa de Semiduplici dicitur quando in Kalendario ponitur hæc vox, *Semiduplex*. Præ-

Præterea in Dominicis, & diebus infra Octauas. In Semiduplicibus tam Festis, quàm Dominicis, & infra Octauas, dicuntur plures Orationes, vt infrà dicetur in Rubrica de Orationibus. Infra Octauam dicitur Missa, sicut in die Festi, nisi propriam Missam habuerit: in Dominicis verò, sicut in proprijs locis assignatur. De simplici dicitur Missa sicut de Semiduplici, vt suis locis ponitur.

ANNOTATIONES.

§. 1 SI Sacerdos in alicuius Sancti festo Simplici, de quo ratione cōcurrentis Feriæ Aduentus, vel Quadragesimæ, vel Octauæ, tantùm cōmemoratio fieri debet, Missam integram illius Sancti ex singulari deuotione aut causa celebrare voluerit, vtique de sancto illo ritu semiduplici Missam ex communi sanctorum sumptam cum commemoratione officij currentis, de quo legit horas suas Canonicas celebrare licitè potest. §. 2. Castaldus *Praxi Car. lib. 2. sect. 6. c. 3. n. 8.* Gauantus *Comment. in Rubr. Breuiarij sect. 2. cap. 2. n. 30.* poterit Sacerdos erga aliquem Sanctum, ab Ecclesia canonizatum, seu per immemorabile tempus pro Sancto habitum, cui publicus & vniuersalis conceditur cultus, eo die occurrentem, etsi in Kalendario eius nomen non sit prænotatum pio religionis affectu permotus, Missam pro omnibus approbatam de eodem celebrare, ritibus semiduplici festo conuenientibus, factâ tamen commemoratione officij currentis, de quo lectæ sunt horæ Canonicæ. § 3. Eodē modo potest vbiq; & ab omnibus de Sanctis recenter canonizatis Officium Missæ in die eorum festo celebrari, quamuis Officium diuinum de iis sine nouo Decreto Congregationis Sacrorum Rituum extra propriam Ecclesiam fieri non possit, necessariò enim requiritur speciale nouum decretum de ritu, quo fieri debet officium, sicuti Congregationem Cardinalium explicationi Sacrorum Rituū præsidentium *die 19 Decembris* 1628. censuisse refert Gauantus. De Beatificatis verò non vbique, nec ab omnibus Missa dici potest, quia sedes Apostolica quo ad locum, tempus, ritum in Beatorum cultu limitatè procedit, veluti de beato Rocho nondum canonizato concessit officium & Missam in Ecclesiis tantùm eius nomine dicatis, & Eremitorijs eiusdem habentibus requisita Ecclesiarum: iuxta declarationem S. Congregatio- *Gauantus loco paulo ante citato*

S. R. I. 1. cap. 5. Tit. 2. n. 12.

nis Cardinalium deputatorum ad dubia sacrorum Rituum declaranda die 26. *Nouembris* 1629. apud Gauantum.

TITVLVS III.

De Feria & Vigilia.

1. Missa de Feria dicitur, quando non occurrit Festum, vel Octaua, vel Sabbatum in quo fiat Officium B. Mariæ. In Ferijs tamen Quadrageſimæ, Quatuor Temporum, Rogationum, & Vigiliarum, etiamſi Duplex, vel Semiduplex Feſtum, vel Octaua occurrat, in Eccleſijs Cathedralibus & Collegiatis cantantur duæ Miſſæ, vna de Feſto poſt Tertiam, alia de Feria poſt Nonam.

2. In Vigilijs autem & Ferijs Quatuor Temporum, vel Feria ſecunda Rogationum, quæ veniunt infra Octauam, Miſſa dicitur de Vigilia, vel Ferijs ſupradictis cum commemoratione Octauæ: præterquam infra octauam Corporis Chriſti, in qua in Eccleſijs Cathedralibus, & Collegiatis cantantur duæ Miſſæ, vna de Octaua poſt Tertiam, alia de Vigilia poſt Nonam: in Miſſis autem priuatis, dicitur Miſſa de Octaua cum commemoratione Vigiliæ. Si autem in die Vigiliæ, vel prædictis Ferijs fiat Officium de aliquo Feſto, tunc dicitur Miſſa de Feſto, cum commemoratione Octauæ, & Vigiliæ, vel Feriarum prædictarum. Quòd ſi Vigilia occurrat in die alicuius Feſti ex maioribus primæ claſſis, in Miſſa non fit commemoratio de ea, ſicut nec in Officio.

3. Si Feſtum habens Vigiliam celebretur Feria ſecunda; Miſſa Vigiliæ dicitur in Sabbato, ſicut etiam de ea fit Officium: exceptâ Vigiliâ Natiuitatis Domini, & Epiphaniæ.

4. Miſſa Vigiliæ in Aduentu occurrentis, dicitur

citur cum cõmemoratione Feriæ Aduentus, licet de ea non sit factum Officium: Vigiliâ Natiuitatis exceptâ.

5. Si in Quadragesima, & Quatuor Temporibus occurrat Vigilia, dicatur Missa de Feria cum commemoratione Vigiliæ.

6. Tempore Paschali non dicitur Missa de Vigilia, nisi in Vigilia Ascensionis, quæ tamen non ieiunatur, sicut nec Vigilia Epiphaniæ.

ANNOTATIONES.

§. 1. Rubrica sub n. 1 huius Tituli §. de duabus Missis cantandis, non est intelligenda de quolibet die infra Octauam, ita vt, occurrente Feriâ ex prædictis in die infra Octauam, dici debeant duæ Missæ de Octaua, & Feria, vt patet ex Missali, in Vigilia SS. Petri & Pauli, quando occurrit in Sabbato (occurrente nimirum S. Leonis festo in Dominica) item & in Vigilia Assumptionis B. Mariæ Virginis infra Octauam S. Laurentij, non præscribuntur duæ Missæ, de Octaua, & Vigilia; ergo neque in aliis similibus Ferijs erunt dicendæ duæ Missæ. Sed tantùm de die octaua, concurrrẽte cum Vigilia, feria quatuor temporum, & Rogationum, tunc enim duæ forent cantandæ Missæ, alijs autem diebus infra octauam Missa conuentualis tantùm dicitur de vigilia, feria quatuor temporum & Rogationum cum Commemoratione octauæ præterquam infra octauam Corporis Christi in qua fit vt Rubrica præscribit. *Gauantus comment. in Rubr. Miss. Part. 1. Tit. 3. n. 1. litt. 1.*

§. 2. Si verò Vigiliæ Natiuitatis S. Ioannis Baptistæ, aut SS. Apostolorum Petri & Pauli occurrant infra Octauas Corporis Christi Missa dicitur de Octaua, & non de Vigilia cum commemoratione Vigiliæ, & in fine dicetur Euangelium de eadem vigilia In Ecclesijs tamen Cathedralibus & Collegiatis, dicentur duæ Missæ prima de Octaua post Tertiam, secunda de Vigilia post Nonam.

§. 3. In Missa Vigiliarum & Feriarum maiorum infra Octauam nunquam dicitur *Gloria in excelsis* neque *Credo* & semper dicitur Præfatio communis, præterquam in Missis Litaniarum maiorum, quæ Paschalem Præfationem habent, sed ea quæ cum suo cantu dicitur in diebus ferialibus. *Gauantus part. 1. tit. 12. n. 2. litt. c.*

Missale Rom. 2. Nouemb.

§. 4. in die commemorationis omnium fidelium Defunctorum, dicuntur duæ Missæ in Ecclesijs Cathedralibus & Collegiatis vna de die infra Octauam post Tertiam, altera principalis pro defunctis post Nonam & hoc, quia in Missa pro Defunctis non potest fieri commemoratio de Octaua sicut in alijs, & est casus particularis, quem expressè præscribit Missale post festum omnium Sanctorum 2. Nouembris.

TITVLVS IV.

De Missis votiuis S. Mariæ, & alijs.

1. IN Sabbatis non impeditis festo Duplici, Semiduplici, Octaua, Vigilia, Feria Quadragesimæ, vel Quatuor Temporum, vel Officio alicuius Dominicæ quæ supersit, in præcedens Sabbatum translato, dicitur Missa de S. Maria secundum varietatem temporum, vt in fine Missalis ponitur.

2. In Aduentu autem, licet Officium non fiat de S. Maria in Sabbato, dicitur tamen Missa principalis de ea, cum commemoratione de Aduentu, nisi fuerint Quatuor Tempora, vel Vigilia, vt suprà.

3. Alijs diebus infra Hebdomadam, quando Officium fit de Feria, & non est resumenda Missa Dominicæ præcedentis, quæ fuerit impedita, (exceptis Ferijs Aduentus, Quadragesimæ, Quatuor Temporum, Rogationum, & Vigiliarum) dici potest aliqua ex Missis votiuis, etiam in principali Missa quæ vocatur Conuentualis, secundum ordinem dierum in fine Missalis assignatũ, cum commemoratione Feriæ de qua factum est Officium. Quæ tamen Missæ, & omnes aliæ Votiuæ, in Missis priuatis dici possunt pro arbitrio Sacerdotum, quocumque die Officium non est Duplex, aut Dominica, cum commemoratione eius,

eius, de quo factum est Officium, & commemoratione item Festi Simplicis, si de aliquo occurrat eo die fieri commemorationem in Officio. Id verò passim non fiat, nisi rationabili de causa. Et quoad fieri potest, Missa cum Officio conueniat.

ANNOTATIONES.

§. 1. Missæ votiuæ dicuntur quæ pro voluntate alicuius celebrantur; atque hæ sunt in triplici differentia, ac primo quidem de quolibet Sancto, ac quacumque festiuitate, de qua iuxta Rubricas Missalis per anni circulum celebratur, dici potest Missa votiua, assumendo eam quæ in die *festo* habetur, accommodando Orationes vbi habetur *Natiuitas* vel *Festiuitas*, aut Natalitia dicendo *Commemoratio* vel *Memoria*? Omittendo vbi habetur *Hodie*, cum Præfatione propria si eam habeat, tamen sine *Gloria in excelsis*, & *Credo*, desumptis *Tractu* vel versibus cum *Alleluia*, vel etiam *Graduali*, si opus est, de Communi, vel certè tota Missa dicatur de Communi, pro vt ratio temporis, siue Paschalis, siue non Paschalis requirit. Nam tempore Paschali adduntur in fine Introitus duo *Alleluia* & in fine Offertorij & Communionis additur vnum *Alleluia* vbi non habetur.

Castaldus Praxi Carem. lib 2. sect. 4. c 3.

Gauantus Part. 4. tit. 17. n 11.

§. 2. Si celebretur Missa votiua alicuius sancti qui in festo pro Introitu habet *Gaudeamus omnes* tunc loco istorum verborum *diem festum celebrantes* dicitur *memoriam celebrantes* & loco *solennitate* ponitur *memoria* vel *commemoratione*.

§. 3. De Tempore & Festis mobilibus Missæ votiuæ non celebrantur.

Castaldus loco citato.

§. 4 De Passione, Spiritu Sancto, sanctissima Trinitate, ac Sanctissimo Sacramento Corporis Christi, non Missæ quæ eo tempore habentur, sed votiuæ in fine Missalis assignatæ dici debent.

§. 5. Secundi generis Missæ votiuæ sunt, quæ habentur in Missali singulis diebus per Hebdomadã assignatæ, & sunt octo videlicet, Feria secunda de sancta Trinitate, Feria tertia de sanctis Angelis, Feria quarta de sanctis Apostolis, Feria quinta de Spiritu sancto. vel Sanctissimo Sacramento, Feria sexta de S. Cruce, vel de Passione, Sabbato de B. Virgine.

Missal. Roman. in fine de Missis votiuis.

§. 6 Huiusmodi autem Missæ Votiuæ priuatæ dici

Gauantus Part. 1. Tit. 4. n. 3. litt. O

non possunt in die Dominico, vel festo Duplici, nisi rationabilis intercedat causa, multo minùs dici poterunt in diebus priuilegiatis, puta in Vigilia Natiuitatis Domini & Pentecostes, in Feria quarta Cinerum, & maiori Hebdomada, infra Octauas Epiphaniæ, Paschæ, & Pentecostes, in quibus diebus prohibetur fieri de Duplici. Et si institutione Capellaniæ, vel alio titulo Sacerdos teneatur huiusmodi Missas votiuas celebrare, satisfacit, dicendo Missam de Sancto, vel Feria occurrente, nam in eo casu Ecclesia disponit, & corrigit intentionem eius qui tales Missas ordinauit, & fructuosior erit deuotionis effectus, si ordinatio Ecclesiæ seruetur, præsertim si eiusmodi Votiuæ in proximos dies transferri nequeant.

§. 7. Quando Missa exigitur votiua v. g. de Assumptione B. M. V. de Natiuitate eiusdem, & eiusmodi, dici potest Missa de Beata Virgine prout in Missis Votiuis, cum intentione ad honorem Assumptionis aut Natiuitatis Beatæ Virginis. Similiter si quis haberet onus celebrandi Missam Rosarij aut de Monte Carmelo, quia eiusmodi Missæ nonnisi certis Regularibus sunt concessæ, dicendo aliam de Beata Virgine votiuam vt in Missali, satisfaciet ex Decreto sacræ Congregationis *die 6. Maij 1625. 7. Augusti* & 30 *Septembris 1628.*

Gauantus Part. 4. Tit. 17 num. 8. & 9.

§. 8. Quando occurrit dicenda Missa votiua de Apostolis, si quid tunc ratione temporis fortè desit, puta Tractus, seu versus cum *Alleluia*, tempore Paschali, ex alijs Missis tunc supplendum est: Tractus quidem desumi poterit ex Missa votiua sanctorum Petri & Pauli, versus autem cum Alleluia tempore Paschali, imò verò etiam Introitus cum accessorijs ex festo S. Marci, vt in simili casu iubetur in fine Missæ votiuæ Apostolorum Petri & Pauli, est enim eadem ratio. Quod simili ratione practicandum in quibuscumque Missis votiuis aliorum sanctorum.

Gauantus part. 4. tit. 17. n. 10.

§. 9. Quando petitur Missa votiua de S. Petro, aut S. Paulo dicitur Missa votiua communis vtrique Apostolo cum intentione ad Venerandum Apostolum cuius Missa votiua petitur, numquam enim separandi sunt ij, quos Ecclesia coniunxit.

Gauantus p. 4. tit. 17. n. 6.

§. 10. In Missa ad postulandam gratiam spiritus sancti dicitur Missa votiua de spiritu sancto in fine Missalis assignata, sed mutantur orationes, dicuntur enim ex, quæ habentur in fine eiusdem Missæ votiuæ de spiritu Sancto.

§. 11.

§. 11. Tertij generis Missæ votiuæ sunt tredecim, quæ habentur in fine Missalis, videl. Prima pro eligendo summo Pontifice. Secunda in die Creationis & Coronationis Papæ, Tertia in Anniuersario Creationis & Consecrationis Episcopi, Quarta ad tollendum schisma, vel pro quacumque Ecclesiæ necessitate, Quinta pro quacunque necessitate. Sexta pro remissione peccatorum; Septima contra Paganos, Octaua Tempore belli. Nona pro Pace. Decima pro vitanda mortalitate. Vndecima pro Infirmis. Duodecima pro peregrinantibus. Decimatertia pro Sponso & Sponsa. *Gauantus part. 4. tit. 17. n. 18.*

§. 12. Harum prima, secunda, tertia, & vltima dicuntur votiuæ, quia non sunt de die, non tamen dici possunt quocumque tempore, sed prima, sede vacante tantum. Secunda & tertia in Anniuersaria die Creationis Papæ, vel Episcopi tantùm; Vltima in benedictione nuptiarum.

§. 13. Missa pro eligendo summo Pontifice prima vice dici potest etiam in Dominica, seu Festo duplici, id est Missa vt in Cathedra S. Petri, tam in creatione, quàm coronatione Papæ, mutata collecta, cum *Credo*, vt in Missali.

§. 14. Tam anniuersarius dies electionis quàm consecrationis Episcopi celebrari potest, & si alter tantùm celebretur, consecrationis dies potius quàm electionis celebrandus erit. Qui si venerit in die festiuo de præcepto vel Dominica, Missa erit de festo cum commemoratione pro Episcopo. In oratione autem nominatur Episcopus, & ciuitas; quia Ecclesia sine additamento significat vniuersalem Ecclesiam: Si vero in die non festiuo celebretur, Missa dicitur vt in Missali cum vnica oratione *Gloria in excelsis Credo* & Præfatione correspondenti tempori. *Gauantus p. 4. tit. 17. n. 18. Cæs. Epis. lib. 2. c. 25. Gauantus loco cit. n. 19.*

§. 15. Nonem verò quæ remanent qualibet die dici, possunt exceptis diebus Dominicis, & Duplicibus. *Gauantus Part. 4. Tit. 17. n. 22. Rit. Rom. Tit. de Matrimonio*

§. 16. Missa pro Sponso & Sponsa qualibet die, excepto die festo de præcepto & Dominica, præsente Sponso & Sponsa dici potest, non dicitur tamen si viduâ sponsa est, etiamsi vir nunquã vxore habuerit, si vero vxorem habuerit vir & virginem duxerit vbi ea vigeto, cõsuetudo poterunt nuptiæ benedici cum hac Missâ. Hinc patet secundas nuptias numquam esse benedicendas, illæ vero censentur secundæ (vt non benedicantur) quæ sunt secundæ ex parte fœminæ, quamuis sint primæ ex parte viri. Nec refert an ipsa vidua secundò

Gauantus part. 1 tit. 4 n. 3 sub lit. O.

nubens sit virgo, vel non; sed an sit semel benedicta: vnde quæ semel nupsit, sed ante benedictiones receptas vidua facta est, cùm poste iterum nubit benedicenda est: & quæ semel est benedicta, non est iterum benedicenda; & casu quo mulier non benedicenda Missam pro felici coniugio, tempore contrahendi matrimonij, peteret, nequaquam Missa pro Sponso & Sponsa dicenda, sed de tempore occurrente, aut aliqua votiua.

§. 17. Missa votiua solemnis pro re graui, vel publica Ecclesiæ causa, quocumque die etiam Dominico, aut Duplici, non tamen in festis maioribus, cantatâ alterâ de die, cantari poterit.

Castaldus Praxi Car. lib. 2. sect. 4. c. 3.

§. 18. Huiusmodi Missæ votiuæ ait Rubrica, ne passim dicantur vbi pios ac religiosos viros monere oportet, gratiorem fore Deo pietatem, quæ Ecclesiastico ritui congrua, & ab Ecclesia dilecta sua sponsa, iuxta dies & tempora ordinata est. Ideoque si cum officio diuino Missa conueniens fuerit, acceptabilius munus ipsi Deo offerretur.

Castaldus loco citato. Gauantus part. 1. tit. 4. in princ.

§. 19. Non prætereundum quod addit Rubrica (non nisi rationabili de causa) nam si quis, vt citò se expediat, vel simili aliqua leui occasione permotus, Missam currentem in votiuam mutaret, vtique contra Rubricam faceret, & consequenter peccaret; sed causa rationabilis censetur voluntas Defunctorum, necessitas, aut pietas viuorum Votiuas Missas postulantium & eiusmodi.

Gauantus Part. 1. Tit. 4. n. 3. litt. p.

§. 20. Quando Rubrica dicit, quoad fieri potest, Missa cum Officio conueniat, loquitur Rubrica de priuatis Missis. Nam Missa Conuentualis debet semper concordare cum Officio. *Cap. Cùm creatura, de celebrat. Miss.* vbi verbum *mandamus* obligat ad mortale, sicut communis Doctorum habet sententia.

Gauantus Part. 1. Tit. 4. n. 3. litt. O. §. Neque.

§. 21. Missæ de Spiritu Sancto, de S. Maria, & pro Defunctis, quæ præscribuntur Presbyteris in eorum ordinatione dicendæ post celebrationem primæ eorum Missæ, non vt communis fert opinio, pro prima Missa celebrandæ sunt sed iuxta regulas aliarum votiuarum, & idcirco dici non possunt in diebus quibus prohibentur aliæ votiuæ, id est, in Dominicis & Duplicibus, & quando prohibetur fieri de festo Duplici. Absonum enim esset, celebratâ primâ Missâ in Natali Domini, in tribus festis sequentibus recitare Missas votiuas prædictas, & pro Defunctis vt patet. Hinc etiam sequitur quod non liceat dicere *Gloria in excelsis*, & *Credo* tam in

in ipsa de Spiritu Sancto, quam in Missa de beata Maria, nisi hæc dicatur in Sabbato, & Missa pro Defunctis debet esse quotidiana cum tribus Orationibus consuetis.

§. 22. Conuentualis igitur Missa erit semper de die, vel in feriali Officio potest esse votiua, secundùm ordinem dierum assignatum in fine Missalis; non autem votiua ad libitum Cleri seu Laicorum Quia sacra Rituum Congregatio die 25. Iunij 1611 & die 8. Ianuarij 1612 decreuit teneri Canonicos omnino ad cantandam Missam de die, vt lucrentur distributiones, nec ob Missam votiuam, seu pro defunctis, posse omitti Missam Conuentualē. Hinc sequitur quod Missa prima Sacerdotis, si celebretur in Duplici, die priuilegiato, aut Dominica, debeat celebrari de ijsdem festis aut diebus, non vero de Spiritu Sancto, aut alia votiua. Priuatæ vero Missæ poterunt dici votiuæ quæcunque, in diebus nō Duplicibus neque Dominicis, vt suprà dictum est, non seruato dicto ordine dierum arbitrio rationabili Celebrantis: non tamen conuenit, puta in festo aut infra Octauam B. Virginis, dicere Votiuam de eadem: tum quia magis colitur B. Virgo cum Missa de festo vel Octaua; tum quia secunda Oratio esset de eadem B. Virgine, cuius recitatur Officium; tum quia satisfit obligationi pro Missa Votiua, si recitetur longior Missa Festiua. Hinc sequitur quod, si infra Octauam Pentecostes dicenda sit Missa votiua solemnis pro re graui de Spiritu Sancto, ea dicenda sit, quæ competit diei occurrenti & non alia. *Gauantus Part. 1. Tit. 4. n. 3. sub litt. p.*

§. 23. Exceptio votiuarum in Dominicis, intelligenda est de die Dominico tantùm qui colitur à populo, & non de Officio Dominicæ; Vnde sequitur quod si in die feriali fiat Officium de Dominica, puta anticipata post Epiphaniam, seu post Pentecosten, seu infra Octauam Natiuitatis Domini, Missæ votiuæ eo casu non prohibentur. *Gauantus loco citato litt. g.*

§. 24 In susceptione habitus, aut professione Monialium, præsertim diebus Dominicis & festiuis, non est dicenda Missa votiua de Spiritu Sancto aut alia, sed Missa de Officio, in qua addatur Oratio de Spiritu sancto, vel alia pro eisdem præscripta; nam in consecratione Episcopi, in Ordinationibus generalibus, benedictione Abbatis, Abbatissæ, & Virginum, atque consecratione Regum & Reginarum, iuxta Rubricas Pontificalis, Oratio tantùm, additur Missæ occurenti de die, quid ni igi- *Castaldus Praxi Car. lib. 2 sect. 5. c. 3. n. 6. Pontif. Rom. Tit. de conf. electi in f.*

plſe. & alijs seq. tur in illis minoris momenti actibus idem obseruandum?

TITVLVS V.

De Missis Defunctorum.

1. PRimâ die cuiusque mensis (extra Aduentum, Quadragesimam, & tempus Paschale) non impedita Officio Duplici, vel semiduplici, dicitur Missa principalis generaliter pro Defunctis Sacerdotibus, Benefactoribus, & alijs. Si verò in ea fuerit festum Simplex, vel Feria, quæ propriam habeat Missam, aut resumenda sit Missa Dominicæ præcedentis, quæ fuit impedita; & infra Hebdomadam non occurrat alius dies, in quo resumi possit; in Ecclesijs Cathedralibus & Collegiatis dicantur duæ Missæ, vna pro Defunctis, alia de festo Simplici, vel Feria prædicta. Sed in Ecclesijs non Cathedralibus nec Collegiatis dicatur Missa de die cum commemoratione generaliter pro Defunctis.

2. Præterea Feriâ secundâ cuiusque Hebdomadæ, in qua Officium fit de Feria, Missa principalis dici potest pro Defunctis. Si autem fuerit propria Missa de Feria, vel de Festo Simplici, vel resumenda sit Missa Dominicæ præcedentis, vt suprà, in Missa de die fiat commemoratio (vt dictum est) pro Defunctis. Excipitur tamen Quadragesima, & totum tempus Paschale, & quando per annum Officium est Duplex, vel Semiduplex: quibus temporibus non dicitur Missa conuentualis pro Defunctis, (nisi in die Depositionis Defuncti, & in Anniversario pro Defunctis) neque pro eis fit commemoratio. Missæ autem priuatæ pro Defunctis quocumque die dici possunt, præterquam in festis Duplicibus, & Dominicis diebus.

3. In

3. In die commemorationis omnium Defunctorum, & in die Depositionis, & in Anniuersario defuncti, dicitur vna tantùm Oratio, & similiter in die Tertio, Septimo, Trigesimo, & quandocunque pro Defunctis solemniter celebratur, in alijs Missis, plures, vt de Ferijs & Simplicibus dicetur infra in Rubrica de Orationibus.

4. Sequentia pro Defunctis dicitur in die Commemorationis omnium fidelium Defunctorum, & Depositionis Defuncti, & quandocumque in Missa dicitur vna tantùm Oratio: in alijs autem Missis pro Defunctis, dicatur ad arbitrium Sacerdotis.

ANNOTATIONES.

§. 1. In Dominicis & Duplicibus, iuxta Rubricam, Missæ priuatæ pro defunctis dici non possunt; adde consequenter & a fortiori, neque in ijs diebus, in quibus de Duplici fieri non potest nempè infra octauam Epiphaniæ Paschatis, Pentecostes, in feria quarta Cinerum, in Hebdomada maiori, in vigilijs Natiuitatis Domini & Pentecostes. *Gauantus part. 1. Tit. 5. n. 2. lit. a.*

§. 2. In Dominicis & festis, Missam defunctorum insepulto, (hoc est) præsente corpore in Ecclesia, concedit Sacra Rituum Congregatio 23 *Maij*, 1603. Festa hoc loco intelliguntur de præcepto æqualia Dominicis, non vero festa quæ maioris sunt celebritatis aut solemnitatis, puta primæ classis Sed & hoc intelligem de solemni Defunctorum Missa, non autem de priuatis, quæ etiam præsente defuncti corpore in Ecclesia dici non possunt in Dominicis neque in Duplicibus. *Gauantus part. 1. tit. 5. n. 2. lit. x. Rit. Rom tit. de exequijs. pag. 35.*

§ 3. Sacra Rituum Congregatio tolerari posse censuit Missas de *Requiem* in duplici festo, quod non est de præcepto, vt testator in voluntates adimpleantur, 1. *Septemb.* 1607. & rursus 20 *Iunij* 1626 Non ait ad arbitrium vuorum (quod bene nota) sed pro implenda lege defunctorum. Dictum est quod non est de præcepto, quia etiam in festo de præcepto, si in diem assignatum pro Altari priuilegiato, puta Feriam secundam, extra quam priuilegium Altaris pro Defunctis est nullum, non potest adhuc dici Missa de *Requiem* vt decreuit Sacra Rituum Congregatio. *die* 24. *Aprilis* 1627. *Gauantus part. 1. tit. 5. n. 2. lit. a.*

§. 4. Ex prædictis & alijs rationibus allatis apud Gauantum, quidam affirmant missam respondentem officio præcipuè Duplici, vel Dominicæ pro defunctis dici posse; non enim existimandum est quod pijssima mater Ecclesia, prohibens Missam defunctorum ritu proprio dici in festis duplicibus (quæ sanè frequenter occurrunt) sacrificium Missæ de officio occurrenti pro defunctis supradictis diebus vetet celebrari. Ac proinde verba exhibeutis stipendium pro Missæ defunctorum celebratione, non ita amarè sunt intelligenda vt omninò Sacerdos Missam defunctorum celebrare teneatur sed ciuili & morali modo. Neque enim voluntas Missam celebrari petentis, legi ac ordinationi Ecclesiasticæ prævalere, sed Ecclesiæ institutioni debet conformari, vt petitio eius ac deuotio sit rationabilis atque conueniens.

Gauantus in Resolutione dubitationis de Missis pro Defunctis. §. 2. n. 1. & 2

§. 5. Quando Missa de Dominica, Sancto, aut Feria celebratur pro Defunctis, necesse non est Collectam dicere pro mortuis. Nam applicatio Missæ non fit in Collectis, sed in *Memento*; vbi Sacerdos valorem Missæ illi applicat, pro quo sacrificium offerre tenetur, idcirco necesse non est Collectas pro Defunctis adiungere, præsertim diebus Festis quando ex Rubricis plures Collectæ arbitrio Sacerdotis non permittuntur, sed particulares assignantur, aut vna tantùm dicenda est, vt in Duplicibus.

Gauantus loco citato §. 5. & part. 3. tit. 12. n. 26.

§. 6. Si contingat Anniuersariam diem, vel Tertiam, vel Septimam vel Trigesimam, in festo celebrari, in sequentem diem poterit transferri, vt annuit sæpiùs Sacra Rituum Congregatio 27. *Septemb.* 1608. & 19. *Maij* 1614. sed melius (ne patiantur animæ) in præcedentem diem. Quod si agatur de mutatione longiori ad tempus seu perpetua, consulantur illi, qui possunt vltimas commutare voluntates.

Gauantus comment. in Rubr. Miss. part. 1. tit. 6. n. 2. lit. y.

§. 7. Non sunt nominandi alij dies præterquàm Tertius, Septimus, & Trigesimus in Missis defunctorum. Et omnis consuetudo in contrarium est abolenda. Caucant igitur ij, qui nominant in Missa alios dies, quartum, quintum, vigesimum, & eiusmodi: quia neque in Rituali, neque in Missali, ponuntur alij dies à prædictis.

Gauantus part. 1. tit. 5. n. 3. lit. b.

§. 8. Triginta Missæ quas vocant *S.* Gregorij licitè dici possunt. Ita decreuit Sacra Rituum Congregatio 28. *Octobris* 1628. Sed tria notanda sunt. *Primò*, non est necesse vt idem Sacerdos per mensem celebret diebus tri-

triginta; sed sufficit si offeratur hostia per mensem siue ab vno, siue à pluribus. *Secundò*, sufficit offerri sacrificium, non enim omnes Missæ defunctorum ritu proprio dicendæ sunt pro defunctis, quæ in Dominicis intercurrentibus prohibentur. *Tertiò*, continuis diebus fieri debent, remotâ superstitione, quam vetuit Conc. Trid. *Sess. 22. in Decreto de obseruandis & euitandis in celebratione Missæ.* Hæ autem 30 Missæ non discontinuantur ob triduum maioris Hebdomadæ, quo, ex vsu Ecclesiæ probato, non debent celebrari. Doctores autem qui volunt eas posse discontinuari, vel vno die dici omnes triginta concludunt, valere tanquam triginta Missas; sed non vt eas, quas instituit S. Gregorius? *Gauantus part. 1. tit. 5. n 3. lit. d.*

§. 9. Non sunt admittendæ huiusmodi fundationes, quibus Missa pro Defunctis etiam in solemnibus Festis legi ordinatur; & sicubi admissæ sunt, corrigendæ, & Missa pro Defunctis in aliam diem non impeditam transferenda. *Missale Colonienſe in Rubr. generalib. c. 8. n. 3*

§. 10. Sequentia Pro Defunctis, quæ incipit *Audi tellus* seuerè prohibita & in multis Ecclesijs adhuc abusiuè usurpatæ; deinceps nullibi est dicenda, etiam si ex fundatione dicenda foret, sed eius loco substituenda sequentia, *Dies ira, dies illa, &c.* quæ dicenda & non omittenda quandocumque dicitur vna tantùm oratio in Missa. *Missale Colonienſe loco citato. n. 4.*

§. 11. Quando plures dicuntur Orationes in Missis defunctorum vltimo semper loco recitanda est Oratio *Fidelium*, quæ est generalis pro Defunctis, post Collectas speciales, vt hæc vltima ceteras colligat. *Gauantus part. 1. tit. 5. n 3. & part. 4. tit. 15. n. 19.*

§. 12. Missæ Defunctorum certo die dicendæ, eo impedito, transferuntur in sequentem vt decreuit Sacra Rituum Congregatio, *die 27. Septemb. 1608.*

§. 13. Quod ob Missam pro Defunctis, vel votiuam omitti non possit Missa Conuentualis definiuit Sacra Rituum Congregatio *die 16. Ianuarii 1617.* atque omnem contrariam consuetudinem abrogauit *12. Iulii 1268.* *Dominicus Bello in Collectaneis quæ ad Missam attinent n. 14. Gauantus part. 4. tit. 18. n. 13.*

§. 14. Oratio pro Patre & Matre Sacerdotis, non dicitur pro aliorum Patre aut Matre, & quando dicitur pro altero tantùm siue Patre, siue Matre semper dicitur initio Collectæ: *Deus qui nos Patrem, & Matrem honorare præcepisti.*

§. 15. Quando per annum est officium nouem lectionum de sancto, non dicitur Missa Conuentualis pro Defunctis (nisi in die Depositionis Defuncti, & in Anniuersario pro Defunctis) neque pro eis fit commemoratio, *Petrus Casa. noua in suis annotat.*

Roma im-pressis 1630.

moratio; idem fit in Quadragesima & tempore Paschali.

§. 16. In die Depositionis aut Anniuersarij ita dicit debet Missa solennis Defunctorum, vt non omittatur Missa conuentualis de officio occurrente, ratione cuius Canonici lucrantur distributiones; ex Decreto Sac. Rituum Congreg. 25 *Iunii* 611.

Si incidat dies obitus in feriam, aut festa in quibus non dicuntur Missæ votiuæ, tunc præter Missam conventualem vna Missa solemnis tantùm celebratur de *Requiem*; aliæ verò priuatæ de officio occurrente, applicandæ tamen sunt defuncto.

Gauantus part. 4. tit. 18. n. 18.

Si quis absens longè à nobis moriatur, si proximè obierit, Missa pro eo dici potest prima vice vt in die *Tertio*, omisso tamen verbo *Tertium*.

TITVLVS VI.

De Translatione Festorum.

1. IN dicendis Missis seruetur ordo Breuiarij de Translatione Festorum Duplicium & Semiduplicium, quando maiori aliquo Festo, seu Dominicâ impediuntur. In Ecclesijs autem, vbi titulus est Ecclesiæ, vel concursus populi ad celebrandum Festum quod transferri debet, possunt cantari duæ Missæ vna de die, alia de Festo: exceptâ Dominicâ primâ Aduentus, Feriâ quartâ Cinerum, Dominicâ primâ Quadragesimæ, Dominicâ Palmarum cum tota Hebdomada maiori, Dominicâ Resurrectionis, & Dominicâ Pentecostes cum duobus diebus sequentibus. Die Natiuitatis Domini, Epiphaniæ, Ascensionis, & Festo Corporis Christi.

Gauantus comment in Rubr. Missis part. 1. tit. 6.

ANNOTATIONES.

§. 1. Nota ex hac Rubrica nouissimè recognita & emendata solutiores leges Missæ quam Officij diuini, & quia populus concurrit ad audiendam potius Missam quam Vesperas, & alias Horas, ideo conceditur, possi-

posse fieri alteram Missam solemnem de festo translato, exceptis tamen diebus in Rubrica superius posita specificatis; quia ab horum dierum mysterijs ne minimùm quidem est aliò distrahendus populus.

§. 2. Quod si vnam tantùm velint aut possint celebrare ij, qui ad Missam tenentur cantandam ratione chori, eam non debent omittere quæ Officio correspondet. Et si Festum translatum admittat in Missa Symbolum, poterit etiam illud dici in hac Missa: in fine verò prædictarum duarum Missarum Euangelium dicitur S. Ioannis, non aliud Feriæ, vel Festi occurrentis. *Gauantus loco citato.*

§. 3. Prædictæ item duæ Missæ eâ ratione cantandæ erunt, vt altera de die post Horam congruentem altera de Festo (cùm nullam habeat cum Officio connexionem) post Nonam, si hoc accidat in Temporibus Pentecostes, ambæ quidem post Nonam, sed illa priùs de die quæ cum Officio concordat, posteà de Festo: Et licet in hoc casu nulla Hora sit media inter vtramque Missam; tamen quia est casus vnicus, & priuilegiatus ob concursum populi. *Gauantus ibidem.*

TITVLVS VII.

De Commemorationibus.

1. COmmemorationes in Missis fiunt sicut in Officio. De Festo Simplici fit commemoratio in Missa, quando de eo in Officio facta est commemoratio in primis vesperis. Quando autem de eo fit commemoratio tantùm ad Laudes, in Missa solemni non fit commemoratio de eo, sed in Missis tantùm priuatis. Excipitur Dominica Palmarum, & Vigilia Pentecostes, in quibus nulla fit commemoratio, etiam in Missis priuatis, de festo simplici occurrente, licet facta sit in Officio. De Dominica fit commemoratio, quando in ea agitur de festo Duplici. De Octaua fit commemoratio, quando infra Octauam celebratur aliquod Festum, nisi illud Festum fuerit de

de exceptuatis in Rubrica Breuiarij de Commemorationibus. Item quando infra Octauam fit de Dominica.

2. De Feria fit commemoratio in Aduentu, Quadrageſima, Quatuor Temporibus, Rogationibus, & Vigilijs, quando Miſſa dicenda eſt de Feſto illis temporibus occurrente. Sed in Eccleſijs Cathedralibus & Collegiatis, vbi plures Sacerdotes quotidie celebrant, in Ferijs, Rogationibus, & Vigilijs prædictis, quæ habent Miſſas proprias, dicuntur duæ Miſſæ vna de Feſto, alia de Feria, Rogationibus, & Vigilia, abſque vlla vtrorumque commemoratione: in feſtis tamen maioribus primæ claſſis nihil fit de Vigilia occurrente, vt dictum eſt ſuprà.

3. Quando infra Hebdomadam dicuntur Miſſæ votiuæ, poſt primam Orationem ſemper dicatur Oratio eius de quo fit Officium, vt ſupra explicatum eſt in propria Rubrica.

4. Quando fit commemoratio de Feria Quatuor Temporum, pro Feriæ commemoratione dicitur prima Oratio, quæ concordat cum Officio.

5. In faciendis commemorationibus ſeruetur ordo, vt in Breuiario. De Dominica, ante diem infra Octauam; de die infra Octauam, ante Ferias prædictas: de Ferijs prædictis, ante feſtum ſimplex: de feſto ſimplici, ante Orationes quæ ſecundo vel tertio loco dicendæ aſſignantur, & hæ dicantur ante Orationes votiuas: in quibus votiuis ſeruetur deinde dignitas Orationum, vt de S. Trinitate, de Spiritu Sancto, de Sacramento, de S. Cruce ante votiuam de B. Maria, & de Angelis, & S. Ioanne Baptiſta ante Apoſtolos, & ſimiliter in alijs.

6. Si facienda ſit commemoratio pro Defunctis, ſemper ponitur penultimo loco. In Miſſis autem

autem Defunctorum nulla fit commemoratio pro viuis, etiamsi Oratio esset communis pro viuis & defunctis.

7. Quando dicuntur plures orationes, prima tantùm & vltima cum sua conclusione terminantur: & ante primam & secundam Orationem tãtùm dicitur *Oremus*: ante primam dicitur etiam, *Dominus vobiscum.*

8. Cùm verò dicuntur plures Orationes, & vna Oratio eadem sit cum alia ibidem dicenda, Oratio huiusmodi, illa scilicet quæ eadem est, non aliæ, commutetur cum alia de Communi, vel Proprio, quæ sit diuersa. Idem seruetur in Secretis, & Orationibus post Communionem.

ANNOTATIONES.

§. 1. Rubrica hæc de cantandis duabus Missis, in Ecclesijs Cathedralibus & Collegiatis diebus in ea specificatis; est de re grauissima, & strictissimè à Canonicis obseruanda; tum quia præcipit Pius V. in virtute sanctæ obedientiæ in Bulla, vt decantetur Missa juxta normam, ritum, & modum à se præscriptum, hoc est, quandoque duæ; Tum quia altera earum sine commemoratione alterius juxta Rubricam superiùs expressam dici debet, & hoc modo altera non respondet integrè Officio diuino, in quo fit de Festo & Feria simul (Missa enim Conuentualis debet respondere integrè Horis Canonicis) tum etiam quia est ritus Ecclesiæ perantiquus. Præterea quia circumstantia illa temporis (post Tertiam altera, altera post Nonam) indicat esse notabilem ritum. Denique quia hac de re Missale suis locis expressè monet Lectorem ne obliuioni tradatur. *Gauantus comment. in Rubr. Missalis part. 3. tit. 11. n. 7.*

§. 2. Notandum quod ambæ Missæ cantari debent Choro præsente, nec sufficit, si altera legatur, multò minùs si dicatur priuatim, absente Choro, quia Rubricæ *Tit. 3. de Feria & Vigilia n. 1.* expressè sic habent *Cantantur duæ Missæ vna de Festo post Tertiam, alia de Feria post Nonam.* ex quo patet dum hoc in loco Rubrica habet, *dicuntur duæ Missæ* per verbum *dicuntur* explicandum sit, *cantantur.* Quod ita strictè obseruandum censet sacra Rituum Congregatio, vt die 16. *Maij* 1626. decreuerit, non posse omitti alteram ex duabus Missis cantandis *Gauantus part. 3. tit. 11 n. 8. & 11.*

ob

ob celebrationem Capituli Canonicorum; & iterum, hoc idem *die 16. Ianuarii* 1627. asseruerit, ne duæ Missæ etiam ex necessaria negotiorum causa & capitulari omittantur.

Gauantus part. 1. tit 7. n. 2. lit. h.

§. 3. Obseruandum deinde quod quando præscribuntur duæ Missæ cantandæ vna de festo, alia de Feria, aut Vigilia, si in Officio facta fuerit quædam commemoratio de Simplici, aut de die infra Octauam, hæc commemoratio facienda erit in Missa de festo, sed non in Missa de feria: Si verò faciendi sit commemoratio feriæ, aut Vigiliæ, fiet in Missa de feria, & non in Missa de Sancto.

Castaldus Praxi Cær. sect. 6. c. 3. n. 20.

§. 4. In quibus Ecclesijs, diebus Festis Sanctorum vna tantùm celebratur Missa; In ijs dum Rubrica duas præcipit cantandas Missas, Missa Conuentualis erit de Sancto celebraturque post Tertiam, & in ea fieri debet Commemoratio Feriæ, nam cessat ratio Rubricæ quæ ait in Ecclesijs Collegiatis, in quibus plures Sacerdotes quotidie celebrant.

Epitome Thesauri Sacrorum Rituum Part. I. tit. 7. n. 6.

§. 5. Occurrente festo Duplici in Dominica nunquam dicuntur duæ Missæ, vt in feriis priuilegiatis, quia Missa Dominicæ resumi potest in Dominica, & vtraque dicenda esset post Tertiam quod inconueniens censetur.

§. 6. Dicit Rubrica sub n. 5. huius tituli quod in faciendis commemorationibus seruandus sit ordo, in quibus non paucis magna est difficultas; sed facile erit, eas in ordinem debitum redigere, si orationes omnes quæ dici possunt in Missa in tres classes diuidamus. Prima erit orationum officij: Secunda ordinariarum. Tertia extraordinariarum. Orationes officij sunt illæ quæ dictæ fuerunt in officio, & hæ primum locum occupant. Secundæ sunt illæ quæ notantur secundò vel tertiò loco dicendæ, & hæ cedunt tantùm orationibus officij; Tertiæ sunt illæ quæ assumuntur ad libitum Sacerdotis, vel pro deuotione petentium, & hæ cedunt omnibus alijs v. g. si in officio semiduplici, fiat commemoratio de simplici, in Missa secunda oratio erit de simplici, tertia quæ secundo loco dicenda erat, puta, *A cunctis*, vel alia similis, & tertia (si sit ad libitum) poterit esse de sancto pro deuotione, nam sicut Oratio votiua v. g. de Spiritu Sancto cedit commemorationi Festi simplicis, ita cedere debet orationibus quæ secundo vel tertiò loco iubentur dici. Cæteris autem paribus attenditur dignitas eorum de quibus est Oratio. Quod etsi

Gauantus comment in Rubr. Miss. Part. 1 tit. 7 n. 5. lit. k.

etsi durum aliquibus videtur, est tamen rationabile legem præponi arbitrio priuati hominis, & ex communitatis præscripto agenda, omnino præponderant agendis ex priuato affectu, quem sequitur Sacerdos in orationibus votiuis, quæ non concordant cum Officio.

§. 7 Quod si occurrat alicubi festum nouem lectionum in Vigilia intra Aduentum; in Missa oratio de Aduentu dici debet ante orationem Vigiliæ vt constat ex n. 3. huius Tituli quod oratio secunda debeat esse de quo fit officium. *Gauantus loco cit. lit. n.*

§. 8 Rubrica sub n. 7. huius Tituli habet vt quando dicuntur plures orationes prima tantùm & vltima cum sua conclusione terminentur, quod semper obseruandum, exceptis tamen sequentibus actibus solennibus nimirum in Collatione Ordinum, Consecratione Episcoporum, Regum, Reginarum; item in benedictione Abbatum, Abbatissarum, Virginum, & Cœmiterij, his enim in casibus iuxta Pontificalis Romani præscriptum duæ vniuntur Orationes sub vno *Per Dominum*. Quod minimè faciendum in alijs Missis priuatis sub ijsdem actibus fortè celebrandis, non enim datur casus quod in Missis priuatis dicantur duæ orationes sub vna conclusione. *Gauantus loco cita. & par. 4. tit. 17 n. 15.*

§. 9. Progratiarum actione dicitur Missa de sancta Trinitate, vel de Spiritu Sancto, vel de beata Maria additis sub vna conclusione Orationibus quæ habentur sub fine Missalis recens recogniti & correcti post Missam votiuam de S. Trinitate ita vt in Missa solenni duæ tantùm dicantur Orationes sub vna duntaxat conclusione, in Missis vero priuatis sub diuersis conclusionibus Ad postulandam gratiam Spiritus Sancti dicitur Missa votiua de Spiritu Sancto quæ habetur in fine Missalis: sed mutatis Orationibus, dicuntur enim eæ quæ habentur in fine eiusdem Missæ votiuæ de Spiritu Sancto. *Gauantus loc. cit n. 8. lit. q.*

§. 10 In votiuis Conuersionis aut Commemorationis S. Pauli facienda est commemoratio S. Petri immediatè post primam Orationem, & idem ita in votiuis S. Petri fit commemoratio S. Pauli ne vnquam separentur, quos Ecclesia coniunxit. Sed meliùs est, earum vicedicere Missam votiuam communem de ijsdem Apostolis quæ habetur sub finem Missalis cum intentione venerandi conversionem S. Pauli aut cathedram vel vincula S. Petri. *Gauantus part. 4. tit. 17. n. 6.*

§. 11. Cùm

§. 11. Cùm dicuntur plures orationes, secretæ & post Communiones, & vna ex iis sit eadem cum alia, eo casu prima manet, altera mutatur; & ita accidit in praxi, quia Celebrans, qui non præuidit Secretas, dicit primam de sancto; mox aduertens secundam esse eandem, non potest mutare secundam. Sed mutatio de Dominica, aut Feria, aut de iis quæ sunt ad libitum fiet in proximè sequentem v.g. si fiat Officium de S. Martino Episcopo in Dominica 22. post Pentecosten, Orationes secretæ sunt eædem: sed tunc Secreta Dominicæ 22. mutabitur in Secretam Dominicæ 23. & sic de alijs. Dicitur in Rubrica quod illa quæ eadem est, non alia mutetur, quia si prima oratio sit eadem, & secreta diuersa, nulla est ratio mutandi secretam: idem dicendum est de post-Communione.

TITVLVS VIII.

De introitu, Kyrieeleyson, & Gloria in excelsis.

1. INtroitus semper eodem modo dicitur cum *Gloria Patri*, vt in Ordinario, præterquàm tempore Passionis, & in Missis Defunctorum, vt etiam ibi annotatum est.

2. *Kyrieeleyson* dicitur nouies post Introitum, alternatim cum ministro, id est, ter *Kyrieeleyson*, ter *Christeeleyson*, ter *Kyrieeleyson*.

3. *Gloria in excelsis* dicitur quandocunque in Matutino dictus est Hymnus *Te Deum*, præterquàm in Missa Feriæ quintæ in Cœna Domini, & Sabbati Sancti, in quibus *Gloria in excelsis*, dicitur, quamuis in Officio non sit dictum, *Te Deum*.

4. In Missis Votiuis non dicitur, etiam tempore Paschali, vel infra Octauas, nisi in Missis beatæ Mariæ in Sabbato, & Angelorum: & nisi Missa Votiua solemniter dicenda sit pro re graui, vel pro publica Ecclesiæ causa, dummodo non di-

catur

catur Missa cum paramentis violaceis. Neque dicitur in Missis Defunctorum.

ANNOTATIONES.

§. 1. Si ex graui necessitatis causa fuerint Sabbato sancto aliæ (præter publicum Summum Sacrum) de licentia Superioris celebrandæ Missæ, eo casu fortè sufficit incipere à Confessione, quâ finitâ, sine *Introitu*, dicat Sacerdos *Kyrieeleyson* nouies, & reliqua cum vesperis vsque ad finem Missæ qua dere vide Gauantum, loco hic citato. *Gauantus part. 4. tit. 10. n. 43. & 44.*

§. 2. *Gloria in excelsis* dicitur in omnibus Missis votiuis B. Mariæ quæ celebrantur in omni Sabbatho, etiam Aduentus, Quatuor Temporum, vigiliarum, seu festi semiduplicis, licet non sit factum de ea Officium, non verò aliis diebus extra Sabbathum etiamsi in Altari vel Ecclesia B. Mariæ Virgini dicata celebrentur, nisi ex priuilegio particulari quale dicitur concessum Ecclesiæ B. Mariæ Virginis Lauretanæ, vt ibidem in omnibus Missis de eadem dici queat *Gloria in excelsis*. *Gauantus comment in Rubr. Miss. part. 1 tit. 8. sub. n. 4. lit. b.*

§. 3. Idem *Gloria in excelsis* dicitur in Missa de Sancto, eo die quo in Calendario aut Martyrologio notatur, etiamsi non fiat Officium, nec commemoratio de eo. Non dicitur in Missa in qua vtimur colore violaceo etiamsi fiat pro re graui, & solemniter ex S. Rituum Congregatione 19. *Maij* 1607. & expressè habetur hac in Rubrica suprà n. 4. Res autem grauis censetur pro qua conuenit totus Clerus cum Episcopo in Ciuitate videlicet, vel alio in loco, vbi populus conuenit cum vniuerso Clero, solenniter pro publica causa, vel re graui; quænam censeatur publica causa habetur infrà: Tit. XI. §. 5. *Gauantus loco citato.*

§. 4. Non etiam dicitur *Gloria in excelsis* in Vigiliarum Missis quæ veniunt infra Octauas; licet in Officio dictum sit *Te Deum laudamus* quia hæ Missæ non concordant cum Officio. Et habetur hic ritus in Missali in Vigilia Apostolorum Petri & Pauli, quæ venit infra Octauam Natiuitatis S. Ioannis Baptistæ & in Vigilia Assumptionis B. Mariæ Virginis, quæ cadit infra Octauam S. Laurentij. *Gauantus loco cit. lit. c.*

§. 5. Errant grauiter qui ferè in omnibus Missis Votiuis non solùm B. Mariæ Virginis, sed etiam alijs, dicunt Anglicum Hymnum *Gloria in excelsis* & illum omittendo magnam iniuriam inferri isti Sancto putan *Gauantus loco citat. sub num. 4.*

tant in cuius honore Missam votiuam celebrant, hoc suam particularem deuotionem præferentes auctoritati Ecclesiæ aliter mandantis, & nullam facientes inter commemorationem & solemnitatem differentiam, quam omnes vtique facere tenentur qui diligunt decorem domus Dei. nam sicut decor est illum in festiuitatibus recitare, ita decor est priuatis diebus illum omittere, vt appareat differentia inter solemnitatem & commemorationem, iucundius etiam in festiuitatibus suscipitur, quod in profestis supprimitur & tacetur.

c. consilium de celebrat. Missarum.

§. 6. Idem porrò Hymnus *Gloria in excelsis* tum in Missis priuatis, tum solennibus, tum etiam in Choro vno eodemque modo dicendus est, non additis amplius ijs verbis, quæ multis in Missalibus habentur, & ante Pium V. Pontificem Maximum in dicto Hymno Sacerdotibus in honorem B. Mariæ Virginis addebantur videlicet *Domine fili vnigenite Iesu Christe Spiritus & alme orphanorum Paraclete, Domine Deus, Agnus Dei filius Patris Primogenitus Mariæ Virginis Matris, Qui tollis peccata mundi, suscipe deprecationem nostram. Ad Mariæ gloriam. Qui sedes ad dexteram Patris miserere nobis. Per Mariæ meritum. Quoniam tu solus Sanctus, Mariam sanctificans Tu solus Dominus, Mariam gubernans, Tu solus altissimus, Mariam coronans Iesu Christe.*

Gauantus loco cit. sub lit. z.

TITVLVS IX.

De Orationibus.

1. IN festis Duplicibus dicitur vna tantùm Oratio, nisi facienda sit aliqua commemoratio, vt dictum est suprà.

2. In festis semiduplicibus occurrentibus ab Octaua Pentecostes vsque ad Aduentum, & à Purificatione usq; ad Quadragesimam dicitur secunda Oratio *A cunctis*, tertia ad libitum.

3. In festis semiduplicibus occurrentibus ab Octaua Epiphaniæ vsque ad Purificationem, dicitur secunda Oratio, *Deus qui salutis*; tertia *Ecclesiæ*, vel pro Papa, *Deus omnium fidelium.*

4. In

4. In festis semiduplicibus à Feria quarta Cinerum vsque ad Dominicam Passionis, secunda Oratio de Feria, tertia, *A cunctis.*

5. In semiduplicibus à Dominica Passionis vsque ad Dominicam Palmarum, secunda Oratio de Feria, tertia *Ecclesiæ*, vel pro Papa.

6. In festis semiduplicibus ab Octaua Paschæ vsque ad Ascensionem, secunda Oratio de S. Maria, *Concede nos*: tertia, *Ecclesiæ*: vel pro Papa.

7. In festis semiduplicibus infra Octauas occurrentibus, secunda Oratio dicitur de Octaua, tertia, quæ secundo loco infra Octauam ponitur.

8. Infra Octauas Paschæ, & Pentecostes, in Missa de Octaua dicuntur duæ tantùm Orationes, vna de die, alia *Ecclesiæ*, vel pro Papa.

9. Infra alias Octauas, & in Vigilijs quæ ieiunantur (excepta Vigilia Natiuitatis Domini, & Pentecostes) dicuntur tres, vna de die, secunda de S Maria, tertia *Ecclesiæ*, vel pro Papa. Sed infra Octauas S. Mariæ, & in Vigilia, & infra Octauam omnium Sanctorum, secunda Oratio dicitur de Spiritu Sancto, *Deus qui corda*; tertia *Ecclesiæ*, vel pro Papa.

10. In Dominicis infra Octauas occurrentibus dicuntur duæ Orationes, vna de Dominica, secunda de Octaua: & in die Octaua dicitur vna tantùm Oratio, nisi facienda sit aliqua commemoratio.

11 In Dominicis dicuntur tres, vt in Ordinario assignantur, quibusdam exceptis, vt suis etiam locis notatur.

12. In festis simplicibus, & Ferijs per annum, nisi aliter in proprijs locis notetur, dicuntur tres, vt in semidupl cibus aut quinque: possunt etiam dici septem ad libitum.

13. In Ferijs Quatuor Temporum, & vbi plu-

res leguntur Lectiones, huiusmodi plures Ora tiones dicuntur post vltimam Orationem an Epistolam, vt suis locis in proprio Missarum d Tempore.

14. In Missis votiuis, quando solenniter dicun tur pro re graui, vel pro publica Ecclesiæ causa dicitur vna tantùm Oratio: sed in Missa pro gra tiarum actione additur alia Oratio, vt in propri loco notatur. In alijs autem dicuntur plures, vti festis simplicibus.

15. In votiuis B. Mariæ secunda Oratio dicitu de Officio illius diei, & tertia de Spiritu Sancto sed in Sabbato, quando de ea factum est Offici um, secunda Oratio erit de Spiritu Sancto, terti *Ecclesiæ*, vel pro Papa, In votiuis de Apostolis quando ponitur Oratio *A cunctis*, eius loco dici tur Oratio de S. Maria, *Concede nos famulos.*

16. Si cùm plures dicuntur Orationes, occur rat fieri commemorationem alicuius Sancti, e ponitur secundo loco, & tertia Oratio dicitur quæ aliàs secundo loco dicenda erat.

17. In conclusione Orationum hic modus ser uatur. Si Oratio dirigatur ad Patrem, concludi tur, *Per Dominum nostrum, &c.* Si ad Filium, *Qui viuis & regnas cum Deo Patre.* Si in principio Ora tionis fiat mentio Filij, concluditur *Per eundem Dominum nostrum* Si in fine Orationis, eius fiat mentio, *Qui tecum viuit.* Si facta sit mentio Spiri tus Sancti, in conclusione dicitur; *In vnitate eius dem Spiritus Sancti, &c.* Alia quoque in dicendis Orationibus seruentur, quæ superiùs in Rubrica de Commemorationibus dicta sunt.

ANNOTATIONES.

Cauantus comment. in Rubr. Miss. part. 1. tit 9. n. 12.

§. 1. Imprimis sciendum quod etiamsi liceat plu res Orationes ad libitum dicere, hoc non esse intelli gendum eo sensu, vt quascumque velit quis dicat, sed eas priùs quæ in Rubricis assignantur pro secunda vel tertia,

tertia & tunc post illas, quæ magis placent addi possunt cum debito tamen ordine ac numero. Non enim licet relinquere eas Orationes quæ assignantur secundo vel terrio loco dicendæ, & alias in earum locum sufficere.

§. 2. A Dominica prima Aduentus, vsque ad Vigiliam Natiuitatis Domini, post orationem diei dicitur oratio *Deus qui Beatæ Mariæ & Ecclesiæ tuæ* vel *Deus omnium fidelium* vt in Missali ipsa Dominica prima Aduentus habentur. Si autem facienda sit commemoratio alicuius festi simplicis, post orationem diei dicitur Oratio de Sancto & tertia de S. Maria *Deus, qui de Beatæ Mariæ &c.* *Gauantus p. 1. tit. 9. n. 2 & p. 4. tit. 17 n. 30.*

§. 3. In tertia oratione ad libitum cauere debet sacerdos celebrans pro sua modestia, ne in Missa cui interest proprius Episcopus, vel eo maior, vel magnus Princeps dicat orationem pro seipso. tunc enim orandum est potius pro ipso Episcopo seu Principe præsente, idque ob reuerentiam eorundem maiorum.

§. 4. Dicitur sæpè Oratio *A cunctis*, quia ibi fit memoria de Sanctis, quorum sæpè fit commemoratio in Laudibus & Vesperis Horarum Canonicarum non tamen commemoratio de Cruce, quia tota Missa est de Cruce. Si seruetur Octaua de festo Purificationis Beatissimæ Mariæ Virginis, infra ipsam Octauam in Missa votiua, vel de Sancto celebrata, Orationes dicentur vt tempore Natiuitatis Domini. *Gauantus loco cit. par. 1. tit. 9. sub num. 2.*

§ 5. Litera N. in Oratione *A cunctis* exigit expressionē nominis Patroni, seu Titularis Ecclesiæ vbi celebratur. Aliquando additur cognomen familiæ, vel etiā nomen ab aliquo Catu aut alio modo, v. g. Petri Cælestini, Ioannis Chrysostomi, nunquam vero additur nomen ratione loci, vt Ioannis Damascēni, aut Nazianzeni quod in Officio & Missa seruari debet. Et licèt sit expressum in Calendario, vt Borromæi, non tamen dici debet in oratione nisi sit etiam expressum.

§. 6. Si Missa votiua dicatur de Patrono seu Titulari Ecclesiæ, Celebrans taceat in Oratione *A cunctis* nomen ipsius Patroni seu Titularis, ne de eodem bis fiat mentio in Collectis, vel ad libitum nominet vice illius alium pro sua deuotione. *Gauantus loco cit. par. 1 tit. 9 sub n. 15. lit h.*

§ 7. Aduerte in ipsa Oratione *A cunctis* pro dignitate Patroni nominandi in littera N. ante Apostolos nominationem fieri, vt S. Michaelis, vel S. Ioannis Baptistæ nomen præponitur Apostolorum nominibus, sicut decreuit *Gauantus loc. citat. part 4 tit 17 num. 29*

creuit S. Rituum Congregatio 22. *Augusti* 1620. atque Missali Vrbani Papæ VIII. auctoritate recognito præscribitur circa finem inter Orationes ad diuersa dicenda in Missa, ad libitum Sacerdotis.

Gauantus loco citat. sub n. 5.

§. 8. In festis semiduplicibus à Dominica Passionis vsque ad Dominicam Palmarum occurrentibus, dicuntur tantum duæ Orationes in Ecclesijs vbi duæ Missæ cantantur, videlicet vna de festo, alia *Ecclesiæ*, vel pro Papa. Vbi verò dicitur tantùm vnica, scilicet Missa de festo, dicuntur tres Orationes quarum secunda est de feria, tertia *Ecclesiæ* vel pro Papa sicuti etiam in Missis priuatis de festo, & etiam dicuntur in Missis votiuis tres.

Gauantus loco cit. n. 8. & par. 4. tit. 11. n. 2.

§. 9. Infra Octauas Paschæ, & Pentecostes, in Missa de Octaua si facienda sit commemoratio alicuius festi simplicis; omittitur tertia Oratio quæ deberet esse *Ecclesiæ*.

Gauantus loc. cit. sub n. 10.

§. 10. In Dominicis priuilegiatis, fit tantùm commemoratio de die Octaua, quæ non transfertur, & tunc in Missa secunda oratio erit de die Octaua. Neque tertia Oratio dicitur, quia dies Octaua est nobilior quàm dies Dominica infra Octauam, in qua duæ tantùm dicuntur.

Gauantus loco cit. sub n. 16.

§. 11. Si cum plures dicuntur Orationes, occurrat fieri commemorationem alicuius Sancti non ad libitum sacerdotis, sed eius, cuius facta est in officio commemoratio ponitur ea secundo loco, vt in Sabbato, quando factum est Officium B. Mariæ Virginis cum commemoratione festi simplicis, tunc enim oratio de Spiritu Sancto erit tertio loco dicenda quod etiam valet in Missis non votiuis. Atque hinc ille ritus non multùm placet dicendi quatuor Orationes in ferijs Quadrageſimæ, primam de feria, secundam de Vigilia, vel festo simplici tertiam *Acunctis*, & quartam *Omnipotens* vel adde quintam, vel deme quartam.

Gauantus loco cit. sub n. 16.

§. 12. Quando contingit a Summo Pontifice, aut Episcopo Diœcesano mandari, vt pro publica Ecclesiæ causa quotidie dicatur Oratio *Deus refugium nostrum*, aut alia; tunc Oratio hæc dicitur loco tertiæ ad libitum, vel additur tanquam commemoratio in Duplicibus, Semiduplicibus, & Dominicis. At Sacra Rituum Congregatio *die* 28. *Augusti* 1627. omitti decreuit regulariter prædictam Orationem in festis primæ classis; In festis verò secundæ classis communior vsus habet, vt addatur in Missis priuatis, & in solennioribus omittatur.

Ita

Ita verò addatur hæc oratio, vt nulla omittatur ex ijs, quæ in Missali cuique Missæ singillatim & nominatim assignantur.

§. 13. Quidam in Missis festi duplicis instar collectæ festi simplicis addere solent orationem pro infirmis, nauigantibus, peregrinantibus aut alijs priuatis necessitatibus. Consultiùs tamen, qui Rubricas strictè obseruare voluerit faciet, si omissis huiusmodi Orationibus deuotioni, vel occurrentibus necessitatibus, ipso sacrificio quod offertur, nec non interiori actu mentis in ipso *Memento* satisfacere studeat. acceptior enim erit deuotio Celebrantis si obedientiam præstando, iuxta statutos ritus, suum exequatur munus, & facilius quod intendit, propitiatorio, atque impetratorio sacrificio cõsequetur, & ideo summo studio omnia & singula, quæ in Rubricis habentur, ne ipsis quidem minutioribus parcendo, obseruare oportet.

Castaldus praxi carem. lib. 2. Sect. 8. c. 3. n. 6.

§. 14 Oratio de Spiritu sancto in Missis votiuis Beatissimæ Mariæ, semper dicitur, etiam tempore Aduentus, Passionis, & Paschali, sed Oratio *A cunctis* nunquam in Missis B. Mariæ dicitur, ne noua fiat mentio de eadem.

§. 15. In Missa de Sancto, de quo non recitatur Officium, sed Missa tantùm, ad eiusdem Altare, in die festo illius, dicuntur tres Orationes, secunda de eo de quo factum est Officium; tertia quæ aliàs secundo loco dicenda erat. Est enim hæc Missa ex votiuo & festiuo mixta. Ex votiuo, quia discordat ab Officio, ex festiuo, quia eo die obijt Sanctus de quo Missa: & ideo dicitur in ea Hymnus Angelicus.

§. 16. In Oratione pro Imperatore, si non est coronatus, additur electi titulus, sicut circa finem Missalis Vrbani Papæ VIII. auctoritate recogniti ad Orationem pro Imperatore annotatur.

TITVLVS X.

De Epistola, Graduali, Alleluia, & Tractu, ac de Euangelio.

1. POst vltimam Orationem dicitur *Epistola*, qua finitâ à ministris respondetur *Deogratias*. Et similiter quando leguntur plures Lectio-

nes, post singulas dicitur, *Deo gratias*, præterquam in fine quintæ Lectionis Danielis in Sabbato Quatuor Temporum, & in fine Lectionum Feriæ sextæ in Parasceue, & Sabbati Sancti.

2. Post Epistolam dicitur *Graduale*, quod semper dicitur, præterquam Tempore Paschali, cuius loco tunc dicuntur duo versus, vt habetur in Rubrica in Sabbato in Albis,

3. Post Graduale dicuntur duo *Alleluia* deinde versus, & post versum, vnum *Alleluia*, Tempore Paschali, quando non dicitur Graduale, dicitur aliud *Alleluia*, post secundum versum: & quando dicitur *Sequentia*, non dicitur post vltimum versum, sed post *Sequentiam*.

4. A Septuagesima vsque ad Sabbatum sanctum non dicitur *Alleluia*, neque dicitur in Missis de Feria in Aduentu, Quatuor Temporibus, & Vigilijs quæ ieiunantur, exceptis Vigilia Natiuitatis Domini, si venerit in Dominica, & Vigilia Paschæ & Pentecostes, ac Quatuor Temporibus Pentecostes Nec dicitur in Festo SS. Innocentium, nisi venerit in Dominica.

5. A Septuagesima vsque ad Pascha, eius loco dicitur Tractus, qui Tractus prædicto tempore in aliquibus Ferijs non dicitur, vt suis locis ponitur: nec dicitur in Ferijs à Septuagesima vsque ad Quadragesimam, quando repetitur Missa Dominicæ.

6. Dicto Graduali, seu Alleluia, seu Tractu, dicitur *Euangelium*. Et in principio Euangelij dicitur *Dominus vobiscum* Resp *Et cum Spiritu tuo*; deinde *Sequentia Sancti Euangelij* secundum N. Resp. *Gloria tibi Domine*. In fine Euangelij à ministro respondetur. *Laus tibi Christe*: quod etiam dicitur in fine illius partis Passionis, quæ legitur in tono Euangelij, præterquam in Parasceue. Postea si dicendum est, dicitur *Credo*.

ANNO-

ANNOTATIONES.

§. 1. In Missis de Ferijs in Aduentu, omittitur *Alleluia* cum suo versu, sed non in votiuis, quæ dicuntur eo tempore.

§. 2. *Alleluia* dicitur in Festo SS. Innocentium in Ecclesia vbi sunt Patroni aut Titulares. Infra Octauam Paschæ, si dicitur Missa solemnis votiua, duplex *Alleluia* dicitur, licet dicatur *Graduale* in Missa de Octaua.

§. 3. Sequentiæ *Veni sancte Spiritus* & *Lauda Sion Saluatorem* non dicuntur in Missis Votiuis de Spiritu sancto aut de Corpore Christi, etiamsi dicantur tempore Paschali & solenniter. In quibusdã Ecclesijs est consuetudo, dicendi Sequentias etiam in festo Patroni aut aliorum festorum. Romana verò Ecclesia nonnisi in quatuor Missis vtitur Sequentijs, nimirum, in festis Paschæ; Pentecostes, Corporis Christi & per Octauas eorum, nec non in Missis Defunctorum.

TITVLVS XI.

De Symbolo,

1. SYmbolum dicitur post Euangelium in omnibus Dominicis per annũ, etiam si in illis fiat de Festo in quo aliàs non diceretur, vel Dominica vacet. In tribus Missis de Natiuitate Domini, & deinceps vsq; ad Octauam beati Ioannis Apostoli inclusiuè. In Epiphania, & per Octauã Feriâ quintâ in Cœna Domini. In Paschate Resurrectionis, & per Octauã. In Ascensione Domini, & per Octauã In Pentecoste, & per Octauã In Festo Corporis Christi, & per Octauã. In omnibus Festis B. Mariæ, & per Octauas. In festis duodecim Apostolorũ, & Euangelistarũ, & per Octauas. In vtraque Cathedra S. Petri, & in Festo S. Petri ad Vincula. In Festis Conuersionis & Cõmemorationis S. Pauli Apostoli In Festo S. Ioannis ante Portam Latinã In Festo S Barnabæ Apostoli. In Festis Inuẽtionis, & Exaltationis S. Crucis, In Trãsfigura-

figuratione Domini. In Festis Angelorum. In Festo S. Mariæ Magdalenæ. In Festis quatuor Doctorum; videlicet Gregorij, Ambrosij, Augustini, & Hieronymi, addito Festo S. Thomæ de Aquino, & S Bonauenturæ Item in Festis Doctorum Athanasij, Basilij, Gregorij Nazianzeni, & Ioannis Chrysostomi. In die Octauarum S Ioannis Baptistæ, & S. Laurentij. In Festo Omnium Sanctorum, & per Octauam. In Dedicationibus Sancti Saluatoris, & Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli. In Anniuersario Dedicationis propriæ Ecclesiæ & per Octauam. In die Consecrationis Ecclesiæ, vel Altaris. In Festis Sanctorum quibus dedicata est Ecclesia, & vbi habetur Corpus, vel insignis reliquia Sancti, de quo agitur. In die Creationis, & Coronationis Summi Pontificis, & in Anniuersario eiusdem diei. In die & in Anniuersario Electionis & Consecrationis Episcopi. Item in omnibus Festis, quæ in Dominicis, & infra Octauas celebrantur, in quibus ratione Dominicæ & Octauæ dici debet. Item in Festo Patroni alicuius loci, vel tituli Ecclesiæ (non autem alicuius Capellæ, vel Altaris) & in Festis principalibus Ordinum, & per eorum Octauas, in Ecclesijs tantùm illius Ordinis. Item dicitur *Credo* in Missis votiuis, quæ solenniter pro re graui, vel publica Ecclesiæ causa celebrantur, etiam si dicantur in Paramentis violaceis in Dominica.

ANNOTATIONES.

§. 1. Symbolum dicitur in Missa vt suprà in Rubrica specificatur, & in Missali suis proprijs locis notatur, præterea singulis diebus Dominicis & infra Octauas Sanctorum in quorum festo, dicitur Symbolum.

Gauantus comment. in Rubr. Miss. Part. 1. Tit. 11 n. 1. lit. h.

§. 2. In festo Translationis Sanctorum non dicitur *Credo* nisi Officium sit duplex, quod Translationi principalis tantùm Patroni concedere solet S. Rituum Congregatio. Si tamen sit festum Translationis alicuius Sancti qui requirat Symbolum in festo proprio v. g. si sit

Doctor

Doctor Ecclesiæ, vel Apostolus &c. videtur dicendum etiam Symbolum licet festum sit tantùm semiduplex; idem videtur dicendum qualibet feriâ quintâ in Missâ de SS. Sacramento in Ecclesijs in quibus fit Officium de Corpore Christi sub ritu semiduplici, quod & dicendum videtur in Sabbato ad Missam de B. Maria Virgine, quando seruatur Officium de ea sub ritu semiduplici, sicut dicitur in Dominicis quæ sunt tantùm semiduplicia festa. Quæ tamen meliori iudicio submittuntur.

§. 3. Rubrica concedit vt in festis Sanctorum quibus dedicata est Ecclesia, & vbi habetur corpus, vel insignis Reliquia sancti de quo officium duplex & Missa celebratur, dici queat symbolum; quæ vero sit insignis Reliquia Sancti, ratione cuius dici possit *Credo* Sacra Rituum Congregatio declarauit esse, Caput, Brachium, Crus, aut illam partem corporis in qua passus est Martyr modo sit integra, nec nimis parua & legitimè ab Episcopis Ordinarijs Diœcesanis approbata & de sanctis quorum nomina saltem in Martyrologio leguntur sicut ex eiusdem Congregationis Decreto, Breuiarijs Romanis auctoritate Vrbani Papæ VIII, recognitis, præfixo, fusiùs licet videre. Quod si Corpus habeatur integrum, aut illius magna pars, à fortiori Symbolum in Missa recitari debet: vti declarauit S. Rituum Congregatio *die* 3 *Iunij* 1617. & *die* 8. *Aprilis* 1628. *Gauantus loco citato.*

§. 4. In Missis Vigiliarum, quæ veniunt infra Octauas, habentes Symbolum; non dicitur *Credo*, sicut neque dicitur *Gloria in excelsis* quod habetur in Missali ex simili Rubrica in Missa Litaniarum maiorum in festo S. Marci, eadem est ratio in his Ferijs maioribus: imò à fortiori, si non in Rogationibus, ergo nec in Vigilijs, quibus illæ præstant. Atque consequenter non dicitur in Missis votiuis, quæ non pro re graui, vel publica Ecclesiæ causa infra Octauam aliquam, aut in festo aliquo, in quo aliàs dicendum esset, celebrarentur. *Gauantus ibidem lit. n.*

§. 5. In festo alicuius Patroni Altaris, aut Capellæ, in hac Rubrica non specificato, vti Rubrica expressè dicit, non dicitur *Credo* etiam si sit magnus populi concursus, solus enim concursus populi non facit vt legitimè dicatur *Credo*: alioquin in Ecclesijs ruralibus in omnibus festis dicendum esset *Credo*. *Gauantus loco citato*

§. 6. Videtur etiam dicendum *Credo*, si celebretur Missa solenniter pro re graui, vel publica Ecclesiæ causa cum paramentis violaceis, in festis quæ illud requirũt,

v.g. Apostolorum, aut Doctorum &c. Nunquam tamen dicitur *Credo* in Missis votiuis priuatis. Est autem res grauis pro qua conuenit Episcopus cum Clero & populo. Publica verò causa dicitur ob quam Oratio fit solemnis 10. vel 40 horarum per gyrum, & quando fiunt Comitia generalia seu prouincialia Regularium pro electione Officialium, in his enim & similibus casibus dicuntur *Gloria in excelsis*, vnica Oratio, *Credo* & Præfatio in Missis tantùm solemnibus, minimè autem in Missis priuatis eodem tempore dicendis; vt bene annotauit Dominicus Bello in suis collectaneis sub *num.* 26. Romæ impressis 1630.

§. 7. Dicendum erit *Credo* in Vigilijs Natiuitatis Domini, & Epiphaniæ, & in Octaua SS. Innocentum, si venerint in Dominica, nimirum ratione Dominicæ.

TITVLVS XII.

De Offertorio, Secretis, Præfationibus, & Canone.

1. POst Symbolum, vel si non dicendum, post Euangelium, dicitur *Dominus vobiscum*, *Oremus*, deinde *Offertorium*: posteà fit oblatio cum Orationibus, vt in ordine Missæ. Quâ oblatione factâ, dicuntur *Orationes Secretæ*, secundum numerum Orationum quæ clarâ voce in principio dictæ sunt: sed ante primam Orationem non dicitur, *Dominus vobiscum*, nec aliquid aliud, sed dicto. *Suscipiat Dominus sacrificium*, absolutè dicuntur: neque etiam ante secundam Orationem dicitur *Oremus*. Terminatur autem prima & vltima Oratio, vt dictum est supra in Rubrica de Orationibus. & secretò dicuntur vsque ad illa verba in conclusione, *Per omnia sæcula sæculorum*, quæ clarâ voce proferuntur, & incipitur *Præfatio*.

2. Præfationes autem dicuntur vt in ordine Missæ annotatum est. & quæ in Quadragesima, Tempore Passionis, & Paschali, & infra Octauas propriæ assignantur, dicuntur etiam in Dominicis

cis

cis & Festis quæ illis temporibus celebrantur: nisi illa Festa propriam Præfationem habeant.

3. Si infra Octauam alicuius Festi, quod habet Præfationem propriam, occurrat Festum ex maioribus non habens propriam Præfationem, dicitur Præfatio de Octaua, quamuis de ea nulla fiat commemoratio in Missa.

4 In Missis votiuis dicitur etiam Præfatio propria si propriam habeant, si verò non habuerint, dicitur Præfatio de tempore, vel Octaua, infra quam contigerit huiusmodi Missas celebrari: alioquin Præfatio communis. Et quando aliqua Missa votiua pro causa publica solenniter celebratur, dicitur in cantu solenni vt in Duplicibus. In Missis Defunctorum quocunque tempore semper dicitur Præfatio communis.

5. Post Præfationem incipitur *Canon Missæ* secretò, in quo seruentur omnia vt in ordine Missæ. Vbi verò infra actionem *Communicantes*, & *Hanc igitur*, vel alia variari contingit, suo loco in proprijs Missis adnotatur.

ANNOTATIONES.

§ 1. Ad Orationes secretas semper omittitur *Oremus*, quia Orationes dicendæ sunt secretò, ergo non potest dici *Oremus* quia nullus est qui audiat inuitantem. Orationes verò prædictæ dicuntur eodem modo quo ante Epistolam excepto *Oremus* & *Dominus vobiscum*.

§ 2. In secretis Orationibus terminatur prima, & vltima Oratio, vsque ad finem vt in Orationibus ante Epistolam Et reuera verba illa (*Orationes dicuntur secretò vsque ad illa verba in conclusione Per omnia sæcula sæculorum*) non impediunt quo minùs prima Oratio secreta, cùm plures dicuntur, terminetur integrè & secretò, vsque ad finem. In quo non pauci errant.

§. 3. In Missa solenni de feria priuilegiata, dicitur Præfatio communis non autem de festo occurrente; In Missa de Litanijs maioribus in festo S. Marci dicitur Præfatio de tempore Paschali tono feriali etiam infra Octauas Paschæ, non autem de Apostolis, nec de Octaua Paschæ, quia hæc est solennis. Item dicendum de Litanijs

Gauantus comm. in Rubr. Miss. part. 1. tit. 12 num. 2. lit. c.

nijs minoribus, ita vt dicatur Præfatio de tempore Paschali in tono feriali, licèt in alijs Missis dicatur Præfatio de festo. Similiter in Missa feriæ quartæ Quatuor temporum occurrentium in die Natiuitatis B. Mariæ: & etiam in festo S. Thomæ quando occurrit in quatuor temporibus Aduentus; eodem modo in Missis Vigiliæ Natiuitatis S. Ioannis, aut Apostolorum Petri & Pauli, dum infra Octauam Corporis Christi occurrunt, Præfatio communis non de festis dicitur, ita *S.* Rituum Congregatio 12. *Decemb.* 1612.

Gauantus ibid. sub n. 5. litt. d.

§. 4. Missæ votiuæ infra Octauam Natiuitatis Domini non aliam habent Præfationem quam de eiusdem Natiuitate, quamuis propriam habeant aliundè; sicut & festum Sancti Ioannis Apostoli & Euangelistæ, argumento à fortiori.

Gauantus loco citato n. 5. sub litt. g.

§. 5. Non ideo *Communicantes* vnitur Præfationi vt simul vel dicantur vel omittantur: sed vt facilius vtrumque reperiatur. Datur enim casus quo separari debeat *Communicantes* à sua Præfatione, vt si infra Octauam Ascensionis Domini occurrat festum Sanctorum Philippi & Iacobi, Præfatio erit de Apostolis, *Communicantes* de Ascensione licet in Missa nulla fiat commemoratio de Octaua, idemque contingere potest in Inuentione S. Crucis & in Missis solennibus votiuis quæ dicuntur intra eandem Octauam & habent Præfationem propriam, vt definijsse Sacram Rituum Congregationem 28. Augusti 1627. testatur Dominicus Bello in Collectaneis ad Missam attinentibus Romæ 1630. impressis sub n. 31. ratio esse potest, quia *Communicantes* habet intra illam Octauam quasi rationem de tempore sicut haberet etiam Præfatio de Octaua in prædictis festis, si propriam Præfationem non haberet vt dictum fuit supra in Rubricis n. 3. & 4. Et quamuis nulla fiat commemoratio de Octaua, dicitur tamen *Communicantes*; sicut in Officio dicitur ad Primam & alias Horas in fine Hymnorum in prædictis festis.

Iesu tibi sit gloria.
Qui victor in cœlum redis.

§. 6. *Communicantes* nunquam dicitur in Missis Defunctorum intra quascumque Octauas fortè dicendis.

TITV-

TITVLVS XIII.

De Communione, Orationibus post Communionem, Ite Missa est, vel Benedicamus Domino, de Benedictione, & Euangelio S. Ioannis.

1. EXpleto Canone, & alijs omnibus vsque ad Communionem, eâ peractâ dicitur *Communio & Orationes post Communionem*, eodem modo & ordine vt in principio Missæ: & repetito *Dominus vobiscum*, dicitur, *Ite Missa est*, vel, *Benedicamus Domino*, pro temporis ratione. *Ite Missa est*, dicitur quandocumque dictum est, *Gloria in excelsis*. Cùm non dicitur, eius loco dicitur, *Benedicamus Domino*. Resp. *Deo gratias* In Missis Defunctorum dicitur, *Requiescant in pace* Resp. *Amen*.

2. Dicto *Placeat*, datur *Benedictio*: quæ à Celebrante semper datur in Missa, præterquam in Missis Defunctorum. Deinde legitur Euangelium S. Ioannis, *In principio*, præmisso *Dominus vobiscum*, & *Initium*, vt moris est: quod Euangelium nunquam præmittitur in Missa, nisi quando fit de Festo in aliqua Dominica, vel Feria quæ habet Euangelium proprium, quod legitur eius loco. Excipitur Dominica quarta Aduentus, cuius Euangelium non legitur in fine Missæ, quando in ea occurrit Vigilia Natiuitatis Domini, quia nec in Officio lectum est. In tertia Missa de die Natiuitatis Domini legitur in fine Euangelium de Epiphania, *Cum natus esset Iesus*. Et in Dominica Palmarum in Missis priuatis legitur Euangelium quod ponitur in benedictione Palmarum, quod etiam lectum est in Officio. In vigilijs quæ occurrunt in Quadragesima, vel Quatuor Temporibus, non legitur Euangelium Vigiliæ in fine

Missæ. Et similiter in Missis votiuis nunquam legitur in fine aliud Euangelium, nisi S. Ioannis.

ANNOTATIONES.

Gauantus comment. in Rubr. Miss. Part. 1. tit. 13. sub n. 2. lit. u.

§. 1. Quando dicuntur duæ Missæ altera de festo, & altera de feria, absque vlla vtrorumque commemoratione, legitur Euangelium S. Ioannis in fine vtriusque.

§. 2. Euangelium respondens Officio vel nobiliori loco legendum, vel omnino omittendum. Idcirco in votiuis semper dicitur Euangelium *S.* Ioannis.

§. 3. Errant contra supradictã Rubricam, qui in tertia Missa Natiuitatis Domini bis recitant Euangelium S. Ioannis in initio, & fine Missæ, cum post tertiam illam Missam loco prædicti Euangelij dicendum sit Euangelium. *Cum natus esset Iesus* quod habetur in die Epiphaniæ Domini vt suprà annotatum.

§. 4. Si occurrat Vigilia infra Octauam Corporis Christi, quia Missæ priuatæ sunt de Octaua, in his debet dici Euangelium de Vigilia, in fine Missæ, quia dictum est Euangelium ad Matutinas.

TITVLVS XIV.

De ordinanda Missa ex supradictis Rubricis.

1. SVpradictis Rubricis cognitis si quis velit ordinare Missam diei, recurrat ad Ordinarium Missarum de Tempore, vel de Sanctis, secundum qualitatem Officij. Si proprium non habeat, recurrat ad Commune Sanctorum. Si de Feria agendum sit, & propria Missa non fuerit de Feria, dicatur Missa præcedentis Dominicæ, omissis *Gloria in excelsis*, & *Symbolo*: præterquàm Tempore Paschali, in quo semper dicitur *Gloria in excelsis*, vt suprà, exceptâ Missâ Rogationum: & in Aduentu prætermittitur *Alleluia* post *Graduale*, cum suo Versu. Si dicenda sit Missa votiua, requi-

requiratur post Commune Sanctorum suo loco. Si plures Orationes dicendæ sint, requirantur post Missas Votiuas, suo loco de singulis rebus singulæ Si pro Defunctis dicenda sit Missa, habetur post Missas votiuas, cum Collectis diuersis, circa finem Missalis Ordo totius Missæ, cum Præfationibus, Canone, & alijs dicendis, habetur suo loco, cum proprio Missarum de Tempore.

ANNOTATIO.

Hic aduertendum quòd Missæ, quæ in Missali Romano non habentur, aut à Sede Apostolica nondum approbatæ, aut à Sacra Rituum Congregatione expressè reiectæ, licitè celebrari non possint. Vnde Missa *de quindecim Auxiliatoribus*, reiecta est a Sacra Rituum Congregatione *die* 16. *Ianuarij* 1617. ita, vt neque retineri possit in calce Missalis, sub pœnis librorum prohibitorum: eodemque modo reiecta est Missa de *Patre æterno*, & Missa *de S. Gregorio pro viuis & Defunctis*. Similiter Missæ certis Regularibus tantùm concessæ, puta de Sanctis Ordinis eorum, aut alijs quæ non habentur in Missali Romano, non possunt ab alijs dici, nec etiam in ipsorummet Regularium Ecclesijs, ex Decreto Sacræ Rituum Congregationis 19. *Nouemb.* 1612. neque à Capellanis sæcularibus proprijs in Ecclesijs Monialium quæ Romano non vtuntur Breuiario Quo casu Missam quidem proprij Capellani, recitabunt de Sancto, de quo Moniales Officium, sed cum Missali Romano, vt in Proprio de Sanctis, vel de Communi; quod eadem sacra Congregatio Rituum decreuit *die* 20 *Nouemb.* 1628. Vnde si dicenda esset *Missa Sacratissimi Rosarij*, concessa tantùm Ordini Prædicatorum, & alijs prohibita à Sacra Rituum Congregatione *die* 25 *Iulij* 1622. & *die* 8. *Aprilis* 1628. fiat Missa vt in festo S. Mariæ ad Niues, vel dicatur Votiua ex quinque assignatis pro diuersitate temporum, quod & obseruandum *de Missa Sanctæ Mariæ de Carmelo* non omnibus communis, sed tantùm Carmelitis. Quod si vero nulla sit Missa in Missali Romano, quæ concordet cum Officio Monialium, puta de nomine Iesu, de Spinea Corona & similibus, eo casu Missam de Cruce, vel Passione recitare poterunt; vel certè pro debita licentia adeant sacram eamdem Congregationem; Quia illa quas-

Gauantus Part. 3. Tit. 10. n. 16. & part. 4. Tit. 15. n. 22. & Tit. 17. n. 9. & 14.

quascumque Missas sicut etiã Officia ab eadẽ nõ appro bata prohibuit, reiecit omnino, & damnauit respectiue & pro prohibitis, reiectis & damnatis haberi voluit, Aprilis 1628. De hoc Decreto testatur Dominicus Bell in Collectan. ad Missam attinentibus n. 40. Romæ im pressis 1630. Sicut & patet ex eiusdem S. Congregatio nis Decreto, Missali Romano auctoritate Vrbani Papæ VIII. recognito præfixo.

finito Te aurora, di die post T Apostoli

5. Mi ficio, si sc publica E dicantur

TITULUS XV.

De Hora celebrandi Missam.

§. 1. N ridiem M autem au ma solis i uisibili, s ma talis attendat minari s probatan non ita n post tran tim ratio

1. MIssa priuata saltem post Matutinum & Laudes quacumque hora ab aurora vsque ad meridiem dici potest.

§. 2. Conc. Tr vt decla cilijinte

2. Missa autem Conuentualis & solemnis, sequenti ordine dici debet: In Festis Duplicibus, & Semiduplicibus, in Dominicis, & infra Octauas, dicta in choro Hora Tertia. In Festis simplicibus & Ferijs per annum, dicta Sexta. In Aduentu, Quadragesima, Quatuor Temporibus, etiam infra Octauam Pentecostes, & Vigilijs quæ ieiunantur, quamuis sint dies solemnes, Missa de Tempore debet cantari post Nonam.

§. 3. tardius tempus sam de cra Rit

3. Missa autem Defunctorum dici debet post Primam diei: vbi verò dicuntur eorum Vigiliæ manè post Matutinum dici, dictis huiusmodi Vigilijs cum Laudibus, immediatè dici potest Missa pro Defunctis. Sed in die Commemorationis omnium fidelium Defunctorum Missa Conuentualis dicitur post Nonam, quia eo die est principalis. In die etiam Depositionis Defuncti, vel Tertio, Septimo, Trigesimo, aut Anniuersario solemni, in quo fit concursus populi, poterit similiter dici vltimo loco post Nonam.

§. 4. Horam, Canoni & post pro mi

4. Excipiuntur ab hoc ordine dicendi Missam Conuentualem, Missæ in Natiuitate Domini, quarum prima dicitur post mediam noctem,

§. 5. est priu licet ad tus loco

§. 6 ctem po lis mul

finito

finito *Te Deum laudamus* in Matutino; secunda in aurora, dictis Laudibus & Prima; tertia verò in die post Tertiam, vel vbialiter ex dispensatione Apostolica disponatur.

5. Missæ votiuæ, quia non correspondent Officio, si solemniter celebrentur pro re graui, vel publica Ecclesiæ causa, cum populi frequentia, dicantur post Nonam.

ANNOTATIONES.

§. 1. Non licet ante auroram notabiliter, & post meridiem Missam celebrare sine dispensatione Nomine autem auroræ intelligitur crepusculum diei, vel prima solis irradiatio, neque hoc debet consistere in indiuisibili, sed Missa potest celebrari quando iam est proxima talis irradiatio; Atque vbi non est aurora physicè, attendatur moraliter & politicè, quando scilicet terminari solet hominum quies, & inchoari labor, iuxta probatam locorum consuetudinem. Similiter meridies non ita mathematice considerari debet, vt non multò post transactum meridiem Missa incipi possit, præsertim rationabili concurrente causâ. *c. Nost. de cons. dist. 1. Sa. verbo Missa. Diana part. 2. tit. 14. resol. 33 & 34.*

§. 2. Missa non debet celebrari nisi debitis horis, ex Conc. Trid. sess. 22. sublatis quibuscumque priuilegijs, vt declarauit Sacra Cong. Cardinalium eiusdem Concilij interpretum.

§. 3. Si propter terræ frigiditatem populus veniat tardius ad Ecclesiam pro Missa solemni præstat differri tempus recitandi Horam Tertiam, quam cantare Missam de festo, seu Dominica post Sextam ita censuit sacra Rituum Congregatio. *Gauantus loco citato. n. 2. sub litt. a.*

§. 4. Missa solemnis semper dicitur post aliquam Horam, etiam in nocte Natiuitatis Domini, vt Horæ Canonicæ sint quasi quædam ad Missam præparatio. & post varias horas, vt maiori præparatione minoriue pro missarum varietate seu dierum, fiat Missa. *Gauantus Part. 1. Tit. 15. num. 2.*

§. 5. Missa Parochialis & quæcunque alia sine cantu est priuata, non Conuentualis, de qua in his Rubricis, licet ad eam conueniat populus, aut loci clerus. *Gauantus loco cit. n. 2.*

§. 6. In nocte Natiuitatis Domini post mediam noctem posse tres Missas priuatas simul celebrari probabilis multorum est sententia. *Suarez 3. part disp. 8. sect. 4.*

§. 7.

§. 7. Missæ votiuæ dicuntur solenniter post Nonam, quia ab officio discordant, tum etiam quia maior est sæpe populi frequentia.

Concil. Trid sess. 24. de reform. c. 4.

§. 8. Ne populus ab auscultatione verbi Dei impediatur nullibi in Ecclesia, quando ibidem concio habetur, sacrificium Missæ celebrari debet.

TITVLVS XVI.

De his quæ clara voce aut secretò dicenda sunt in Missa.

1. IN Missa priuata clarâ voce dicuntur *Antiphona & Psalmus* ad *Introitum, Confessio,* & quæ sequuntur, exceptâ Oratione, *Aufer à nobis,* & *Oramus te Domine per merita Sanctorum tuorum, &c* Item *Introitus, Kyrieeleison Gloria in excelsis, Dominus vobiscum, Oremus, Flectamus genua, Leuate, Oratio,* vel *Orationes, Prophetia, Epistola, Graduale, Versus, Tractus, Sequentia, Euangelium, Credo, Offertorium, Orate fratres,* solùm hæc duo verba, *Præfatio, Nobis quoq; peccatoribus,* solum hæc verba tria. Item *Per omnia sæcula sæculorum, &c.* cum *Pater noster, Per omnia sæcula sæculorum, &c.* cum *Pax Domini, Agnus Dei, Domine non sum dignus,* hæc quatuor verba tantùm, *Communio. Oratio,* vel *Orationes* post *Communionem, Humiliate capita vestra Deo, Ite Missa est,* vel *Benedicamus Domino,* vel *Requiescant in pace, Benedictio,* & Euangelium *In principio,* vel aliud Euangelium. Alia omnia dicuntur secretò.

2. Sacerdos autem maximè curare debet, vt ea quæ clarâ voce dicenda sunt, distinctè & appositè proferat, non admodum festinanter, vt aduertere possit quæ legit, nec nimis morosè, ne audientes tædio afficiat: neq; etiam voce nimis elatâ, ne perturbet alios, qui fortasse in eadē Ecclesia tunc temporis celebrant: neque tam submissâ, vt a circumstantibus audiri non possit, sed mediocri, & graui, quæ & deuotionē moueat, & audientibus

ita

ita sit accommodata, vt quæ leguntur, intelligãt. Quæ verò secretè dicenda sunt, ita pronuntiet, vt & ipsemet, se audiat, & à circumstantibus non audiatur.

3. In Missa solemni clarâ voce à Celebrante dicuntur, quando intonatur *Gloria in excelsis*, & *Credo*, *Dominus vobiscum* & Orationes ante Epistolam, *Dominus vobiscum*. *Oremus*, ante Orationes & ante Offertorium, *Præfatio*, *Per omnia sæcula sæculorum*, cum *Pater noster*, *Per omnia sæcula sæculorũ*. cum *Pax Domini*, & Orationes post Communionem. Alia quæ in Missa priuata dicuntur clarâ voce, in Missa solemni à Celebrante dicuntur submissâ voce.

ANNOTATIONES.

§. 1. Quoniam pia mater Ecclesia inter alios huius Sacro-sancti Sacrificij ritus, quibus Celebràns vti debet in legenda Missa plura diuersimodè instituit, nimirum clarâ, altâ, conuenienti, intelligibili, mediocri, submissâ, vel aliquantulum eleuatâ voce, & secretò esse proferenda, ne quiuis Sacerdos pro arbitrio & voluntate sua quæuis pronunciare præsumat. Ideoque quisque Celebrans diligenter attendat quænam sit differentia inter ea quæ clarâ vt supra, vel aliâ voce dicenda sunt. Pro quo notandum est idem esse *clarâ, conuenienti, & intelligibili voce* videlicet tali voce, vt commodè à circumstantibus audiri possit. *Alta voce* vtitur Cærem. Episc. pro ijs quæ in Officio vel Missa cantantur; *mediocri* verò, *submissa*, & *aliquantulum eleuata* pro alijs quæ non tacitè, nec prorsus altè, sed taliter dicuntur, vt à ministris, & aliquibus tantùm circumstantibus possint percipi, cum aliquali differentia. Quod verò secretò dicendum est, ita à Sacerdote intra se distinctè, ac labiorum motu proferatur, vt tamen non a circumstantibus audiatur. Vnde secundum peritos Missa celebranda est cum his quinque literis A B C D. E hoc est Altè, Breuiter, Clarè deuotè, Exactè, seu exquisitè Altè, vt audiatur, Breuiter, non vltra medã horam; clarè, vt omnia verba integrè proferantur, Deuotè, vt attendatur ad ea quæ dicuntur; Exactè, vt fiant omnia quæ præscribuntur in Rubricis.

Guantus Comment. in Rubr. Miss. p. 3. tit. 11. n. 13.

§. 2. Cla-

§. 2. Clarâ voce dicuntur omnia in Missis, priuati ab initio Missæ vsque ad *Aufer à nobis*, exclusiuè; Item a Introitu vsque ad *Munda cor meum* &c exclusiuè; ab E uangelio vsque ad Offertorium inclusiuè: Item Præfati vsque ad *Sanctus* inclusiuè: Item à *Per omnia* &c. ante Oratio nem Dominicam vsque. *Et ne nos inducas in tentationem* inclusiuè. Item *Per omnia* &c. *Pax Domini* &c. *Agnus De* &c. Antiphona quæ dicitur Communio; Orationes post Communionem; *Benedicamus Domino*, vel *Ite Missa est*, & *Requiescant in pace. Benedicat vos*, & Euangelium.

§ 3 Notandum verò in istis quæ *clarâ voce* dicuntur, vt cum plures in minoribus Ecclesijs, vel proximo loco Sacerdotes simul concelebrant vocem ita temperent, vt non se inuicem perturbent decet tamen; vt digniori Celebranti cedat inferior, & humiliori voce proferat: at quando sunt æquales, cedat qui in minori altari, Sacerdoti qui in maiori celebrat. Cùm item Sacerdos legit *clarâ voce*, legat distinctè, expeditè tamen, ad puncta & commata, breuem aliquam moram interponendo iuxta sensum rei quem legit, ac mediocritatem seruet, affectationem ac leuitatem fugiat; & Regulas Missalis sequatur diligenter, quæ præcipiunt vt circumstantibus legendo deuotionem pariat Sacerdos.

§. 4. Sed *eleuatâ aliquantulum & mediocri voce* dicuntur Sequentia, *Orate fratres: Sanctus. Nobis quoque peccatoribus:* denique *Domine non sum dignus*, tantùm hæc quatuor verba. Secretò verò dicuntur reliqua in Missa.

§. 5. Memoriter dicenda sunt omnia à Celebrante ab initio Missæ vsque ad Introitum exclusiuè: *Munda cor meum* &c. *Per Euangelica dicta* &c *Deus qui humanæ substantiæ* (nisi illud legat in tabella ad id destinata) infundendo aquam: Psalmum. *Lauabo inter innocentes: Corpus Domini nostri.* &c. *Quod ore sumpsimus* &c. *Corpus tuum Domine:* &c *Benedicat vos Omnipotens Deus* &c. & Gratiarum actio post Missam.

§. 6. Totum Sacrum Missæ, Canonem; aliasque Orationes, quæ ob mysterium ac religionem tacitè pronunciandæ sunt sic pronuncient Sacerdotes vt ipsi quidem distinctum, vt dictum est, verborum sonum leniter percipiant, astantium autem proximè nemo percipere distincta verba possit: tantoque maiore animi intentione, maiorique cogitationis silentio eas Deo Patri offerant; quanto, vt monet externum vocis silentium, Sacerdotum Orationes orationibus populi in hac præcipuè Sacra ac Sacerdotali actione debent esse puriores & efficacio-

ficaciores Qui autem orationes secretò dicendas, imprudenti atque indiscretâ vocis exaltatione populo communes faciunt, tanquam nescientes officium Sacerdotum habendi, atque monendi.

TITVLVS XVII.

De ordine genuflectendi, sedendi, & standi in Missa priuata, & solemni.

1. IN Missa priuata Sacerdos genuflectit quando legit Euangelium Sancti Ioannis, *In principio*, ad illa verba, *Et Verbum caro factum est*; & in Euangelio Epiphaniæ, *Cum natus esset Iesus*, ad illa verba, *Et procidentes adorauerunt eum.* Item in Euangelio Feriæ quartæ, post Dominicam quartam Quadragesimæ, ad illa verba in fine, *Et procidens adorauit eum.* Item genuflectit Dominica Palmarum, & in Missis de Cruce ad illa verba in Epistola. *In nomine Iesu omne genu flectatur*, &c. & quando legitur Passio, ad illa verba, *exspirauit*, vel, *emisit Spiritum*, vt suis locis notatur. Item genuflectit cum dicit, *Flectamus genua*. Item quando in Quadragesima dicit in Tractu Vers. *Adiuua nos Deus* &c. & in omnibus Missis de Spiritu Sancto, cùm dicit Vers. *Veni Sancte Spiritus reple*, &c. Item quando Sacramentum in Altari discoopertum apparet, genuflectit quoties ante illud transit in medio Altaris: & quandocumque in ordine Missæ, & in ritu seruando in celebratione Missæ notatur, quòd debeat genuflectere.

2. Circumstantes autem in Missis priuatis semper genua flectunt, etiam tempore Paschali, præterquam dum legitur Euangelium.

3. In Missa solemni Celebrans genuflectit ad omnia supradicta, præterquàm ad *Flectamus genua*: & tuncipse solus stat, Diaconus verò &

Sub-

Subdiaconus & omnes alij genuflectunt, A
Versum verò *Adiuua nos Deus* &c. & ad versu
Veni Sancte Spiritus, &c. genuflectit vsque ad fin
Item genuflectit in die Annuntiatiationis B. Ma
riæ, & in tribus Missis Natiuitatis Domini, quan
do cantatur in Choro, *Et incarnatus est* &c. Alij
diebus, si sedeat cum cantantur ea verba, non ge
nuflectit, sed caput tantùm profundè inclinati
pertum, si non sedet, genuflectit.

4. Ministri semper genuflectunt cum Cele
brante, præterquam Subdiaconus tenens librum
ad Euangelium, & Acolythi tenentes Candela
bra, qui tunc non genuflectunt. Et cum Diaconus
cantat illa verba, ad quæ est genuflectendum, ipse
versus librum, Celebrans & omnes alij versus Al
tare genuflectunt.

5. In Choro genuflectitur ab ijs qui non sunt
Prælati, ad Confessionem cum suo Psalmo. In
Missis autem Feriarum Aduentus, Quadragesimæ
Quatuor Temporum, & Vigiliarum quæ ieiunã
tur, ac in Missis Defunctorum, genuflectunt om
nes etiam ad Orationes, & dicto per Celebran
tem, *Sanctus*, vsque ad, *pax Domini*, & ad *Orationem*
post Communionem, & *super populum*, Exceptâ Vi
gilia Paschæ, & Pentecostes, ac Natiuitatis Do
mini, & Quatuor Temporibus Pentecostes. Et
similiter ab omnibus genuflectitur quando ele
uatur sanctissimum Sacramentum.

6. In Missa item solemni Celebrans medius
inter Diaconum & Subdiaconum sedere potest à
Cornu Epistolæ iuxta Altare cum cantatur *Kyrie*
eleison, *Gloria in excelsis*, & *Credo*: alio tempore stat
ad Altare, vel genuflectit, vt suprà.

7. In Choro non sedent qui actu cantant; re
liqui autem possunt sedere quando Celebrans
sedet, & præterea dum cantantur *Epistola*, & *Pro*
phetiæ, *Graduale*, *Tractus*, vel *Alleluia* cum *Versu*, ac

Sequen-

Sequentia, & ab *Offertorio* vsque ad incensationem Chori, & si non incensatur, vsque ad *Præfationem*, & ad *Antiphonam* quæ dicitur *Communio*. Ad alia stant, vel genuflectunt vt supià.

ANNOTATIONES.

§. 1. Genuflectit Celebrans vnico genu in Missa priuata iuxta communem vsum quando illi genuflectendum est, vt facilius & commodius surgat. In Missa etiam solemni ad ea omnia quæ sunt communia Missæ priuatæ. Ambobus vero genuflectit in Missa solemni ad prædicta quæ à Choro cantantur, & regulariter quando cum aliqua morula in prædictis est genuflectendum, & quasi orandum in supremo gradu Altaris. Idem faciunt Ministri, qui præterea genu flectunt vtrumque ad *Flectamus genua*, non verò celebrans. *Gauantus p.1.T.7. n.5. sub litt.z.*

§. 2. In Missa priuata ipsemet sacerdos dicit *Flectamus genua*, & genuflectens exemplo suo docere debet alios. In solenni sufficit vt Diaconus inuitans populum idem faciat. Sacerdos autem Deum orans regulariter stare debet, qui præ se fert personam Christi stantis. *Gauantus p.1. Tit.17. n.3.litt.l.*

§. 3. In Missis priuatis Celebrans ad hos duos Versus scilicet *Adiuua nos Deus* &c. *Veni sancte Spiritus* &c. genuflectit tantùm initio, & statim surgit vt commodè legere possit versum ex libro & ideo sufficit, vt genuflectat ad prima verba; in Missa vero solenni post lectum à se Euangelium genuflectit celebrans vtroque genu in medio Altaris vsque ad finem dum cantantur à Choro similes Versus. Quia tunc celebrans minimè in alijs est occupatus. Quocirca quædam sunt ad quæ Celebrans in Missa solenni bis genuflectere debet nempe cùm priuatim legit, & iterum dum à Choro cantantur, sicut fit ad illa verba *Et incarnatus est*, & alia in supradicta Rubrica n.3. Specificata. *Gauantus part.1.tit.17 sub n.5.litt.z.*

§. 4. Celebrans quando legit Euangelium genuflectit versus librum, & quando SS. Sacramentum est expositum, genuflectit aliquantulum versus illud dicens, *Et verbum caro factum est* & alia, vt in festo Epiphaniæ. *Gauantus p.1.tit 17. sub n.3.litt.k*

§ 5. Sa-

§. 5. Sacerdos in Passionibus in morte Christi dicens *Expirauit, Emisit Spiritum Tradidit Spiritum* &c. per spatium vnius *Pater noster* genuflectit, ex Cæremon. Papæ.

TITVLVS XVIII.

De Coloribus Paramentorum.

1. PAramenta Altaris, Celebrantis, & Ministrorum, debent esse coloris conuenienti Officio, & Missæ diei, secundum vsum Romanæ Ecclesiæ: quæ quinque coloribus vti consuevit, Albo, Rubeo, Viridi, Violaceo, & Nigro.

2. Albo colore vtitur à Vesperis Vigiliæ Natiuitatis Domini vsque ad Octauam Epiphaniæ inclusiuè, exceptis Festis Martyrum, quæ infra eam veniunt. Feria quinta in Cœna Domini, & Sabbato Sancto in Officio Missæ, & ab illo die vsque ad Sabbatum in Vigilia Pentecostes ad Nonam, in Officio de Tempore, præterquam in Missa Litaniarum, & Rogationum. In festo S. Trinitatis. In festo Corporis Christi. In Festo Transfigurationis Domini. In Festis B. Mariæ Virginis, præterquàm in benedictione Candelarum, & Processione, quæ fit in Festo Purificationis eiusdem In Festis Angelorum. In Natiuitate S. Ioannis Baptistæ. In principali Festo S. Ioannis Euangelistæ, quod celebratur infra Octauam Natiuitatis Domini. In vtraque Cathedra Sancti Petri. In Festo S. Petri ad Vincula. In Conuersione S. Pauli. In Festo Omnium Sanctorum. In Festis Confessorum Pontificum, & non Pontificum, & Doctorum. In Festis Sanctarum Virginum non martyrum, & nec Virginum nec Martyrum. In Dedicatione, & consecratione Ecclesiæ vel Altaris, ac in consecratione Summi Pontificis & in anniuersario Creationis & Coronationis eiusdem,

dem,& electionis & consecrationis Episcopi. Item per Octauas prædictorum Festorum, quæ Octauas habent, quando dicitur Missa de Octaua,& in Dominicis infra eas occurrentibus,quãdo in eis fit Officium de Dominica,præterquam in illis Dominicis,quibus tributus est color violaceus. In Missis Votiuis supradictorum Festorum,quocumque tempore dicantur: & in Missa pro Sponso & Sponsa.

3. Rubeo colore vtitur à Vigilia Pentecostes in Missa vsque ad Sabbatum sequens finita Nonâ & Missâ. In Festis sanctæ Crucis. In Decollatione S. Ioannis Baptistæ. In Natali Apostolorum Petri & Pauli,& in Festis aliorum Apostolorum (exceptis Festo principali Sancti Ioannis Euangelistæ post Natiuitatem,& Festis Conuersionis S. Pauli,& Cathedræ Sancti Petri,& eius Vinculorum) In Festo S. Ioannis ante Portam Latinam. In Commemoratione S. Pauli Apostoli. In Festis Martyrum,excepto Festo Sanctorum Innocentium quando non venerit in Dominica: Si autem in Dominica venerit, vtitur Rubeo: in eius verò die Octaua semper vtitur Rubeo, quocumque die occurrat. In Festis sanctarum Virginum Martyrum,& Martyrum non Virginum. Item per Octauam prædictorum Festorum quæ Octauas habent, quando fit de Octaua,& in Dominicis infra eas Octauas occurrentibus, eodem modo vt dictum est supra de colore Albo. Item in Misis Votiuis supradictorum Festorum,& in Missa pro eligendo Summo Pontifice.

4. Viridi colore vtitur ab Octaua Epiphaniæ, vsque ad Septuagesimam, & ab Octaua Pentecostes; vsque ad Aduentum exclusiuè, in Officio de Tempore,excepta Dominica Trinitatis, vt supra: ac exceptis Dominicis infra Octauas occurrentibus, in quibus color Octauarum seruatur:

tur: exceptis etiam Vigilijs, & Quatuor Temporibus, vt infrà.

5. Violaceo colore vtitur à prima Dominica Aduentus in primis Vesperis: vsque ad Missam Vigiliæ Natiuitatis Domini inclusiuè: & à Septuagesima vsque ad Sabbatum Sanctum ante Missam inclusiuè, in Officio de Tempore: excepta Feriâ quintâ in Cœna Domini, in qua vtitur Albo; & Feria sexta in Parasceue, in qua vtitur Nigro, vt infrà: & benedictione Cerei in Sabbato Sancto, in qua Diaconus, illius Præfationem dicens, solus vtitur Albo: eâ autem finitâ, violaceo vt priùs. Item in Vigilia Pentecostes ante Missam, à prima Prophetia vsque ad benedictionem Fontis inclusiuè. In Quatuor Temporibus, & Vigilijs quæ ieiunantur, exceptis Vigiliâ, & Quatuor Temporibus Pentecostes. In Missa Litaniarum in die S. Marci Euangelistæ, & Rogationum, & in Processionibus quæ his diebus fiunt. In Festo SS. Innocentium, quando non venerit in Dominica. In benedictione Candelarum in die Purificationis beatæ Mariæ, & in benedictione Cinerum, ac Palmarum, & ipsa Dominica in Palmis, & in eorumdem, ac generaliter in omnibus Processionibus: exceptis Processionibus sanctissimi Sacramenti, & quæ fiunt in diebus solemnibus, vel pro gratiarum actione. In Missis de Passione Domini, Pro quacumque necessitate, Pro peccatis, Ad tollendum schisma, Contra Paganos, Tempore belli, Pro Pace, Pro vitanda mortalitate, Pro iter agentibus, & pro infirmis.

6. Nigro colore vtitur Feriâ sextâ in Parasceue, & in omnibus Officijs, & Missis Defunctorum.

ANNOTATIONES.

Castaldus Praxi Cer.

§. 1. In Missis votiuis Celebrantis paramenta erunt conuenientia Missis, quia color votiuarum est idem ac festo-

festorum, Altaris vero paramenta erunt conuenientia Officio, quod celebratur, nisi forte Missa votiua sit pro re graui, & publica Ecclesiæ causa, eaque solemniter celebretur, nam tunc etiam Altaris Paramenta cum Missa conuenire debent. *lib. 2. sect. 6. c. 4. n. 6.*

§. 2. In Festis Canonizationum, Beatificationum, Translationum, Apparitionum, & similium Festorum vtendum est eodem genere coloris, vt in ipsis Festis. *Gauantus part. 1 tit. 18. n. 2. lit. c.*

§. 3. Regula in mutandis coloribus ea est, vt mutatio fiat in primis vesperis Festi. Si autem vesperæ non sunt integræ, is color adhibendus est initio vesperarum, qui congruit illi de quo dicitur Capitulum. Si Officium & Missa discordant, color Altaris sequatur Officium; vestium autem Sacerdotis sit color Missæ conformis: quæ diuersitas accidit in Feria tertia Rogationum, & in Vigilijs infra Octauas: pro Missa verò solemni, conuenit vt pallium Altaris concordet cum colore paramentorum Missæ. *Gauantus ibid. sub n. 6.*

§. 4. In vigilia Pentecostes vtendum colore albo vsque ad Nonam, violaceus vsque ad Missam, rubeus deinceps adhibetur, qui & in priuatis Missis huius diei adhibendus quo ad vestes celebrantium licet celebrentur ante Nonam. *Gauantus loco cit. part. 4. tit. 11 n. 19*

§. 5. Tribus Rogationum diebus Altarium paramenta erunt Officio conformia, sed paramenta Altaris maioris, aut aliorum in quibus celebrabitur Missa de Rogationibus, erunt conformia celebrantium paramentis, quibus iuxta Rubricam vtendum violaceo colore. *Gauantus loco cit. part. 4. tit. 11. n. 15*

§. 6. In festo Sacrorum stigmatum S. Francisci adhibetur color albus ex Decreto Sac. Rit. Cong. 9. *Decemb.* 1623. *Gauantus loco cit part. 1. Tit. 18. sub n. 2. lit. x.*

§. 7. In Dominica tertia Aduentus, & quarta Quadragesimæ paramenta Altaris & Celebrantis adhiberi solent aliquanto sumptuosiora, sed coloris violacei. *Car. epist. lib. 2. c. 20 & 23.*

§. 8. In omnibus festis solemnibus supradictorum colorum Flauo colore, & quouis alio auro pretioso intertexto, vti licet.

§. 9. Dum Rubrica præscribit colore violaceo vtendum esse, loco illius non bene adhibetur cæruleus, tam in paramentis Sacerdotalibus, quàm antipendijs Altarium, quia color violaceus afflictionis & abstinentiæ tempus magis indicat, quam cæruleus.

TITVLVS XIX.

De qualitate Paramentorum.

1. IN Officio Missæ Celebrans semper vtitur Planetâ super Albam.

2. Si autem sit Episcopus, & solemniter celebret, super Dalmaticam, & Tunicellam.

3. Pluuiali vtitur in Processionibus, & Benedictionibus, quæ fiunt in Altari. Item in Officio Laudum, & Vesperarum, quando solemniter dicuntur. Eodem vtitur Assistens Celebranti in Missa Pontificali. Item quando Celebrans post Missam Defunctorum facit in fine Absolutionem.

4. Cum Celebrans vtitur Pluuiali, semper deponit Manipulum; & vbi Pluuiale haberi non potest, in benedictionibus, quæ fiunt in Altari, Celebrans stat sine Planeta cum Alba & Stola.

5. Dalmaticâ & Tunicellâ vtuntur Diaconus & Subdiaconus in Missa solemni, & Processionibus, & Benedictionibus, quando Sacerdoti ministrant.

6. In diebus verò ieiuniorum (præterquam in vigilijs Sanctorum) & in Dominicis & Ferijs Aduentus & Quadragesimæ, ac in vigilia Pentecostes, ante Missam, (exceptis Dominicâ *Gaudete*, etiam si eius Missa infra Hebdomadam repetatur, & Dominica *Lætare*, vigilia Natiuitatis Domini, Sabbato sancto, in benedictione Cerei, & in Missa, ac Quatuor Temporibus Pentecostes, item in benedictione Candelarum, & Processione in die Purificationis B. Mariæ, & in benedictione Cinerum, ac benedictione Palmarum in Processione: in Cathedralibus & præcipuis Ecclesijs vtuntur Planetis plicatis ante pectus: quam

Plane-

Planetam Diaconus dimittit cùm lecturus est Euangelium, eaque tunc super sinistrum humerum super stolam complicatur: aut ponitur aliud genus stolæ latioris in modum Planetæ plicatæ, & facta communione resumit Planetam, vt priùs. Similiter Subdiaconus dimittit eam cùm lecturus est Epistolam, quam legit in Alba, & ea finita, osculataque Celebrantis manu, Planetam resumit vt priùs.

7. In minoribus autem Ecclesijs, prædictis diebus ieiuniorum Alba tantùm amicti ministrant: Subdiaconus cum Manipulo, Diaconus etiam cum Stola ab humero sinistro pendente sub dextrum.

ANNOTATIONES.

§ 1. Pluuiale non benedicitur quia est vestis communis cuicumque Ecclesiastico, neque ordinata ad Missæ sacrificium. *Gauantus part. 1. Tit. 10. n. 3. lit. g. & i.*

§. 2. Canonici aut alij qui vtuntur almutijs siue bessis eas deponunt dum Pluuiale induunt.

§. 3. Dum Presbyter Assistens assistit Episcopo, indutus erit superpelliceo & Pluuiali sine tamen forma lio Si autem assistat alij Celebranti Episcopalibus insignibus non vtenti indutus erit superpelliceo & Stolâ tantùm. *Cær. Ep lib. 1. c. 7.*

§. 4. Errant contra hanc Rubricam qui post Missam Defunctorum faciunt ablolutionem in ijsdem paramentis, quibus in Missa vsi sunt, aut Casulam deponunt retinentes Manipulum. *Gauantus loco cit. sub n. 4. lit. m.*

§. 5. Planeta cum Stola est habitus ad Missam tantùm; idcoque Stola super Albam sufficit, deficiente Pluuiali, tam in Processionibus, quàm in benedictionibus quæ fiunt in Altari. Stola verò cum Alba in modum Crucis ante pectus semper gestari debet, cingulo de mor: coniuncta, & vtrimque religata; siue in Missa, siue extra Missam siue in Altari, siue extra Altare, siue cum Pluuiali, siue absque eo, dummodo adhibeatur super Albam Quod si adhibeatur cum superpelliceo soluta pendebit a collo hinc inde, quia ligari in modum Crucis non potest. *Gauantus loco citato. sub litt. m.*

§. 6. Nullus est Manipuli vsus extra Missam, tam pro Ministris, quàm pro celebrante, & idcircò quoties Celebrans deponit Manipulum, deponunt etiam Ministri.

§. 7. Offendunt contra hanc Rubricam qui ferialibus & Dominicis diebus Aduentus & Quadragesimæ vtuntur Dalmatica & Tunicella, quæ lætitiam designant ijs diebus non congruentem, cùm iuxta Rubricam eis duntaxat vtendum sit in vna Dominica Aduentus *Gaudete* dicta, ac etiam si eius Missa infra Hebdomadam repetatur, & in vna Dominica Quadragesimæ *Lætare* appellata, quoniam his duabus tantummodo Dominicis istius temporis signa lætitiæ conueniunt, alijs autem Dominicis Aduentus & Quadragesimæ cæterisque in Rubrica expressis diebus in Cathedralibus, Collegiatis insignibus Canonicorum Cleri sæcularis, & insignibus Regularium Ecclesijs vtendum est Planetis ante pectus plicatis, quæ tamen Planetæ plicatæ erunt eiusdem formæ, & qualitatis, pariterque benedictæ, vti Celebrantis Planeta, ita tamen ante pectus plicatæ erũt, vt commodè ministri ipsis vti possint.

Castaldus Praxi Cer. lib. 2. c. 10. num. 5.

Gauantus pars 1. tit. 19. in b num. 7.

§. 8. In minoribus Ecclesijs quia Dalmaticæ non congruunt ratione dierum, & casulæ ratione locorum prædictis diebus; idcircò tantùm Albâ amicti ministrant Subdiaconus cum Manipulo, Diaconus etiam cum Stola ab humero sinistro pendente sub dextrum.

TITULUS XX.

De Præparatione Altaris, & Ornamentorum eius.

ALtare, in quo Sacrosanctum Missæ Sacrificium celebrandum est, debet esse lapideum, & ab Episcopo consecratum: vel saltem ara lapidea, similiter ab Episcopo consecrata, in eo inserta, quæ tam ampla, vt Hostiam, & maiorem partem Calicis capiat. Hoc Altare operiatur tribus mappis, seu tobaleis mundis, ab Episcopo, vel alio habente potestatem benedictis, superiori sal-

saltem oblonga, quæ vsque ad terram pertingat, duabus alijs breuioribus, vel vna duplicata. Pallio quoque ornetur coloris, quo ad fieri potest, die festo, vel Officio conuenientis: Super Altare collocetur Crux in medio, & Candelabra saltem duo cum candelis accensis hinc & inde in vtroque eius latere. Ad Crucis pedem ponatur Tabella Secretarum appellata. In cornu Epistolæ Cusinus supponendus Missali: & ab eadem parte Epistolæ paretur Cereus, ad eleuationem Sacramenti accendendus, parua campanula ampullæ vitreæ vini & aquæ, cum peluicula & manutergio mundo in fenestella, seu in parua mensa ad hæc præparata. Super Altare nihil omnino ponatur, quod ad Missæ Sacrificium, vel ipsius Altaris ornatum, non pertineat.

ANNOTATIONES.

§ 1. Omnino obseruandum iuxta Conciliorum doctrinam, vt mensa Christi, ipsum videlicet Altare, vbi corpus Dominicum consecratur, vbi sanguis eius hauritur, vbi Sanctorum Reliquiæ recõduntur, vbi preces & vota populi à Sacerdote in conspectu Dei offeruntur, cum omni veneratione exornetur.

c. Sicut. c. Missarum. c. hic ergo. c. Nullus presbyter c. oportet. c. Clericus de cons. dist. 1. Conc. Trid. sess 22. de obseru. & euitand. in celeb. Missa. Bonac disp. 4. q. vlt. punct. 9.

§. 2. Locus in quo Altare exstruitur, quod præparatur ad celebrandum in eo sacrosanctum Missæ Sacrificium, debet esse sacer, vel deputatus ab Episcopo (qui tamen non potest deputare, Oratoria in domo priuata, vt ibi fiat Missa, nisi ad diuinum cultum dedicentur) & saltem sit benedictus ritu proprio ex *Rituali Romano*. Nec quisquam Regularis, aut sæcularis Sacerdos in priuatis domibus, aut omnino extra Ecclesiam, & ad diuinum tantùm cultum dedicata Oratoria, ab Episcopo loci Ordinario designata, & visitata Missæ Sacrificiũ peragere sine expressa Summi Pontificis aut Episcopi ordinarij Diœcesani licẽtia, peragere debet Nec vti Filij Aaron igne alieno ad Sacrificiũ Domini vtens, ipsi Domino Sacrificij displiceat, vnde placere laborat. Quãdo autẽ cõceditur ex priuilegio Apostol. Celebratio Missæ

Gauantus comment. in Rubr. Miss. Part. I. Tit. 20. lit. m.

in Altari priuati Oratorij (exceptis solemnioribus festis) tunc non potest in eo celebrari in Natali Domini, Epiphania, Paschate, Pentecoste, Annuntiatione, Assumptione B. M. V. festo SS. Apostolorum Petri & Pauli, & omnium Sanctorum, vt decreuit Sacra Rituum Congregatio 17. *Septemb.* 1607.

5. Altaria de consc. dist. 1. Cor. 10. v. 5.

§. 3. Altare iuxta Rubricam, & sacros Canones ac præcipue S. Syluestri Papæ decretum ab Apostolis traditum, lapideum erigi debet, illum significans, qui spiritualis ædificij petra fundamentalis constituitur, dicente Apostolo *Petra autem erat Christus.*

§. 4. Altare fixum solùm in Ecclesia aut Capella consecrata vel consecranda de licentia Episcopi Diœcesani erigi potest, in eiusdem autem erectione seruanda sequentia. I. vt non erigatur super aut prope sepulturas hominum. II. Vt si fieri possit non adhæreat muro, sed duobus aut tribus saltem pedibus ab eodem distet. III. Basis Altaris construenda opere lateritio vel alio admixto cæmento, ita vt nulla ex parte foramina aut fenestellas ad aliquid asseruandum habeat, sed tam ab vtroque latere, quàm in posteriori & anteriori parte obstruendum est, ne vilissimarum imo & sordium receptaculum fiat, in quo nihil aliud, iuxta antiquos Canones, vnquam reponendum quàm sanctorum Reliquiæ. IV. Ipsa mensa ex vno solido lapide esse debet, & casu quo hic non esset sufficientis longitudinis, additamenta ab vtroque latere principalis lapidis addi possunt.

8 Altaria c. placuit de consc. dist. 1.

§. 5. Hoc & huiusmodi Altare regulariter erit totum ab Episcopo consecratum, cum Chrismate & Reliquijs Sanctorum ab Ecclesia approbatorum, vt respondit Sacra Concilij Tridentini Congregatio Episcopo Interamnensi, 13. *Septemb.* 1593.

Gauantus comm. in Rubr. Miss. Part. I. Tit. 10 litt. p.

§. 6. *Si* verò totum non fuerit consecratum habebit Aram lapideam, seu Altare portatile similiter ex Pontificali Romano ab Episcopo consecratum, eritque ex lapide longitudinis ad minus præter capsæ ligneæ, si alicui inseratur, dimensionem palmi cum dimidio, latitudinis verò vnius, vt minimùm palmi erit, quo commodè Hostiam & Calicem, vt Rubrica præcipit, continere possit, paululum supra mensæ superficiem emineat, atque in ipsius mensæ medio, non longè à fronte Altaris ita inferatur, vt nullum sit offensionis Calicis periculum, sed tactu digiti vbi sit facilè dignoscatur. Portatili potest quilibet Sacerdos sine priuilegio

vti

vti in Ecclesijs consecratis aut benedictis, non autem alijs in locis, quia hoc est priuilegium tantùm Episcoporum.

§. 7. Altare prædicto modo siue propriâ consecratione siue portatili instructum, vt ipsius mensa sacro oleo consecrata honestiùs custodiatur, neuè à pulueribus deturpetur, decet imprimis, vt sicut Pontificale Romanum mandat Chrismale siue pannus lineus ceratus ad mensuram Altaris factus super ipsius mensam sternatur, nunquam verò nudum sit; *Pontif. Rom. tit. de Altaris cõsecrat.*

§. 8 Altaris consecratio violata censetur. 1. Si mensa penitus vel enormiter fracta fuerit 2. Si mota fuerit iunctura qua mensa stipiti adhæret 3. Si quid principale de lapidibus stipitis tangens ipsam mensam, motum fuerit. 4 Si effractum fuerit sepulchrum Altaris, siue lapis quo occlusus fuit ille locus in quo asseruatur capsula cum Reliquijs sanctorum, iste enim lapis & locus in consecratione Altaris sacro Chrismate ab Episcopo inungitur eiusdem propriis manibus occluditur, calce firmatur, & sacro Chrismate in fronte signatur. Aurea Armilla *verbo Altare n.* 10 Pontif. Rom. *tit. de consecr. Altaris.* *Piasecius praxi par. 1. c. 2. art 4. n. 11.*

§. 9. Vt licitè sacrificium Missæ in Altari consecrato offerri possit, iuxta Rubricam suprà positam, cooperiendum est tribus mappis mundis, ab Episcopo vel alio habente potestatem benedictis, superiori saltem mob longa, quæ vsque ad terram pertingat, duabus alijs brevioribus, vel vna duplicata quarum vltima poterit esse ex Cannabo lineo cerato benedicto, reliquæ verò duæ ex tela linea munda, duæ ergo tuta conscientia nequaquam adhiberi possunt. *Bonac. disp. 4. Tom 1. §. vlt. punct. 9. n. 25. 6. Nemo de consecrat. dist. 1. Suarez. tom. 3. disp. 81. sect 6.*

§. 10. Si in necessitate mappæ benedictæ haberi non possint, fas erit alia munda lintea substernere, quæ deinde vt prius profanis vsibus applicari possunt. *Layman lib. 5. tract. 5. c. 6. n. 4.*

§. 11 Vt Mappæ mundæ ab omni puluere, cera, aliaue sorde conseruentur, finitis Missis contegantur telâ viridi, aut aliis stragulis, priùs vero leuiter purissimâ scopulâ eius generis, quod vestimentis adhibetur prioriè ad eum vsum dest natâ purgentur, ipsa stragula singulis hebdomadis diligenti agitatione à puluere mundentur, & purgentur Atque dum celebranda erit Missa ex Altari totaliter remoueantur, & non tantùm in medio Altaris, quod à quibusdam indecorè fieri cernitur; deindè mappæ ipsæ detergendæ forent scopulis *Acta Ecclesia Mediolanensis. lib. 4. Trauisius de supel. ct. Gauantus loco citato part. tit. 20. in fine.*

ad id tantùm paratis, vt mundissimæ semper appareant.

Castaldus Praxi Cær. lib. 1. sect. 3. c. 1. n. 5.

§. 12. Pallia seu antipendia Altaris non benedicũtur, ad nullũ tamen alium vsum adhiberi debent; Ne autem hinc inde inæqualiter Altari appendeant, rugas contrahant, vel alicubi intorqueantur optandum est, vt tenuibus tabulis ligneis firmissimè tamen sibi cohærentibus affigantur, & extendantur; vt sic extensa & explicata decentiùs conspiciantur; quibus etiam in exteriori parte Crux, aut imago sancti, cuius nomine dicatum est Altare, aut alia Sacra effigies aptè rectèque in medio assuitur: potest etiam sine eo celebrari, puta si Altare ornatum est auro, vel lapide pretioso.

Cær. Episc. lib. 1. c. 12.

§. 13. Nullæ coronides ligneæ circa Altaris angulos duci debent, sed earum loco apponendæ fasciæ ex auro, vel serico elaboratæ, quibus ipsa Altaris facies aptè redimita ornatior appareat: coronides enim ligneæ corrodunt Planetas.

Cær. Epis. lib. 1. c. 12.

§. 14. Crux tanquam signum Regis Iesu Christi, & Memoriale Passionis Dominicæ saltem sub peccato veniali in Altari tempore sacrificij Missæ requiritur. Atque semper collocari debet in medio Altaris, nisi quando expositum est sanctissimum Sacramentum; siue ergo continuò asseruetur sanctissimum Sacramentum in Altari, in quo celebratur, siue ipsius Altaris icon, seu tabula picta aut statua sit ipsamet Crucifixi imago, nihilominus debet collocari Crux inter ipsa candelabra, quia sub sacrificio Sacerdos debet eam continuò ante oculos habere, tum ad eam adorandam, tum ei inclinandum & similes actus exhibendos; atque monet vt collocetur Crux in medio candelabrorum cum imagine sanctissimi Crucifixi prælta, ita vt pes Crucis æquet altitudinem candelabrorum cum imagine sanctissimi Crucifixi prælta, ita vt pes Crucis æquet altitudinem candelabrorum vicinorum, & Crux ipsa tota candelabris supereminеat.

Layman lib. 3. tract. 5. c. 6. assert. 8. Bonac. disp. 4. q vlt. punct. 9. n. 30

§. 15. Reprehenditur hic consuetudo inepta onerandi Altare paruis ac tenuibus imaginibus, tabellis, & Crucibus, quibus minuitur decus & ornamentum Altaris potius quàm augetur. In medio autem necessariò ponenda Crux cum Crucifixo rarò inuenitur posita. Nõ est autem ponenda in Altari alia Crux præter eam, quæ in medio collocari debet, neque vlla monstrantia vacua pro ornamento; Floribus autem frondibusque odoriferis & exquisitis quibusdam ramulis, aptè & concinnè dispo-

Cær. Episc. lib. 1. c. 12.

dispositis, seu veris seu fictis pro temporum varietate, siue in vasculis elegantibus, siue alia ratione, ornari poterunt, exemplo Nepotiani quem hac de re perhonorifice S. Hieronymus commendat. Cauendum verò si veri flores altari imponantur, ne tamdiu relinquantur, vt putrefiant, nec tot ex multitudo muscarum Altare infestet. *Gauantus part. 1. tit. 20. in fin.*

§. 16. Candelabra octauo ad minùs die à puluere & cerâ si fortè defluxerit, mundari debent, & pudor sanè quibusdam in Ecclesijs reperiri candelabra pulueribus, cerâ, alijque sordibus ita repleta, vt vix materia candelabrorum dignosci possit. *Acta Eccles. Mediol.*

§. 17. Rubrica saltem duo præcipit candelabra ponenda in Altari cum candelis accensis, quia in solennioribus Missis regulariter sex in recta linea adhiberi debent; quod conijcitur ex trina hinc inde altaris incensatione, prout distribuuntur candelabra: quatuor etiam in minus solemnibus adhiberi solent pro dignitate Missarum, sed & plura quàm sex apponi possunt. Sed caueat quisquis à numero candelarum superstitioso in Conc. Trid. sess. 22. prohibito, & à numero ambitioso; in præceptis enim Missis nisi aliud exigat solemnitas festi, non conuenit accendere quatuor candelas in Altari, ne quidem Vicarijs Generalibus, licet sint Protonotarij, sicut nec eisdem conuenit ministrari à duobus Capellanis, vti decreuit Sacra Rituum Congregatio 7. *Augusti* 1627. quæ tantùm conueniunt Episcopis, ac ijs maioribus. *Gauantus Part. 1. Tit. 20. lit. x.*

§. 18. Tabella secretorum in vnoquoque Altari ad maiorem commoditatem Celebrantis adesse præscribitur, eâ tamen ratione, vt peractâ Missâ, non erecta sit, sed depressa sub tela, mappaue recondatur, & laudabile etiam est, vt in cornu Euangelij paretur Tabella ex qua legatur Euangelium S. Ioannis, & in cornu Epistolæ Tabellula alia, ex qua legatur oratio *Deus qui humanæ substantiæ*, & Psalmus *Lauabo inter innocentes* &c. *Gauantus loco citato lit. z.*

§. 19. Cussinus siue uluinar ornatiùs adhibetur in Altari ad supponendum Missali quàm pulpitum; sitque plenum non plumâ, neque tomento, neque lanâ concisâ, sed laneâ solidâ, pilisue ceruinis, nec cuiusquam genibus cubitisue, vllo loco supponatur, neque ad vllum profanum vsum adhibeatur. *Act. Mediol. lib. 4. Prouinc. 6. de suppellect.*

§. 20. In signum adorationis præscribitur cereus ad eleuationem Sacramenti accendendus in cornu Epistolæ, quia minister in eadem parte genuflexus re-

peritur. Verùm, ratione festi solennioris, poterunt etiam accendi duo cerei ad eleuationem in vtraque parte, ad excitandam magis circumstantium fidem, quæ lumen est.

Gauantus p. 1. tit. 20. litt. d.

§ 21. Rubrica mandat Ampullas vitreas vini & aquæ in sacrificio Missæ adhibendas, tum vt extrà clarè aquæ & vini materia aduersum sacriministeri, appareat, ne minister & Sacerdos cùm non videant aquæ & vini materiam errent aquam pro vino apponendo, tùm quia aquæ guttæ non ita, vt Rubrica monet, ex ampullis quæ aliâ materiâ constant immittti in calicem possint, quin non vberiùs quam deceat aqua effluat, denique quia etiam eædem difficilè mundè asseruantur difficiliusque à contractis sordibus diluantur. Hinc cùm in hisce partibus omnes ferè vtantur Ampullis stanneis, aut argenteis, curandum erit, ne in materia vini & aquæ error contingat, vt eiusmodi ampullæ in superiori parte oris non nimis angustæ sint, sed commodè inspici possint, atque materia vini & aquæ dignosci queat; & ne plus aquæ quàm deceat vino admisceatur cochleari paruo, aqua calici immittatur.

Gauant. p. 2. tit. 20. lit. b.

§. 22. Deinde vt ampullæ (quod semper diligentissimè curandum erit) mundæ seruentur, præter id quod ad minùs singulis quatuordecim diebus, si quotidie adhibeantur, ad purgandum dentur, ante & post celebrationem *Missarum* aquâ mundâ bene abluentur, ac linteo abstergantur, vt nihil vini aut aquæ in eis remaneat.

Gauantus Part. 1. Tit. 20. lit. c.

§. 23. Manutergium non est deferendum super calicem ad Altare, hoc enim minùs decet, neque etiam sub Missa in Altari ponendum, sed iuxta Rubricam in parua mensa siue fenestella collocandum, vel in defectu illius mensulæ in latere dextro Mappis Altaris acu affixum pendebit.

§. 24. Campanula, ampullæ, peluicula & manutergium, collocari debent super mensam paruam satis capacem propè Altare in cornu Epistolæ linteo mundo contectam vsque ad terram pendente, si potest fieri, quæ dicitur Credentia, vel in fenestella aliqua etiam prope ipsum Altare sed primum est decentius.

Gauantus loco cit. part. 2. tit. 20. lit f.

§. 25. Cùm Rubrica vetat nihil omninò super Altari ponendum, quod ad Missæ sacrificium, vel ipsius Altaris ornatum non pertineat, grauissimè errant qui supra illud ponunt pileum, biretum, subbiretum, Chirothe-

rotheca
ad emu
à Cingu
tùm fie
per cor
neque a
§. 2
ra appa
quo ipſ
ſum mo
beri po
pulchr
que his
& ſupe
dem m
mino i
dus ab
ra ſinti
inter c
nacula
argent
gruè a
magin
protot
tem hi
poſtoli
rit, ſin
Catho
conſue
dinis R
tant) p
uentis
retur,
bani V
ſacrar
gata.
§.
ſtatua
tur, qu
ſtinen
denda
neque v
pillis,
dæſun
mitris,

rothecas, Colare, Rolarium, Diurnale, aut sudariolum ad emungendas nares, quod potiùs sub planeta pendēs à Cingulo ad dextram portandum erit, nec etiam quā tùm fieri potest, apponi debent perspicilia maximè super corporale, quæ omnia ad sacrificium non spectant, neque ad ornatum Altaris. *Gauantus loco citat. part. 1. tit. 20 lit. f.*

§. 26. Decet, vt in diebus festis Altaria splendidiora appareant, quàm in alijs non festiuis, eoque magis quo ipsi dies festiui erunt solemniores. Ideoque tunc in summo Altari aderunt candelabra sex argentea, si haberi possint, sin minùs ex aurichalco, aut cupro aurato pulchrè fabricata, & aliquantò altiora, spectabiliora que his quæ cæteris diebus non festiuis apponi solent, & super illis cerei albi, in quorum medio Crux ex eodem metallo, & opere præalta. Ipsa candelabra non omnino inter se æqualia sint, sed paulatim quasi per gradus ab vtroq; Altaris latere surgētia, ita vt ex eis altiora sint immediatè hinc indè, à lateribus Crucis posita inter candelabra. si habētur aliquæ capsulæ aut tabernacula cū Reliquijs Sanctorum, vel imagines Sanctorū argenteæ; seu ex alia materia staturæ competentis, congruè apponi possunt; sed in exponendis Sanctorum Imaginibus studiosè diligenterque curandum est, vt prototypis quæ per istas repræsentantur iuxta veritatem historiæ, ac receptam & probatam Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ traditionem, quoad eius fieri poterit, simillima sint; nec alio vestiantur habitu, quàm in Catholica & Apostolica Ecclesia ab antiquo tempore consueuit, nec etiam cum habitu peculiari alicuius Ordinis Regularis, neque (quod religiosum quidam putant) pro priuati cuiusque genio, ad exhibendam viuentis hominis effigiem, genuina earum forma adulteretur, quod latiùs patet ex Cōstitutione fel. record. Vrbani VIII. Pontificis maximi circa formam & habitum sacrarum imaginum 16. Iunij 1642. Romæ promulgata. *Car. Epist. lib. 1. s. 12.*

§. 27. Deinde in forma, cultu, & ornatu sacrarum statuarum, tam quæ in Altaribus aut Ecclesijs ponuntur, quam eæ quæ in supplicationibus deportantur, abstinendum est ab omni procaci venustate, obscœna, pudendaue nuditate æque ac deformitate, neque *lineo, laneoue vestitu* sæculari, neque caliendro seu crispatis capillis, neque collaribus, aut vestibus viuorum induendæ sunt, neque alienis monilibus, armillis, birretis, mitris, inauribus, catenis aureis vel argenteis, annulis *Const. Ferdinandi Archiep. Col. de imaginibus edita 9. Martij 1643*

& gemmis mutatorijs, ac pro temporum (hyemis & æstatis) varietate suffultis pallioris expoliendæ; magis enim illa sacras imagines deformant, quàm exornant præsertim cùm ad secularem magis pompam ostendendam, quam ad sanctitatem & pietatem Diuorum exhibendam vel prouocandam, ornatæ, comptæque videantur: sed aptissimo ad exprimendum cuiuslibet Sancti vel Sanctæ prototypon colore, scitâ artificis pictoris manu, fuco quolibet postposito, ita delineentur, vt nihil, nisi quod pietatem & sanctum earum prototypa imitandi desiderium spirat, in illis vllibi appareat.

§. 28. Præterea nec Beatissimæ Virginis nec cuiusvis alterius Sancti vel Sanctæ plures, quàm vna cuiusuis mysterij imagines seu statuæ ad excitandam Sancti beatam & vtilem memoriam, in vno eodemque Altari collocandæ.

§. 29. Neque loci tantùm habenda est ratio, sed etiam antiqui ritus Ecclesiastici, vt scilicet Cruces & Sanctorum imagines seu statuæ, antequam Altaribus adhibeantur, solemni benedictione, adhibitis Precibus, atque Cæremonijs in Pontificali præscriptis, ab Episcopis consecrentur.

§. 30. Imagines sacræ, & sculpturæ, quæ nimiâ vetustate, carie, fuligine, siue sordibus, aut alia quauis iniuriâ deformes, specie sua offendunt intuentium oculos, vt contemptum potiùs quàm venerationem excitent: eæ piè religioseque restaurandæ, aut si id fieri nequit, omninò delendæ, vel incinerandæ, non tamen publicè, sed citra scandalum; cineresque in sacrarium proijciendi.

Ger. Epist. lib. 2. cap. 20. Gauantus part. 4. tit. 7. num. 1.

§. 31. A primis vesperis Dominicæ de Passione vsque ad finem Litaniarum in Sabbato sancto, sunt velandæ Cruces imagines, seu statuæ nostri Saluatoris velis violaceis, potiùs quam nigris, nequaquam autem albis, in quibus nullæ aliæ expressæ debent esse picturæ. Neque isto tempore super Altare vllæ ponendæ sunt Sanctorum imagines.

Cærem. episc. lib. 1. c. 12.

§. 32. Altaria & Ecclesiæ quoque optimè ornari possunt, tapetibus, aulæis, & tabulis pulchrè pictis, in quibus tamen non debent esse vanæ figuræ, aut profanæ imagines quæ falsitatem aliquam significant, aut apocriphas historias, superstitiosa, fallaque dogmata præ se ferunt, aut gentilitatem, vel mendaces Ethnicorum fabulas, Satyrorum, Faunorum, Sirenum,

Termi-

Terminorum, Nympharum, & id genus alia repræsentant, figuras lasciuas, procaces, ob nuditatem vel aliâ ratione obscœnas continent, quæ omnia fidelium mentes distrahunt, religionem & deuotionem impediunt, atque teneræ conscientiæ homines sæpius grauiter offendunt; sed religiosis pijsque figuris, mysterij sacri historiam significantibus contexta sint, & iis potissimùm, quæ Christi Domini, vel Sancti, cuius nomine Ecclesia, Altareque nuncupatur, res gestas exprimant. *Constitutionum & Decretorum Synodalium Prouincia Mediolanensis lib. 4. c. de suppellect. Car. Episc. lib. 1, c. 12.*

§. 33. Præterea gradus summi Altaris in summis festiuitatibus cooperiendi sunt aliquo amplo & pulchro tapete, aut panno laneo eoque pretiosiore, pro solemnitatum ratione, proque Ecclesiarum dignitate, qui longè latè & amplè ita pateat, vt & bradella & Altaris gradus, eius operimento consternatur omnino. Si verò tale tapetium & tam amplum haberi non posset, saltem scabellum seu suppedaneum, quod est proximum Altari, sit tapete aliquo coopertum.

§. 34. Cætera Altaria per Ecclesiam pariter pallijs concoloribus decentibusque ornanda sunt, absque coronide, & cum fascia habeantque singula duo candelabra cum cereis, & in medio Crucem cum imagine Crucifixi, argenteam, vel ex aliquo metallo, aut cupro aurato. Scabella quoque eorum, si fieri possit, tapetibus vel saltem pannis cooperiantur. *Car. Epis. lib. 5. c. 12.*

§. 35. Denique ne laici præsertim mulieres aliquod Altare propiùs accedant, quam deceat, irreuerenterque ijs inhæreant, aut indecorè incumbant, ne item canes pallia siue antipendia Altarium permingendo fœdent, ac corrumpant, ad tuendam sacrorum Altarium maiestatem & dignitatem, singula cancellis ferreis, æneis, aut saltem ligneis similibusue claustris sepienda sunt, vt nulli vnquam ad Altare pateat accessus, præterquam Sacerdoti, eiusque ministris. *c. Sacerdotes de cons. dist. 2 Frangipanus in Direct. Eccles. disc. tit. de diuinis Offic. n. 21.*

§. 36. Illud monendi sunt hoc loco etiam Sacerdotes cùm de Altari sit sermo, quod in Altari, in quo celebrauit Episcopus proprius in sua Diœcesi; ea die ne ibidem faciant Missam sine eiusdem Episcopi licentia (quæ tacita sufficit, quando necessitas vrget, ne perdant scilicet aliqui Missam, vel si consecrandæ sint hostiæ pro infirmis) ob honorem qui Episcopo debetur, à fortiori vbique abstinendum erit a celebratione Missæ, vbi Papa eo die celebrauit, cuius propria Diœcesis est totus orbis. Idem hat cum Legato à latere intra fines suæ legationis; quam consuetudinem quidam abro- *c. In Altari de cons. dist. 2 Layman lib. 5. tract. 5 c. 6 Gauantus part. 1. tit. 20 litt. f.*

abrogatam esse contendunt, sed eam nos eâ quâ de reuerentiâ retineamus.

§. 34. Præterea dum in Ecclesia Missæ sacrificium ue in cantu, siue absque cantu Episcopus facit; inte ab alio Sacerdote in eâdem celebrari non deberet, Episcopus ob aliquam causam secùs permitteret.

PARS SECVNDA.

Ritus seruandus in celebratione Missæ.

TITVLVS I.

De præparatione Sacerdotis celebraturi.

1. SAcerdos celebraturus Missam, præuia confessione Sacramentali, quando opus est, & saltem Matutino cum Laudibus absoluto, oratio- ni aliquantulum vacet, & Orationes in Missali positas pro temporis opportunitate dicat.

2. Deinde accedit ad locum in Sacristia, vel alibi præparatum, vbi paramenta, aliaque ad celebrationem necessaria habentur: accipit Missale, perquirit Missam, perlegit, & signacula ordinat ad ea, quæ dicturus est.

3. Posteà lauat manus, dicens Orationem *Da, Domine, virtutem manibus meis ad abstergendam omnem maculam: vt sine pollutione mentis & corporis valeam tibi seruire.*

4. Deinde præparat Calicem, (qui debet esse vel aureus, vel argenteus, aut saltem habere cuppam argenteam intus inauratam, & simul cum Patena itidem inaurata, ab Episcopo consecratus) super eius os ponit Purificatorium mundum, & super illud Patenam cum Hostia integra, quam leuiter exterget, si opus est, à fragmentis, & eam tegit parua palla lineâ, tum velo serico: super velo ponit bursam coloris paramentorum, intus haben-

habentem corporale plicatum, quod ex lino tantùm esse debet, nec serico, vel auro in medio intextum, sed totum album, & ab Episcopo, vel alio habente facultatem, simul cum palla benedictum.

5. Quibus ita dispositis accedit ad paramenta, quæ non debent esse lacera, aut scissa, sed integra, & decenter munda, ac pulchra, & ab Episcopo item, vel alio facultatem habente, benedicta: vbi calceatus pedibus, & indutus vestibus sibi conuenientibus, quarum exterior saltem talum pedis attingat, induit se, si sit prælatus sæcularis, supra Rochettum; si sit prælatus Regularis, vel alius Sacerdos sæcularis, supra superpelliceum, si commodè haberi possit, alioquin sine eo supra vestes communes, dicens ad singula singulas Orationes inferiùs positas.

6. Acptimùm accipiens Amictum circa extremitates & chordulas osculatur illud in medio, vbi est Crux, & ponit super caput, & mox declinat ad collum, & eo vestium collaria circumtegens, ducit chordulas sub brachijs, & circumducens post dorsum, ante pectus reducit & ligat interim dicens.

Impone, Domine, capiti meo galeam salutis, ad expugnandos diabolicos incursus.

7. Tum Alba induitur, caput submittens, deindè manicam dextram brachio dextro, & sinistram sinistro imponens. Albam ipsam corpori adaptat, eleuat antè, & à lateribus hinc indè dicens.

Dealba me, Domine, & munda cor meum: vt in sanguine Agni dealbatus, gaudijs perfruar sempiternis.

8. Deinde Cingulo per Ministrum à tergo sibi porrecto, se cingit dicens.

Præ-

Præcinge me, Domine, cingulo puritatis, & extingue in lumbis meis humôrem libidinis, maneat in me virtus continentiæ, & castitatis.

Minister interim eleuat Albam supra Cingulum circumcirca, vt honestè dependeat & tegat vestes; ac eius fimbrias diligenter aptat, vt ad latitudinem digiti, vel circiter supra terram æqualiter fluat.

9. Sacerdos accipit Manipulum, osculatur Crucem in medio, & imponit brachio sinistro dicens.

Merear, Domine, portare manipulum fletus & doloris: vt cum exultatiône recipiam mercêdem laboris.

10. Deinde ambabus manibus accipiens Stolam, simili modo de osculatur, & imponit medium eius collo, ac transuersando eam ante pectus in modum Crucis, dúcit partem à sinisto humero pendentem ad dextram, & partem à dextro humero pendentem ad sinistram. Sicque vtramque partem Stolæ extremitatibus Cinguli hinc inde ipsi Cingulo coniungit, interim dicens.

Redde mihi, Domine, Stolam immortalitatis, quam perdidi in præuaricatiône primi parentis: & quamuis indignus accêdo ad tuum sacrum mysterium, merear tamen gaudium sempiternum.

17. Si celebrans sit Episcopus, non ducit Stolam ante pectus in modum Crucis, sed finit hinc inde vtrasque extremitates pendere: & antequam accipiat Stolam, accipit paruam Crucem pectoralem, quam osculatur, & collo impositam finit ante pectus chordulis pendere. Manipulum quoque non accipit ante Stolam, nisi in Missis Defuncto-

functorum, sed accipit ad Altare, cùm in Confessione dicit, *Indulgentiam*, illumque priùs osculatur.

12. Postremò Sacerdos accipit Planetam dicens.

Domine, qui dixisti, Iugum meum suaue est, & onus meum leue: fac, vt istud portare sic valeam, quòd consequar tuam gratiam. Amen.

13. Si sit Episcopus, & solemniter celebret, accipit paramenta, & alia vt in Cæremoniali.

ANNOTATIONES.

§. 1. Ne per vagos ac ignotos Sacerdotes aliquid noui in ritibus & cæremonijs diuini officij introducatur, vel alioquin aliquod nascatur scandalum, aut aliqua irreuerentia, iuxta ordinationem Concilij Tridentini seuerè prohibetur, ne quis vagus, ignotus, vel peregrinus Clericus aut Sacerdos, siue secularis, siue regularis in quacumque Ecclesia ad celebrandam Missam, aliosue sacros actus admitti debeat, nisi exhibitis priùs Episcopi sui Ordinatoris litteris testimonialibus, quæ formatæ vulgò nuncupantur, Ordinarij sui Diœcesani authenticis dimissorijs siue commendatijs litteris; & si à propria Diœcesi diu absens & in aliena commoratus fuerit, etiam Ordinarij illius literis testimonialibus, quibus videlicet de ordinatione sua legitimè adepta, deque vita, moribus, eruditione, titulo & honesta conuersatione fidem faciat, doceatque nullo Ecclesiastico impedimento se ab executione ordinis arceri; Et ne aliquando falsæ literæ ad sacrificandum obtrudantur, Rectores Ecclesiarum nullum Sacerdotem ad Sacrosanctum Missæ officium celebrandum in suis Ecclesijs admittere debent, nisi priùs ipsis litteritoriè constiterit, quod litteræ dimissoriales ac testimoniales huiusmodi per Ordinarium Diœcesanum loci visæ fuerint, examinatæ, atque ad celebrationum Missarum approbatus.

c. extraneo c. hortamur. c. nullum dist. 71. Concil. Trident. sess. 22. de obseruan. & euit. in celebr. Missæ & sess. 23. de reform. c. 16. in fin.

§. 2. Sacerdotes Dei ne pro benedictione maledictionem super se, ac vniuersum populum inducant; caueant omni curâ & solicitudine, ne vnquam alicuius mortalis peccati sibi conscij, quantumuis sibi contriti videan-

videantur absque præmissa sacramentali (vt Rubri
præcipit) confessione, ad sacram Eucharistiam acc
dant. Quod vt à Christianis omnibus, ita à Sacerdo
bus quibus officio incumbit celebrare, sancta & œc
menica Synodus Tridentina seruandum esse decreu
modo non desit illis copia confessarij. Quod si nece
sitate vrgente absque præuia confessione quisquam c
lebrauerit, iuxta eiusdem Decreti sanctionem, qua
primùm confiteatur. In quod periculum, ne quis cada
vtantur singuli quotidie manè & vesperi conscienti
examine, & mox vbi se grauari, aut singultum aliqua
conscientiæ sentire sentiunt sine dilatione ad Confe
sionis Sacramentum accedant, atque etiamsi nullu
criminis sibi fuerint conscij, ad maiorem conscienti
puritatem octauo quoque die, aut etiam sæpius, ab i
quoque peccatis sine quibus hæc vita non ducitur, Sa
cramento pœnitentiæ se expurgẽt. Monentur quoq; Sa
cerdotes, ne induti sacris indumentis confiteantur, se
antequam ijs vestiantur.

Conc. Tridẽt. sess. 13. c. 7. de sanct. Eucbar. Sacr.

Nauarrus in Manuali c. 25. n 8. Gauantus comment. in Rubr. Miss. part. 2. Tit. 1 n. 1. lit. b. Sa verbo Missa. Gauantus ibid. n. 2. lit. y.

§ 3 Cùm plurimi sint Auctores negantes esse pec
catum mortale sine vrgente necessitate celebrare Mis
sam ante lectum Matutinum cum Laudibus, nec pau
ciores affirmantes esse peccatum; tutiùs est Rubricam
sequi, quàm propter probabilem aliquam rationem pe
riculo peccandi se exponere.

§ 4. Sacerdos celebraturus, nisi vrgens excusẽt ne
cessitas, indutus debet esse habitu honesto clericali
sibi conuenienti, qui vt Rubrica præcipit, saltem talum
pedis attingat, nisi in itinere sit constitutus, aut in pagis
degat, quo casu vestes breuiores concedendæ videntur,
non tamen supra medium crus. Non igitur satisfaciunt
Sacerdotes alijque Ecclesiastici, qui tam breui ince
dunt veste, quæ vix genua attingit, & à laicis nequa
quam distinguit, sed varijs scissuris superfluè ac curiosè
est aptata.

§ 5. Sacerdos celebraturus non coronâ minori insig
nitus esse debet quam quæ amplitudine suâ hostiæ ma
gnæ ad sacrificium Missæ seruientis, par sit Quæ quoni
am Christi Domini Regis nostri, nostræque militiæ, &
immarcessibilis gloriæ insigne est perspicuè semper
gerenda, proindeque tertiâ minimè hebdomada reno
uanda.

§ 6. Sacerdoti barbam nutrire minimè licet, sed
eam secunda vel tertia qualibet septimana, vel nouacu
la abradere, vel forficula auferre ita curet, vt tantùm

operta

operta sit cutis, & nec infra in acutum desinat, nec ex superiori labro in alas excrescat, aut vltra ipsum labrũ in os propendeat, ne aut sanguinem, aut corpus Dominicum accepturus per contactum barbæ, in peccatum irreuerentiæ incidat, vnde reconciliationem & gratiam maiorem sperabat.

§. 7. Laudantur Ecclesiæ in quarum sacristijs honestæ crepidæ paratæ asseruantur, ad vsum Sacerdotum Missas celebraturorum, qui in sacristia deponunt communes crepidas seu calceos, & alias ibidem ad id paratas crepidas induunt, ad maiorem nitorem & sacri ministerij splendorem.

§. 8. Cùm longam alere comam, capillitium in cristam componere, seu à brechmate in occiput recrispare, propriè sit superborum, luxurioſorum, barbarorum, & militantium. ideoque decentissimum est, vt sacerdos capillis abscissis vel decenter compositis incedere studeat, ne aut eorum cura teneatur, aut incuria molestetur.

§. 9. Orationes, quæ pro temporis opportunitate à Rubricis Sacerdoti ante Missam dicendæ, præscribuntur, sunt hæ nimirũ Antiphona *Ne reminiscaris, &c.* quæ in duplicibus duplicatur, & pariter ante eas Missas quæ ritu duplici celebrãtur cũ vnica oratione, siue sint votiuæ, siue pro re graui, & quinque Psalmi, videlicet, *Quam dilecta, &c. Benedixisti &c. Inclina Domine aurem tuam, &c. Credidi, &c. Et De profundis &c.* quos Sacerdos dicit, vt quicquid immundum quinque sensuum transgressione commisit, quinque Psalmorum oratione detergat; mox subiungit preces cum orationibus septem ad impetrandam cordis & corporis munditiam, & munimen. Possunt tamen dicti Psalmi & preces omitti in Missa pro defunctis; & tempore paschali suo loco additur *Alleluia*, quamuis etiam celebretur pro defunctis, quæ hæc sequuntur officium non verò Missam. Sicut tempore Passionis, excepto triduo ante Pascha, debet dici versus *Gloria Patri*, post Psalmos, etiam in Missa pro defunctis. Non est peccatum hos psalmos omittere cum suis precibus vti constat ex ipsis Rubricis quæ pro temporis opportunitate eosdem præscribunt.

Durandus in rationali suo lib. 4. c. 3. Car Episc. lib. 2. c. 26.

§. 10. Non sine Missali celebranda est Missa, aliàs graviter peccatur, quia exponit se quis periculo grauiter errandi. Neque Missale aliud, nisi Pij Quinti Pontificis Maximi iussu editum ab ijs qui vtuntur Breuiario Romano adhiberi potest, vt ex eiusdem Pij Quinti Bulla constat,

Nauar. in Manuali c. 15. nu. 84. Bonac. disp. 4. q. vlt. punct. 9. n. 30.

constat, nec alij alijs Missalibus quam approbatis uti possunt. Qui libet Missalis, ne Sacerdos sub sacrificij Missæ indecorè folia eiusdem vertere cogatur, ornatus esse debet suis signaculis ex sericis funiculis duodecim confectis, ac longè ita ductis, vt Missalis longitudinem excedant. Præterea ab accuratioribus idem liber Missalis proprio integumento colori Missæ conuenienti conuestitur, vt eò ornatior appareat; semperque curandum vt in sacristia mundo in loco asseruetur.

Gauantus loco cit. lit. t.

§. 11. Quatuor Sacerdoti à Rubricis circa Missale agenda præscribuntur 1 vt capiat illud. 2. vt perquirat Missam 3 vt perlegat Missã eum in finẽ, vt si mutanda sit Oratio maximè secreta quæ sit eadem cum alia, opportunè mutationi prouisum sit; Deinde ne accidat error in probatione verborum cum scandalo auditorum. 4 vt librum Missalis claudat, eumque ponat iuxta paramenta pro ministro atque aduertat ne Minister alium ad Altare loco illius deferat.

Gauantus loco cit. n. 1. lit. d.

§. 12. Plurimi putant, Sacerdotem si non reciter preces ab Ecclesia præscriptas dum lauat manus, aut sacris se induit vestibus mortaliter peccare, sed contrarium alijs videtur, caueat igitur Sacerdos ne illas aduertenter omittat, aut clarâ voce sed vt Rubrica habet submissa voce recite t, excitando in se ardens desiderium eorum virtutum quas sacræ vestes repræsentãt, quod vt commodiùs fieri possit, congruenter dictæ orationes pulchrè descriptæ aut expressæ in tabellis habentur, vt ex ijsdem, dum sacerdos se induit, easdem recitare possit.

Nauarrus. c. 23. num. 71. Bonac. disp. 4. q. vlt. punct. 9. n. 32

§. 13. Non est vtendum Calice ex ligno, ferro, lapide, aut vitro facto, neque eò qui est factus ex ære aut aurichalco, ne ærugo generetur, aut vomitus prouocetur. Calicis & Patenæ materia debet esse aurea argentea, vel, si paupertas postulet, saltem stannea & ex communi vsu satis videtur, vt cuppa, quæ sola ad vsum Sacramenti proximè deseruit, confecta sit ex præscriptis materijs, licet pes ex alia materia, vt ære, vel simili constet.

e vasa. c. vt Calix de cons dist. 1. S. Thomas 3. part. q. 83. art. 3 ad 6. Layman lib. 5. tract. 5. c. 6. n. 12.

§. 14. Calix & Patena ordinariè non consecrantur nisi ab Episcopo, duratque consecratio Calicis & Patenæ quamdiu manent integra, amittitur autem si notabiliter frangantur, ita vt non habeant formam & integritatem quæ ad conuenientem eorum vsum necessaria est, si interior pars calicis & ea superficies Patenæ, in qua

VViggers de Sacram q. 23. dub. 1° & q. 83. dub. 16.

qua corpus Domini collocatur de nouo deaurentur, iterum consecrari debebunt: quia id in quo proximè fit contactus corporis Domini iam consecratum non est, non tamen per solius deaurationis amissionem perditur consecratio Calicis; sin verò Calix aut Patena aliter profanentur, v.g. ad communes vsus sacrilegè adhibeantur, aut profanis manibus attingantur, tum propriè non censentur violata, quamuis decens ac honestum sit, vt aquâ benedictâ prius lauentur, quam ad sacrificandum adhibeantur. *Layman. lib. 5 tract 5. c. 6. n. 6. & 7.*

§. 15. Pes calicis ita amplè pro magnitudine illius pateat, vt firmissimè, vbi collocatur, hærens, cadere nequeat; forma autem octangula aut sexangula, aut alia eiusmodi sit in eius pedis superficie nulla debent esse expressa signa ad ornatum inanem spectantia; Cuppa aliquantulum in fundo angusta sensim vsque ad summum labrum latior; nodus in medio decorè rectèque ornatus, nihil vel minimùm eminens habeat, quo dum calix capitur incommodè capiatur.

§ 16. Magnâ etiam diligentiâ curandum, vt Calices ex auro aut argento, mundi & nitidi conseruentur, vnde Prælatorum & Parochorum curâ & prouidentiâ, singulis annis in vase ad hoc destinato bis teruè lauentur; ex stanno autem sæpiùs in anno. Hæc autem ablutio à Sacerdote, Diacono vel Subdiacono, aut aliis quibus solis nudis manibus nudos calices tractare concessum est, fieri tantùm debet. *Layman theol. moral. lib. 5. tract. 5. c. 6. n. 15. Gauantus Part. 4. de nitore & munditie supellect. §. Calices. c. in sancta dist. 1. de consecr. c. sacratas dist. 23.*

17. Calix, Patena, item quæ consecrata atque sacro Chrismate vncta sunt, vt Altare, cerei agni &c. sicut etiam Corporalia, Purificatoria, & Pallæ antequam à ministro in sacris constituto, in pelui ad id præparata lota fuerint, tangi non debent ab eo qui non est saltem Subdiaconus, nisi aliud permittat priuilegium, aut particulare, aut ordinis. Cæterum tametsi pyxides seu Ciboria, item lunula quæ sacram Eucharistiam immediatè contingit, benedicta sint, quia tamen chrismate non vncta, sicuti sacri calices, ideo priusquam ad Sacrum Corporis Christi contactum adhibentur à laicis æquè ac Clericis tangi possunt, non item postquam species sacratas contigerunt quod etiam de Corporali & Purificatorio dici debet. *Layman theol. moral. lib. 5. tract. 5 c. 6. n. 19. & 22.*

§. 18. Purificatorium, quod vt ab alijs pannis lineis ad tergendas manus aut emungendas nares dignoscatur, conuenit vt in medio illius pingatur Crux, non benedicitur sicut nec velum, nec bursa; & debet esse, ex tela *Gauantus Part. 2. Tit. 5. n. 1. litt. i.*

tela non crassa admodum, neque tenui nimis, ac simplici acus opere confectum,

Gauantus part. 2. tit. 1. n 1 litt. o.

§. 19. Conuenit vt Bursa corporalis, habeat Crucem in medio frontis, a tergo sit ex eâdem materia & colore cuius est frons, intrinsecus vero subserico aut telâ tenui candida circumuestita, dum portatur super Calicem ad Altare, ea pars Bursæ quæ aperta est Celebrantem respicere debet, velo anteriori super eam reuoluta. Antequam Bursam omnino recludatur Corporale, non ver superponatur.

Sa. verb. Sacra n. 15. Layman. theol. mor. lib. 5. tract. 5. c. 6. n. 15. Tolet. lib. 2. cap. 2.

§. 20. Singulari studio curandum est, vt Corporalia quippe quæ Christi corpus (vnde & nomen acceperunt) immediatè attingunt, mundissima sint. Sacerdos enim adhibens corporalia notabiliter immunda grauiter peccat, quia facit contra reuerentiam tanto Sacramento debitam, in re quæ proximè attingit Corpus Christi. Insuper studiosè & magnâ diligentiâ inspicienda non nunquam & examinanda sunt, ne vllum vspiam, præsertim autem circa medium & eas partes, quibus Hostia sacra in Missa imponitur, habeant foramina, quod si quædam ex quauis causâ, vel etiam telæ vitio, licet minutiora habere deprehensa fuerint, ne micis sacris, si fortè (quod absit) inde dilabantur irreuerentia aliqua contingat, in continenti quantumuis pretiosa, pulchra, munda & ornata, remoueantur.

c. Consulto de const dist. 1. S. Thomas part. 3. q 83. art. 3 ad 7. Gauantus Part. 2. Tit. 1. n. 1 litt. p. Bonac, disp 4. q vlt. punct. 9. n. 24. Layman theol. moral. lib. 5 c. 6. n. 11. Can. Sacratas Dist. 23.

§. 21. Corporalia debent esse ex tela linea pura, candida & simplici, neque in interiori eorum parte alia materia licet pretiosior misceri debet, debent quoque esse simplicia, non autem duplicata, atque ita complicata, vt nulla eorum extremitas appareat, & in quatuor partibus acu Crux pingi potest. Singulisque alternis mensibus mutanda, si quotidie ad sacrificium Missæ adhibeantur.

§. 22. Palla debet benedici eadem benedictione, vt Corporale, & esse eiusdem materiæ cuius est Corporale in superiori tamen eius parte potest sericum, & aurum addi. Nec non eodem cultu veneranda vt Corporale ideoque non tangenda à laicis, neque à sacratis fœminis, ante primam lotionem, ab aliquo in maioribus ordinibus constituto factam, ideoque numquam mittenda per ministrum pro ferendis hostijs ad Altare, casu quo quis vellet communicare, quia Palla linea nihil est aliud quam Corporale exiguum.

§. 23 Antequam Corporalia, Pallæ, & Purificatoria laicis lauanda traduntur, priùs ab aliquo in sacris con-

constituto in Sacristia, vel Ecclesia; in eodem vase seu pelui, qua Calices & Patenæ abluuntur, aquâ calidâ semel & iterum lauanda, & deinde in cumulum torta, vt aqua bene exprimatur, quæ tota in sacrarium fundenda est, laicis id est monialibus, vel certè alijs honestis & adultis matronis tandem lauanda offerantur. Vbi autem lota sunt denuo benedici non indigent, sed immediatè ad Missæ sacrificium abhibenda sunt, prima enim benedictio sufficit, nec vllâ lotione violantur. *c. nemo de consecrat. dist. 1. Gauantus part. 2. tit. 1. litt q. Layman theol moral. lib. 5. tract. 5 c. 6. n. 19.*

§. 20. Hostia imponenda Patenæ mundissima esse debet, formæ rotundæ, in modica quantitate, figuram, quantùm fieri potetit, Christi Crucifixi in vna tantum parte habens; hæc est enim conuenientior eius formæ.

§. 21. Paramenta non debent sumi de Altari pro celebratione Missarum, cum id tantùm competat Episcopis, siue solemniter, siue priuatim celebrent. Inferioribus vero habentibus vsum Pontificalium, non nisi quando in Pontificalibus celebrant Deficiente vero Sacristia, aut in mensa separata, aut si in casu necessitatis ponantur in Altari, nunquam tamen in medio, sed in cornu Euangelij collocentur, vt decreuit S. Rituum Congregatio *die 7. Iulij* 1612. ac nouis Missalibus auctoritate Vrbani Papæ VIII recognitis præfixum. *Gauantus part. 2. tit. 1. n. 2.*

§. 22. Sacerdotalia indumenta nec non Ecclesiarum Paramenta Abbates & alij Regularium superiores ex priuilegio benedicere possunt, non tamen benedicere paramenta Ecclesiarum non sibi subditarum vt constat ex Decreto Sacræ Rituum Congregationis *die* 24. *Augusti* 1609. & renouato *die* 10. *Septemb.* 1628. Neque vlla obstat consuetudo quam abrogavit, & non obstare declarauit sacra Rituum Congregatio 18. *Augusti* 1629. Neque Episcopi hanc facultatem alijs Sacerdotibus delegare possunt, quia est de potestare Ordinis hæc benedictio, quæ delegari non potest, sine facultate Papæ. Nullo igitur modo sacerdotes simplices paramenta sacerdotalia benedicere possunt nisi cum speciali facultate summi Pontificis. *Nauarrus in suo Manual. cap. 25. n. 84. Azor tom. 1. lib. 10 cap. 28. §. porro. Gauantus part. 4. tit. 19. n. 22.*

§. 23. Prohibetur vsus Rocketti exceptis tamen quibus de iure competit, & præter hoc statuitur & declaratur, nemini licere inseruire, aut assistere in celebratione Missarum, aut diuinorum officiorum cum Rochetto, neque cum Cotta siue superpelliceo habente manicas augustas ad instar Rochetti, & idem obser-

Missale Romanum nouum in principio.

uandum est in Concionibus, vt decreuit Sacra Rituum Congregatio. quod decretum nouis Missalibus Romanis præfixum est.

Cat. Episc. lib. 2. c. 8.

§. 24. Sacerdos accipiens Amictum diligenter eum aptet, circa collum, ita vt vestium summitates quæ vulgò Collaria vocantur omnino tegat, & non ostendat aut deponat vti plurimi faciunt; qui collaria gerunt prominentia, quæ ne forte plicas contrahant aut venustatem deperdant ea deponunt, & iuxta Altare vel certè in Sacristia indecenter collocant, aut non vt Rubrica præcipit, collaria amictu tegunt, sed supra amictum indecorè satis ostendunt. Ridiculum plane id, & Sacerdotali statui indecorum. Hic non est vsus Patrum nostrorum siue piorum & antiquorum sacerdotum, sed originem duxisse videtur ab ijs Ecclesiasticis qui in veste & moribus leuiores, partim sæculi partim Ecclesiæ seruire & placere cupiunt. Ideoque piorum id Sacerdotum mente ablegandum, nemo non prudens iudicare debet. Si enim collaria honestatis gratia gestent, sic curent aptari, vt sacrificantibus indecentiam nullam afferant, sed commodè amictu, vti Rubrica mandat, omnino tegi possint.

Gauantus part. 2. Tit. 1. n. 3 litt. d.

§. 25. Omittendum est signum Crucis quod præter Rubricam sibi faciunt quidam manu, & amictu simul à fronte ad pectus: vel signent se manu tantùm antequam amictum accipiant, vel omittant.

Gauantus loco citato litt. l.

§. 26. Manipulus iuxta Rubricam brachio imponi debet, ac propterea cauendum ne suprà cubitum protrahatur, sed chordulis aut aciculis ligari debet infra cubitum non longè à manu.

§. 27. Stola dum imponitur ita collo abesse debet ne sudore capillorum aut colli inquinetur, neque vtraque pars stolæ cingulo supponenda sed extremitatibus Cinguli, Cingulo coniungenda; Nec Stolæ Sacerdotali aliquid appendendum, Episcopali vero & Diaconali ab vtraque media eius parte funiculi serici eodem colore & flosculis laciniatis annectuntur.

§. 28. Dum Planeta siue Casulâ Sacerdos se induit, non (vt quidam faciunt) priùs osculanda, quia iuxta Rubricam præter Amictum, Manipulum, & stolam nulla alia indumenta osculanda sunt.

Gauantus Part. 2. Tit. 1. n. 8. litt. u.

§. 29. Planeta recentiori vsu habere deberet (licet in his partibus contrarium practicetur) speciem columnæ à parte posteriori; ab anteriori verò Crucem, quasi Sacerdos sit inter Columnam & Crucem Christi,

Christi, quæ duo vincula in anteriori parte habere debet, quibus Sacerdos eam alliget, ne à tergo indecenter dependeat.

§. 30. Dum Sacerdos sacris induitur vestibus nemini colloqui debet, neque loquentibus aures præbere, sed mentem & oculos ab omnibus amouere, qnibus distrahi possit, quod multò magis obseruandum, dum iam est vestitus & fortè in sacristia expectandum, neque sacris vestibus indutus, è sacristia exire, nisi cùm ad Altare eundum sit neque cum iis vt suprà dictum est, confiteri, sed id faciendum, antequam sacris vestiatur vestibus

Act. Prouine. Eccles. Mediol. lib. 4. Cap. de Missa.

Gauantus Part. 2. Tit. 1. n. 1. litt. a.

§. 31. Nulli quantumuis magno præter Episcopum aut habentem vsum Pontificalium indumentorum vnquam licet gestare annulum in Missa, qui expressè prohibitus a Sacra Rituum Congregatione Prothonotarijs, Doctoribus, & quibuscunque Dignitatibus & Canonicis, tum ad differentiam Episcopi, tum ad humilitatis indicium coram sanctissimo Sacramento quod manu tractari debet. Sacerdos autem, cui propter officij munus, aut honoris gradum iure annulus est concessus, vnicum in Annulari digito dextræ manus gestare potest; Eum vero dum Missæ sacrificium celebrat, deponere debet. Neque vlli Sacerdoti Crucem aliquam siue auream, siue argenteam siue ex quocumque metallo in sacrificio Missæ ante pectus publicè suspensam habere licet, nisi Episcopo, aut cui, ex speciali privilegio Apostolico id competit.

Gauantus Part. 2. Tit. 1. n. n. 6.

§. 32. In Missæ sacrificio neque Celebrans, neque ministri vti debent pileolo seu birretino, vt vocant, sine expressa Summi Pontificis licentia, quæ non solet concedi nisi ex graui causa: & tunc qui talem habent licentiam pileolo seu birretino vtuntur vsque ad manuum ablutionem, ante quam lotionem illum tradit ministro custodiendum vsque ad Purificationem, nunquam vero super Altare aut Credentiam deponi debet. ita S. Congregatio Cardinalium qui negotijs & consultationibus Episcoporum præsunt definiuit 2 *Ianuarij 1590. & 17. Ianuarij 1595.* Idem quoque decreuit S. Rituum Congregatio *die* 31. *Ianuarij* 1626. & 14. *Aprilis eodem anno*, ac quamcumque contrariam consuetudinem sustulit: sicut fusius ex ipsius Rituum Congregationis decreto initio Missalis Romani postremo recogniti præfixo, colligere licet. Non potest ergo Episcopus secum dispensare, multo minùs cum alijs.

c. Nullus de consecrat. dist. 1.

Gauantus part. 2 tit. 2. sub n. 2. lit f.

c. Ligna & t. Altaris de consecrat. dist. 1.

§ 33. Paramenta Sacerdotalia benedicta, vasa sa cra, Corporalia, Purificatoria, aliaque supellex Eccles astica ad profanos vsus adhiberi nunquam debent l cet vetustate absumpta, vel lacerata sint; quin potiu igni absumenda sunt.

Layman theol. mor. lib. 5. tract. 5. c. 6. n. 20. Bonacina disp. 4. q. vlt. punct. 9. n. 17.

§. 34. Vestes sacræ amittunt benedictionem quan do ita franguntur, vt non sint aptæ ad vsum, ad quem fuerant destinatæ, aut non amplius priorem retinea figuram, ex quo infertur Albam non indigere nou benedictione, si ad eam reficiendam addantur aliqui quorum additione remanet adhuc prior figura, etiam si quæ addunturnon sint benedicta, accessorium enim sequitur principale. Ex opposito, Alba desinit esse b nedicta si ex ipsa abscindatur manica, quamuis illi po stea eadem manica assuatur, nam per abscissionem manicæ, ita perfringitur, vt non sit apta ad vsum, a quem fuerat destinata, nec amplius retinet priorem figuram.

§. 35. Cingulum indiget nouâ benedictione, si in perfringatur vt nulla ipsius pars ad cingendum apta remaneat, quamuis ei addatur alia pars minus apta.

Bonacina ibidem. Bonacina disp. 4. q. vlt. punct. 9. n. 28. VVigers de Sacramentis q. 83. dub. 14.

§. 36. Omissio sacrarum vestium, præcisa inaduertentia, inducit peccatum mortale, etiamsi vna tantum omittatur, censetur enim in re graui, violari vsus & consuetudo Ecclesiæ, quæ has vestes induxit in honorem & reuerentiam sanctissimi Sacramenti. Idem dicendum videtur si adhibeatur aliqua non benedicta. Ideoque nullo casu licet celebrare sine sacris vestibus, ne quidem metu mortis, ita scilicet, vt solis vsualibus & communibus vestibus celebretur, quemadmodum post Caietanum 1. 2. quæst. 96. art 4 tradunt alij, quia hoc non potest fieri sine magna irreuerentia. Præterea mittere autem vnam vel alteram in casu necessitatis non videtur mortale, secus si extra illum.

Sylvius Part. 3. quæst. 83. art. 6. Innocent. 3. cap. 64.

§. 37. Denique sciendum quod paramenta seu ornamenta Sacerdotalia non sint virtutes, sed virtutum insignia quibus tanquam scripturis vtentes admonentur, quid debeant appetere, quid vitare, & ad quem sua facta dirigere. Prouideat ergo, & diligenter attendat Sacerdos, vt signum sine significato non ferat, vt vestem sine virtute non portet, ne fortè similis sit sepulchro deforis dealbato, intus autem omni pleno spurcitia. Quisquis enim sacris indumentis ornatur & honestis moribus non induitur, quantò venerabilior apparet hominibus, tantò indignior redditur apud Deum

Gauantus Part. 2. Tit. 1. in fin.

Sacerdo

Sacerdotalem itaque gloriam non honor commendat vestium, sed splendor animarum. Sed reprehendendi etiam occurrunt, qui tam sordidas, laceras, omnino tritas, si issa suè & in anno vix semel lotas vel celebraturis apponunt vel ipsi celebraturi non aspernantur, vel etiamsi honestæ sint, sine vllo decore & decentia hinc inde inæqualiter propendentes, componere negligunt: hoc ipso ostendentes suam in interiori negligentiam, dum exteriorem illum ad maiorem Dei gloriam & conciliandam populi erga hæc sacra mysteria reuerentiam promouere non satagunt, maximè cùm plurimi Doctores mortale esse peccatum, in vestibus, aut vasis valde immundis celebrare censeant. *Silues. verb. Missa quæst. 2. § 3.*

§ 3. Episcopus non gestat Stolam in modum Crucis, quia vtitur Cruce pectorali Reliquijs Sanctorum refertâ, quam accipit ante Stolam; in defectu tamen istiusmodi Crucis pectoralis, stolam in modum Crucis ante pectus ducere debet.

TITVLVS II.

De ingressu Sacerdotis ad altare.

§. 1. Sacerdos omnibus paramentis indutus, ac[cedens] accipit manu sinistrâ Calicem, vt suprà præparatum, quẽ portat eleuatum ante pectus, bursam manu dextrâ super Calice tenens, & factâ reuerentiâ Cruci; vel imagini illi, quæ in Sacristia erit, capite cooperto accedit ad Altare, ministro cum Missali & alijs ad celebrandum necessarijs (nisi antè fuerint præparata) præcedente superpelliceo induto. Procedit autem oculis demissis, incessu graui, erecto corpore. Si verò contigerit eum transire, ante Altare maius, capite cooperto faciat ad illud reuerentiam; si ante locum Sacramenti genuflectit: si ante Altare vbi celebretur Missa, in qua eleuatur, vel tunc ministratur Sacramentum, similiter genuflectat, & detecto capite illud adoret, nec antè surgat, quàm Celebrans deposuerit Calicem super Corporale.

2. Cùm peruenerit ad Altare, ſtans ante illiu infimum gradum, caput detegit, birretum mini ſtro porrigit, & Altari, ſeu imagini Crucifixi de ſuper poſitæ profundè inclinat. Si autem in eoſ Tabernaculum ſanctiſſimi Sacramenti, genufle ctens debitam facit reuerentiam. Tunc aſcendi ad medium Altaris: ibi ad cornu Euangelij ſiſti Calicem, extrahit Corporale de burſa, quoder tendit in medio Altaris, & ſuper illud Calicem velo coopertum collocat. Burſam autem ad cor nu Euangelij. Si in Altari paramenta accepit, ho idem facit antequam deſcendat ab Altari, vt Miſ ſam inchoet.

3. Si eſt conſecraturus plures Hoſtias pro communione facienda, quæ ob quantitatem ſu per Patêna manere non poſſint, locat eas ſuper Corporale ante Calicem, aut in aliquo Calice conſecrato, vel vaſe mundo benedicto ponit eas retrò poſt Calicem, & alia Patena ſeu Palla coo perit.

4. Collocato Calice in Altari, accedit ad cor nu Epiſtolæ, Miſſale ſuper cuſſino aperit, reperit Miſſam, & ſignacula ſuis locis accommodat. De inde rediens ad medium Altaris, facta primùm Cruci reuerentia, vertens ſe à cornu Epiſtolæ, deſcendit poſt infimum gradum Altaris, vt ibi faciat Confeſſionem.

ANNOTATIONES.

§. 1. Calix facculo inuolutus non eſt deferendus ad Altare, vel inde ad Sacriſtiam, vt colligitur ex Rubrica; nec aliquid ſuper Calicem ponendum præter ea quæ in Rubricis ſuprà explicata ſunt non ſudarium, non manu tergium, neque conſpicilia, quantùm fieri poteſt, ſed ea tradantur miniſterio deferenda.

Gauantus Part. 2. Tit. 2. n. 1. litt. H.

§. 2. Reuerentia facienda Cruci ſeu imagini illi quæ in Sacriſtia erit, fit capite cooperto, & profundè inclinato, non enim in Rubricis verbum illud *cooperto* concordat tantùm cum ſequenti *accedit*, ſed etiam cum præ-

Gauantus Part. 2. Tit. 2. n. 1. litt. 6.

præcedentibus, nec inconuenit, cùm paulò post idem fieri præscribatur, quando transit Sacerdos ante Altare maius, in quo item Crux esse debet.

§. 3. Minister solum portans Missale, deferat illud ambabus manibus erectum ante pectus, manus angulis inferioribus apponens, atque oculis demissis, & incessu modesto incedens, factisque reuerentijs Cruci in Sacristia, Altarique maiori simul eum celebrante, à latere sinistro eiusdem paulo post eum.

§. 4. Sacerdos procedens ad Altare sacrificaturus, vel ab eo post sacrificium ad Sacristiam reuertens; neminem salutare debet, ne salutatus quidem, sed oculis demissis, incessu graui, erecto corpore, in solius sacræ actionis quam aggreditur aut perfecerit cogitatione defixum teneat animum. *Gauantus Part. 2. Tit. 2. n. 1. litt. d.*

§. 5. Celebrans transiens Altare in quo expositum est Sanctissimum Sacramentum, aut si aduertat in Altaribus minoribus adhuc esse post consecrationem, aut si per Ecclesiam obuiam quis venit Sanctissimum Sacramentum deferens, aut illud communicantibus distribuens, semper genuflectere debet; & hæc genuflexio vnico genu tantùm fieri debet, quando verò eleuatur Sanctissimum Sacramentum, vique ad depositionem calicis genuflexio fieri debet vtroque genu, quia tunc mora intercedit, & per id tempus tradere potest birretum ministro, vt illud, seruet eo tempore quo genuflectit, recepturus, illud antequam surgat. *Gauantus Part. 2 Tit. 2. n. 1. litt. d.*

§. 6. Errat autem qui paratus vestibus sacris celebraturus, transiens ante SS Sacramentum non patenter expositum denudat caput, quia exponit se periculo, ne amotâ manu dextrâ cadat aliquid de calice. Sacramento verò patente in Altari, cautè se gerat, dum amouet manum dextram ad deregendum caput, neque incedat idcirco longiùs aperto capite, quod titulo maioris reuerentiæ faciunt quidam, sed minùs cautè ob calicem quem manu gestant. *Gauantus loco citato litt. d.*

§. 7. Similiter errat, qui adorat Sanctissimum Sacramentum patenter expositum priùs denudat caput quàm genuflexeri, priùs se erigit, quam caput texerit, & manum dextram Calici superposuerit, exponens se periculo quo in terram cadere possit Patena vel Bursa.

§ 8. Dū transit ante Altare in quo exposita est solemniter Reliquia insignis Sācti, de quo fit festum ibidem, *Gauantus loco citato.*

conuenit, vt aperto capite inclinet illi profundè, in alijs Reliquiarum expositarum casibus, est habenda tantùm ratio Altaris.

§. 9. Neminem Sacerdos salutare debet aperto capite, sed tantùm Prælatis aut magnatibus, quos transit inclinat. Si verò nihil deferat dum transit ante Episcopum, conuenit vt capite detecto illum salutet. Si adsit Princeps aut vir aliquis insignis illi reuerentiam faciet recto capite, si habeat Calicem.

§. 10. Obseruandum tres esse modos præcipuos faciendi in Missa reuerentias.

§. 11. Primus modus est flexio vtriusque genu vsque ad terram, quæ fit à Celebrante dum in ingressu ad Altare, vel regressu adorat Sanctissimum Sacramentum eleuatum, vel dum accedit vel recedit ab Altari in quo patenter expositum est Sanctissimum Sacramentum. Deindè cùm aliquid in Choro cantatur ad quod diutiùs est genuflectendum à Celebrante, vt ad *Incarnatus est* &c. *Veni Sancte Spiritus* &c. & ad Versum. *Adiuuanos Deus* &c. Similiter quotiescumque Augustissimum Sacramentum patenter expositum, thurificandum est.

§. 12. Secundus modus est genu dextri flexio vsque ad terram, quam Celebrans facit, cùm in Missa priuata dicit. *Flectamus genua*, cùm profert verba. *In nomine Iesu omne genu flectatur; Et verbum caro factum est. Et procidentes adorauerunt eum. Et procidens adorauit eum, Et incarnatus est. Veni Sancte Spiritus*, & ad alia vt Part. 1. Tit. 17. n. 1. latiùs præscribitur.

Direct. Sacerdotale Part. 2. Tit. 3. pag. 74.

Sed obseruandum, quod genuflexiones huiusmodi fieri debeant absque strepitu pedum dextro pede non super sinistrum in modum Crucis, nec extra supremum gradum posito; corpore aliàs erecto, manibus in Altari non compositis in modum Crucis, sed hinc inde extra Corporale, post consecrationem vero propter fragmenta ponendi digiti pricres iuncti super Corporale.

§. 13. Tertius modus Reuerentiæ est, Inclinatio, & hæc quidem triplex profunda, media, & solius capitis.

§. 14. Profunda sit capitis humerorumque profundâ incuruatione, quam facit Sacerdos quoties in Rubricis præscribitur profundè esse inclinandum, veluti dum Altari in quo celebraturus (si in eo non asseruetur Sanctissimum Sacramentum) aut Prælatis in Rubrica specificatis, exhibet reuerentiam, dum dicit

Confiteor.

Confiteor &c. *Munda cor meum*, &c. *Iube Domine benedicere*, &c. *Dominus sit in corde meo, Te igitur clementissime Pater*, &c. *Supplices te rogamus* &c.

§ 15. Media, dicitur quæ fit capitis & modicâ humerorum inclinatione, fit quoties in Rubricis absolutè, aliquantulum, aut parum inclinandum esse præscribitur velut ad Vers. *Deus tu conuersus* &c. vsque ad *Auser à nobis* exclusiuè cum dicit *Oramus te Domine*. &c. *In Spiritu humilitatis* &c *Suscipe Sancta Trinitas, Sanctus*. vsque ad *Benedictus qui venit* exclusiuè. Item ad vtramque consecrationem dum cubitis super Altare posit. profert verba consecrationis. Ad *Agnus Dei*, & tres sequentes Orationes ante Communionem. Ad *Domine non sum dignus* &c. & dum Corpus Domini sumit. Denique dicens. *Placeat tibi Sancta Trinitas* &c.

§. 16. Inclinatio solius capitis fit quoties in Rubricis exprimitur caput esse inclinandum, quam Celebrans facit versus Crucem quotiescumque à medio discedit Altaris, & eo accedit, dum profert nomen *Iesu* Versum *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto* vsque ad Versum. *Sicut erat in principio* &c. exclusiue cum sub Hymno *Gloria in excelsis*, dicit *Deo adoramus te, Gratias agimus tibi, suscipe deprecationem nostram*; Cum sub *Credo* dicit *in vnum Deum, Iesum Christum*, simul adoratur in Præfatione dicendo *Gratias agamus* ad verba *Deo nostro* in Canone *Tibi gratias agens* & dum dicit, *Per eundem Christum Dominum nostrum*. ante *Nobis quoque peccatoribus* quotiescumque in Missa dicit *Oremus*, dum in Missa priuata dicit *Humiliate capita vestra Deo*, &c. antequam vertit se ad dandam populo benedictionem ad vocem *Deus* dum in fine Missæ ab Altari discedit. Item caput inclinat, sed aliquanto remissius nec semper versus Crucem, sed eo versus vbicumque steterit, cum proferet nomina *Mariæ*, aut *Sancti* cuius festum celebratur, & ad nomen Papæ viuentis. Sed sciendum quod ad nomen *Iesu* aliquanto profundius inclinandum sit caput, maximè verò in conclusione cuiusuis Orationis.

§ 17. Cùm peruenerit ad Altare, stans in plano Capellæ, ante infimum gradum, detecto capite, Altari profundè inclinat. Si autem in eo sit tabernaculum SS. Sacramenti in plano, non verò in primo gradu Altaris genuflectit.

§. 18. Calix ponitur à latere Euangelij non ob mysterium aliquod, sed ad commoditatem, quia li-

ber est à parte Epistolæ.

§. 19. Bursa Corporalis non est collocanda post calicem in medio Altaris; aut in cornu Epistolæ, sed iuxta Rubricam ad cornu Euangelij illa collocari debet.

§. 20. Dum Sacerdos explicat Corporale in medio Altaris, videat ne illud ex Altari promineat, sed ora Corporalis oram Altaris tangat eo fine vt manus, quæ ante consecrationem tenentur extra Corporale, post consecrationem intra Corporale contineantur commodius. Atque ex his colligitur errare eos qui non explicant Corporale, sed differunt vsque ad oblationem.

Gauantus Part. 2. Tit. 2. n. 2. litt. 2.

Gauantus Part. 2. Tit. 2. n. 2. litt. 1.

§. 21. Ita aptandum est velum calicis super calicem, vt ab anteriori parte totus calix latent. si calix vndequaque vero contegi non possit puta si velum sit nimis breue.

§. 22. Rubrica sub n. 3. per hostias intelligit particulas pro Communione fidelium, quæ si ob quantitatem super patena manere non possunt, vel Ciborio aliquas adhuc hostias consecratas continenti minimè imponi non debent, Sacerdos locat eas super Corporale ante calicem, aut in aliquo calice consecrato, vel vase aut pyx de mundo benedicta saltem ab eo, qui corporale benedicere potest, cui non bene includitur linteum in modum corporalis factum, sed melius est, linire auro pyxidem interius, ad dignoscenda & colligenda fragmenta, experientia enim teste amylum, quo linteum illud imbuitur, generare solet animalia quædam minuta in pyxide. Hæc que pyxis cooperiri debet aliqua patena vel palla ante & post consecrationem, vel si pyxis proprium habeat operculum, eodem tegatur.

Gauantus p 2. tit 2 n. 3 litt p & q.

§. 23. Collocato Calice in Altaris medio, antequam accedat ad librum aperiendum, laudabiliter fit reuerentia Cruci cum capitis inclinatione.

Gauantus Part. 2. Tit. 2. n 4 litt. 2.

§. 24. Apertio Missalis ad Sacerdotem spectat, in Missis priuatis; non ad ministrum; ideoque quamuis minister aperuerit librum (quod fieri non debet) Sacerdos ad librum accedere debet.

Gauantus Part. 2. Tit. 2. n. 4.

§. 25. Sacerdos collocato ritè calice super Corporale, & Missali dispositò, stans in medio Altaris paulisper suam ad Deum eleuare potest mentem, suamque renouare intentionem, ac denuò de nouo æterno Patri hoc offerre sacrificium, in vnione immensi illius amoris, quo vnigenitus eius Filius semetipsum obtulit in ara

Instinellus de modo deuotè celebrandi Missam pag 90.

Crucis

Crucis; non vero dicere debet aliquas orationes veluti *Actiones nostras quæsumus Domine* &c. *Veni Sancte Spiritus* aut alias.

§. 26. Sacerdos inchoaturus Missam, antequam descendat ab Altari, prius facit Cruci reuerentiam cum capitis profunda inclinatione, tum vertit se à cornu Epistolæ, iuxta motum naturalem, hoc est à sinistro latere Altaris ad dextrum, sed aliquantulùm retrahit se ad cornu Euangelij, ne directe descendendo terga vertat Cruci, vel Tabernaculo. *Gauantus part. 2. tit. 2. n. 4. litt. S.*

§. 27. Si in Altari plures sint gradus quam tres, tunc non omnes descendit, sed tantùm primum ordinem graduum si sint per ordines distincti, vel supra secundum aut tertium sistit; quod si nullus adsit gradus, prout in Oratorijs priuatis. & in angustioribus locis quandoque solet contingere, tunc conuertens se à cornu Epistolæ, per aliquot passus ab Altari remotus, facit Confessionem, ita vt inter ipsum & Altare congrua sit distantia. *Castaldus Praxis Cæremon. lib. 2. sect. 8. cap. 2. n. 12.*

TITVLVS III.

De Principio Missæ, & Confessione faciendâ.

1. SAcerdos cùm primùm descenderit sub infimum gradum Altaris, conuertit se ad ipsum Altare, vbi stans in medio, iunctis manibus ante pectus, extensis & iunctis pariter digitis, & pollice dextro super sinistrum posito in modum Crucis, (quod semper seruatur quando iunguntur manus, præterquàm post consecrationem) detecto capite, facta prius Cruci, vel Altari profunda reuerentia, vel si in eo sit tabernaculum Sanctissimi Sacramenti, facta genuflexione, erectus incipit Missam.

2. Si celebraturus sit coram Summo Pontifice, sistit se ante infimum gradum Altaris, à cornu Euangelij ante ipsum Pontificem, vbi genuflexus exspectat, accepta benedictione erigit se, & stans

aliquantùm versus ad Altare, incipit Missam. Si autem sit coram Cardinale, Legato Sedis Apostolicæ, aut Patriarcha, Archiepiscopo, & Episcopo in eorum residentijs, vel loco iurisdictionis, stans ante infimum gradum à cornu Euangelij vt suprà expectat; dato signo facit profundam reuerentiam Prælato, & versus ad Altare incipit Missam.

3. Si autem solemniter celebrat coram Summo Pontifice, aut alio ex Prælatis prædictis in Ecclesijs eorum iurisdictionis, stans à sinistris Prælati facit cum eo Confessionem, & alia seruat, vt in Cæremoniali ordinatur; *quæ parte quarta, titulo nono huius libelli ex Cæremoniali Episcoporum, aliisq; ritualibus libris collecta, compendiosè prascribuntur.*

4. Stans igitur Celebrans ante infimum gradum Altaris, vt suprà, producens manu dextrà à fronte ad pectus signum Crucis, dicit intelligibili voce: *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, Amen.* Et postquàm dixerit non debet aduertere quemcumque in alio Altari celebrantem, etiamsi Sacramentum eleuet, sed continuatè prosequi Missam suam, vsque ad finem. Quod item obseruatur in Missa solemni, & simul etiam à Ministris.

5. Cùm seipsum signat, semper sinistram ponit infra pectus: in alijs benedictionbus cùm est ad Altare, & benedicit oblata, vel aliquid aliud, ponit eam super Altare, nisi aliter notetur. Seipsum benedicens, vertit ad se palmam manus dextræ, & omnibus illius digitis iunctis & extensis, à fronte ad pectus, & ab humero sinistro, ad dextrum, signum Crucis format. Si verò alios, vel rem aliquam benedicit, paruum digitum vertit ei, cui benedicit, ac benedicendo, totam manum dextram extendit, omnibus illius digitis pariter iunctis & extensis: quod in omni benedictione obseruatur.

6. Post-

6. Postquam dixerit, *In nomine Patris*, &c. vt supra, iungens iterum manus ante pectus, pronuntiat clara voce Antiphonam.

S. *Introibo ad Altare Dei.*

Minister retrò post eum ad sinistram genuflexus, respondet.

Ad Deum qui lætificat iuuentutem meam.

Deinde Sacerdos eodem modo stans incipit, & prosequitur cum ministro vel cum ministris alternatim.

S. *Iudica me Deus, & discerne causam meam de gente non Sancta: ab homine iniquo & doloso erue me.*

M. *Quia tu es Deus fortitudo mea: quare me repulisti, & quare tristis incedo, dum affligit me inimicus.*

S. *Emitte lucem tuam, & veritatem tuam: ipsa me deduxerunt & adduxerunt in montem Sanctum tuum, & in tabernacula tua.*

M. *Et introibo ad Altare Dei: ad Deum qui lætificat iuuentutem meam.*

S. *Confitebor tibi in cithara Deus Deus meus: quare tristis es anima mea, & quare conturbas me?*

M. *Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi: salutare vultus mei, & Deus meus.*

S. *Gloria*, caput inclinat, *Patri, & Filio, & Spiritui Sancto.*

M. *Sicut erat in principio, & nunc, & semper, & in sæcula sæculorum, Amen.*

Sacerdos repetit Antiphonam.

S. *Introibo ad Altare Dei.*

M. *Ad Deum qui lætificat iuuentutem meam.*

Qui Psalmus nunquam prætermittitur, nisi in Missis Defunctorum, & in Missis de tempore à Dominica Passionis inclusiuè vsque ad Sabbatum Sanctum exclusiuè, in quibus semel tantum dicta Antiphona *Introibo*, cum Ministris, vt supra Sacerdos statim subiungit.

℣. *Adiutorium nostrum* &c. vt infrà.

Repetita Antiphona *Introibo* dextra manu producens signum Crucis à fronte ad pectus dicit versum.

S. *Adiutorium nostrum in nomine Domini.*

M. *Qui fecit cœlum & terram.*

Deinde Altari profundè se inclinans iunctis manibus dicit.

Confiteor Deo omnipotenti, Beatæ Mariæ semper Virgini, beato Michaeli Archangelo, beato Ioanni Baptistæ, Sanctis Apostolis Petro & Paulo, omnibus Sanctis, & vobis fratres: quia peccaui nimis cogitatione, verbo, & opere, ter pectus manu dextrâ percutit, sinistrâ infra pectus positâ. *mea culpa, mea culpa, mea maxima culpa. Ideò precor beatam Mariam semper Virginem, beatum Michaelem Archangelum, beatum Ioannem Baptistam, Sanctos Apostolos Petrum, & Paulum, omnes Sanctos, & vos fratres, orare pro me ad Dominum Deum nostrum.*

Confessionem totam stans inclinatus prosequitur, donec à Ministro vel Ministris dictum sit *Misereatur*. Cùm incipitur à Ministris *Confiteor* se erigit.

7. Si est coram Pontifice, Cardinale, Legato Sedis

Sedis Apostolicæ, vel Patriarcha, Archiepiscopo & Episcopo in eorum Prouincia, Ciuitate, vel Diœcesi constitutis, vbi dicit, *vobis fratres*, dicat, *tibi Pater*; similiter in fine, vbi dicit, *vos fratres*, dicat, *te Pater*, quod dicens Summo Pontifici genuflectit, alijs Prælatis profundè se inclinat.

8. Cùm minister, & qui intersunt (etiam si ibi fuerit Summus Pontifex) respondent *Confiteor*, dicunt, *tibi Pater*, & *te Pater*, aliquantulùm conuersi ad Celebrantem.

9 Facta à Circumstantibus Confessione, Celebrans stans respondet.

S. *Misereatur vestri omnipotens Deus, & dimissis peccatis vestris, perducat vos ad vitam æternam.*

M. *Amen.*

Deinde producens manu dextra à fronte ad pectus signum Crucis, dicit.

S. *Indulgentiam, absolutionem, & remissionem peccatorum nostrorum, tribuat nobis omnipotens & misericors Dominus.*

M. *Amen.*

Si *est Episcopus*, accipit manipulum, osculando illum in medio.

Deinde stans inclinatus iunctis manibus prosequitur.

S. *Deus tu conuersus viuificabis nos.*

M. *Et plebs tua lætabitur in te.*

S. *Ostende nobis Domine misericordiam tuam.*

M. *Et salutare tuum da nobis.*

S. *Domine exaudi orationem meam.*

M. *Et clamor meus ad te veniat.*

S. *Dominus vobiscum.*

M. Et

M. *Et cum Spiritu tuo.*

Quæ omnia Sacerdos dicat clara voce vsque ad Orationem *Aufer à nobis*, &c. Et cùm dicit *Oremus*, extendit & iungit manus.

10. Et tunc si coram Pontifice, aut alijs Prælatis, vt suprà, celebret, facta Summo Pontifici genuflexione, alijs Prælatis profunda reuerentia, accedit ad medium Altaris ante infimum gradum, & ibi incipit secretò, *Aufer à nobis*, vt in ordine Missæ.

ANNOTATIONES.

§. 1. Sacerdos ab Altari ad confessionem faciendam non prius descendere debet, quàm in Altari omnes cerei decentis formæ accensi sint, aliaque ad sacrificium in Altari necessaria parata, ne Custos aut alius dicente Sacerdote Confessionem, inter ipsum & Altare cereos accendendi, aut alia in Altari ponendi causa, medius transeat. Idem ab omnibus semper obseruandum, vt nunquam medijante illum transeant, qui totius Congregationis publicam in diuino officio gerit personam, siue versum, Collectam, aliaque cantet, siue Antiphonam, Psalmum, Hymnum, vel aliud aliquid incipiat, siue Sacerdos qui cantat Missam à latere Altaris sedeat.

Octauius Frangipanus in Direct. Ecclesiast. discip. cap. de diuinis offic. §. n. 65.

§. 2. Quando Rubrica dicit, quod Sacerdos sacrificaturus debeat se inclinare Episcopo, pro licentia celebrandi *Mierol. cap* 22, docet intelligendum esse de proprio Episcopo. Et hic honor dandus est Episcopis in Ecclesijs, etiam Regularium, & exemptis, intra suas Diœceses, in quibus vsum habent Rochetti nudi & Mozzettæ, quæ sunt plenariæ iurisdictionis indicia. Cum aliis autem Principibus & Prælatis ita se gerere debet, vt eos quidem honoret, sed parciùs quàm prænominatos in Rubrica; puta antequam accedat ad Altaris gradus, Calicem tenens manibus, vt suprà sese illis inclinet, capite tecto, profundè, & profundiùs pro dignitate personarum. Idem præstare poterit in fine Missæ recedens ab Altaris gradibus, dum adhuc est in plano Capellæ.

Gauantus Part. 2. Tit. 3. §. 2. lit. m.

§. 3. Offendunt qui ad initium Missæ factâ SS. Sacramento in Altari existente reuerentiâ genuflexionis, postea

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

postea erecti Cruci se inclinant, hoc enim superfluum est, cùm sufficiat vna reuerentia nimirum genuflexionis. *Direct. Sacerd. Part. 2. Tit. 3. in annotat. §. 1.*

§. 4 Quando SS. Sacramentum non in Altari asseruatur, sed ad latus in cornu Euangelij, vt adhuc in multis locis inclusum est, extra Altare, non debet illi fieri genuflexio à Sacerdote antequam incipiat Confessionem.

§. 5. Si facta reuerentia genuflexionis aut inclinationis Altari immediatè ante Confessionem, sed nondum inchoato *In nomine Patris*, eleuetur SS. Sacramentum in Altari vicino, tunc genibus flexis, nudo capite, illud adoret nec surgat, nisi post depositum Calicem super Altare.

§. 6. Celebrans dum iungit manus eas ante pectus, ita iunctas tenere debet, vt summitas digitorum, non tabulam Altaris, sed faciem sui ipsius siue sursum quasi cælum respiciat: Quod semper obseruandum quando celebrans sacris vestibus indutus in Altari, vel etiam extra hinc inde ambulat; atque (quantùm fieri potest) ita iungit manus vt planetam minimè tangant.

§. 7. Dum descendit ab Altari vt faciat Confessionem, caueat ne inter descendendum faciat signum Crucis versus populum, neque retrocedendo descendat, neque conuertendo se à latere Euangelij, sed à latere sinistro ad dextrum

§. 8. Signans se signo Crucis, producit Crucem magnam, sic dispensans verba ad singulos sui contactus, tangens videlicet frontem dicit: *In nomine patris*, pectus, *& Filij:* humerum sinistrum, *& Spiritus Sancti*, humerum dextrum *Amen*, non enim ad *Amen* aut in fine signationis digitus aut manus osculanda, sed manus confestim ita componendæ sunt, vt summitas digitorum Sacerdotis faciem & non mensam Altaris respiciat. Item cùm seipsum Sacerdos signat sinistram ponit infra pectus, ita tamen vt sinistra manus sit extra terminos Crucis dextra impressæ, sed supra Cingulum eam ponere debet; neque dum se signat caput inclinare, quod multi faciunt, sed erectum habere debet.

§. 9. Sacerdos benedicens aliquid in Altari sinistram ponit super Altare, quia non decet sinistram manum suspẽtam quasi in aëre tenere. Quod item seruari debet, quoties præstandũ est aliquid vnicâ manu. v. g. vertenda sunt folia Missalis, vel aliquid simile agendũ, tunc enim alia manus deponi debet, vt quiescat, cum *Gauantus. Part. 2. Tit. 3. n. 5. litt. q.*

pro-

proportione tamen ad terminum, ad quem mouetur dextra, nunquam enim vnica manus suspensa teneri debet.

§. 10. Dicenda sunt omnia fideliter vt in Missali, nihil addendo, aut demendo vel immutando, v.g. vbi Missale habet *In nomine Patris* &c. non est dicendum *in nomine Dei Patris* &c. *beatæ Mariæ* non *beatissimæ Mariæ & dimissis peccatis vestris* &c non *dimissis omnibus peccatis vestris*; in his alijsque similibus præponenda est authoritas Ecclesiæ ita instituentis, suæ particulari deuotioni aliter forte suggerenti.

§. 11. Postquam Sacerdos stans ante infimum gradum Altaris, cœperit dicere *In nomine Patris, &c.* iuxta Rubricas non debet respicere, aut aduertere quid agatur alibi, etiamsi in proximo Altari sanctissimum Sacramentum eleuaretur, multò minus ad quælibet alia minora attendere, aut errantibus oculis, dum populum salutat, astantes perlustrare.

§. 12. Cum omni attentione, distinctione, grauitate, animique sedatione, singula quæ ad sacrum Missæ Officium pertinent ab vnoquoque Sacerdote pronuntianda sunt, & ne nimium præceps sit, atque festinus, ita nec æquo tardior, aut prolixior sit, maioremque ædificationis publicæ, quàm sui affectus rationem semper habere debet. Quod vt honestè fiat, semihoræ spatium Missis priuatis & necessarium esse, & sufficere arbitratur.

Gauantus part. 2. tit. 3. n. 6. litt. u.

§. 13. In omnibus Missis votiuis de Passione & Cruce, etiam tempore Passionis, dicitur Psalmus *Iudica* & *Gloria Patri* in Introitu & ad Psalm. *Lauabo* quia non sunt Missæ de tempore sed votiuæ.

Gauantus part. 2. tit. 3. num. 7. litt. g.

§. 14. In Confessione post *Petro* & *Paulo* non permittit Missale liberum, vt addatur nomen Patroni, aut alterius Sancti, quia non additur nota libertatis N. Deinde etiam quia Pius quintus Pontifex Maximus hoc expressè tantùm concessit Ecclesijs Hispaniarum ergò sine licentia Pontificis talis additio fieri non potest. Caueat igitur ne vel in minimo à forma confessionis, quam liber Missalis continet, decedat, aliquid addendo vel omittendo.

§. 15. Cùm celebrans in Missa priuata dicit & *vobis fratres*, & *vos fratres* & *Misereatur vestri*, non conuertit se ad Ministrum.

§. 16 Ad *Misereatur, &c.* & *Indulgentiam &c.* deletum est in Missali nouo correcto *omnibus* & *omnium* quæ in an-

in antiquo habebantur, sicque non licet illa amplius addere.

§. 17. Dum percutit pectus sub Confessione, ad *Nobis quoque peccatoribus*: & *Domine non sum dignus*, caueat à percussione vehementi, cum eâ pectoris percussione non ossa, vt ait *S. Augustinus*, sed ipsum cor nos conterere significemus. *Enarrat. 2. in Psalm.*

§. 18. Nulli fœminæ cuiusuis ætatis, aut conditionis ne quidem Sanctimoniali in monasterio suo, sacris Altaribus ad ministerium Missæ vnquam assistere licet, aut Clerici Sacerdoti sacrificanti Ecclesiæ nomine respondentis officium vsurpare, nec Sacerdos vllus præsumat eam admittere, sed potius abstineat à sacro faciendo, aut si prorsus necesse sit sacrum facere, sibi ipsi Sacerdos respondeat & ministret; tanti est fœminam abesse à sacrificio etiam religiosam. *C. Inhibendũ §. prohibendum tit. de cohibitat. Clericorum & clericum lib. 1. Azor lib. 10. c. 29. q. 2.*

§. 19. Cauendum etiam Celebranti sub Missa ab omni indecoro & absurdo capitis, oris, & reliqui corporis motu. *Soto in 4. dist. 13. q. 2. art. 5. ad. 12.*

§. 20. Cùm dicit celebrans *oremus* ante *Aufer à nobis* extendit & iungit manus tantum, nec eleuat manus, nec faciem in cælum. Dicit enim *oremus* alta voce adhuc inclinatus, & se erigens dicit submisse; *Aufer à nobis.* *Sylvius 3. part q. 83. art. 5.*

§. 21. Dicens *Deus tu conuersus, &c.* inclinat caput & humeros, non tamen profundè.

§. 22. In fine factæ confessionis seu à celebrante, seu à ministro nec celebrans, nec minister subiungit, *Deo gratias*, aut. *Amen.* vt quidam malè faciunt, antequam incipiant *Misereatur, &c.* contra Rubricas.

TITVLVS IV.

De Introitu, Kyrie eleison, & gloria in excelsis.

1. DVm Celebrans dicit *Aufer à nobis, quæsumus Domine, iniquitates nostras: vt ad sancta sanctorum, puris mereamur mentibus introire. Per Christum Dominum nostrum. Amen.*

Iunctis

iunctis manibus ascendit ad medium Altaris, & ibi inclinatus, manibusque item iunctis super eo positis, ita vt digiti parui dumtaxat frontem seu medium anterioris partis tabulæ seu mensæ Altaris tangant, residuo manuum inter Altare & se retento, pollice dextro super sinistrum in modum crucis posito (quæ omnia semper obseruantur, cùm manus iunctæ super Altare ponuntur) secretò dicit.

Oramus te Domine, per merita sanctorum tuorum, & cùm dicit, *quorum reliquiæ hic sunt*, osculatur Altare in medio, manibus extensis æqualiter hinc inde super eo positis, *& omnium sanctorum; vt indulgere digneris omnia peccata mea, Amen.*

prædictus modus osculandi Altare semper seruatur quando osculatur Altare: sed post consecrationem pollices ab indicibus non disiunguntur. In omni etiam deosculatione siue Altaris, siue libri, siue alterius rei, non producitur signum crucis pollice vel manu super id quod osculandum est.

2. Osculato Altari accedit ad cornu eius sinistrum, id est Epistolæ: vbi stans versus Altare, & producens à fronte ad pectus signum crucis, incipit intelligibili voce Introitum Missæ, & prosequitur iunctis manibus.

INTROITVS.

Sedulius. *Salue sancta parens, enixa puerpera regem, qui cœlum, terramque regit in sæcula sæculorum.*

Psalmus.

Psal. 44. *Eructauit cor meum verbum bonum: dico ego opera mea Regi.*

cum dicit, *Gloria Patri, &c.* tenens iunctas manus, caput inclinat versus Crucem.

Gloria

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto: Sicut erat in principio, & nunc, & semper, & in sæcula, sæculorum, Amen.

Cum repetit *Introitum*, non signat se vt prius: & eo repetito, iunctis manibus ante pectus accedit ad medium Altaris, vbi stans versus illud similiter manibus iunctis, dicit eâdem voce alternatim, cum ministro.

S. Kyrie eleison. *M. Kyrie eleison.*
S. Kyrie eleison. *M. Christe eleison.*
S. Christe eleison. *M. Christe eleison.*
S. Kyrie eleison. *M. Kyrie eleison.*
S. Kyrie eleison.

Quod si minister, vel qui interfunt Celebranti non respondeant, ipse solus nouies dicit

3. Dicto vltimo *Kyrie eleison*, Sacerdos stans in medio Altaris, & manus extendens, eleuansque vsque ad humeros (quod in omni manuum eleuatione obseruatur) voce prædicta incipit, si dicendum sit.

Gloria in excelsis Deo.

cùm dicit *Deo*, iungens manus, caput Cruci inclinat: quo erecto, stans iunctis manibus ante pectus, prosequitur vsque ad finem.

Et in terra pax hominis bonæ voluntatis. Laudamus te, Benedicimus te, Adorâmus te, caput inclinat, *Glorificamus te, Gratias agimus tibi*: caput inclinat, *propter magnam gloriam tuam. Domine Deus rex cœlestis Deus pater Omnipotens. Domine Fili vnigenite Iesu Christe.* caput aliquantò profundiùs inclinat, *Domine Deus, Agnus Dei, Filius Patris. Qui tollis peccata mundi, miserere nobis. Qui tollis peccata mundi,*

mundi, suscipe deprecationem nostram; caput inclinat. *Qui sedes ad dextram Patris, miserere nobis. Quoniam tu solus sanctus. Tu solus Dominus, Tu solus altissimus, Iesu Christe*, caput inclinat aliquantò profundiùs, *Cum sancto Spiritu*, seipsum signat à fronte ad pectus, interim absoluens, *in gloria Dei patris Amē.*

ANNOTATIONES.

§. 1. In oratione *Aufer à nobis &c.* non amplius dicitur, vt in antiquis Missalibus, *cunctas iniquitates* sed dempto *cunctas*.

§. 2. Cum dicit Celebrans Orationem *Oramus te Domine*, manus sic ponat super Altare vt tex digiti, maiores simul iuncti mensæ Altaris innitantur, minorum vero extremitates fron em mensæ tangant, pollice dextro super sinistrum in modum crucis posito. non tota manus iuncta Altari superponenda, sed iuxta Rubricam ne quidem digiti parui supra mensam Altaris ponendi, ideoque digiti auriculares siue parui extremitatibus solum tangere debent antipendium, quod in similibus casibus obseruandum erit.

Gauantus part. 2. Tit. 4. n. 1. lit. d.

§. 3. Vt celebrans aptè se inclinet, genuflectat, laut manus super Altare, ponat, paululum retrocedat ab Altari, & osculetur semper Altare non ad latera ipsius, aut corporalis, sed in medio vbi sunt Reliquiæ Sanctorum; vbi verò non sunt Reliquiæ Sanctorum (ex dispensatione Apostolica) omitti debent verba *quorum reliquiæ hic sunt* eoque casu osculum Altaris fieri debet ad ea verba *indulgere digneris*

Gauantus loco cit. lit f.

§. 4. In deosculatione siue Altaris, siue libri, siue alterius rei nunquam producitur signum Crucis pollice vel manu super id quod osculandum est, quia Altare consecratum est, liber etiam & aliæ res, alijs de causis sanctificatæ

Michael Cauedrÿ p. 3. c. 7. Tit. 4. n. 2 nota 1.

§. 5. Aliqui se inclinant iterum Cruci post osculum Altaris, antequam accedant, ad cornu Epistolæ, sed hoc est superfluum. Epistolæ latus est propriè latus sinistrum Altaris; sicut latus Euangelij est latus dextrum.

Castaldus Praxi Car. lib. 2. sect. 8. §. 31. n. 30

§. 6. Dicens introitum, aut alia in cornu Epistolæ dicenda, aduertet ne stet ferè in medio Altaris, aut plùs conuersus ad vnum quàm aliud latus, sed standum passum

est vnum passum procerum à medio Altaris versâ facie directè versus tabulam Altaris, neque dum incipit legere Introitum proferat verba *In nomine Patris.*

§. 7. Dum dicit in Introitu *Gloria Patri, &c.* non extendit & iungit manus, sed tenens eas iunctas conuertit & inclinat caput, non verò personam ad Crucem, quod in fine orationum & alia simili occasione diligenter obserua. neque etiam dum Introitum repetit, iterum sese signat, tale enim signum fit tantùm ratione principij. *Gauantus Part. 2. Tit. 4. n. 2. litt. i.*

§. 8. Celebrans non debet incipere *Kyrie eleison* dum procedit à latere Epistolæ ad medium, sed iuxta Rubricam, cùm iam est in medio, & factâ Altari priùs reuerentiâ.

§. 9. Dum dicit *Gloria in excelsis* extendit & eleuat manus vsque ad humeros, non tamen eleuat oculos quod multi faciunt, præter Rubricam. hi enim gestus scilicet manus extendere, manus eleuare, oculos eleuare in cælum caput inclinare, vel etiam profundè inclinare, etiamsi aliquando in Rubricis coniunguntur, frequentius tamen disiunguntur, & vel vnus ponitur vel alter, vel duo simul, vel plures, vel omnes, ad quod Sacerdos diligenter attendat, ne ex inaduertentia illos confundat.

§. 10. In sex locis Hymni Angelici celebrans caput inclinare debet, nimirum ad *Deo* 2. *Adoramus* 3. *Gratias agimus tibi* 4. *Iesu Christe* 5. *suscipe deprecationem nostram* 6 iterum ad *Iesu Christe.*

§. 11. Peracto signo Crucis in fine Hymni Angelici celebrans facto sibi signo Crucis, cùm dicit. *Amen* iungit manus, easque iunctas tenet donec osculaturus erit Altare. *Gauantus part. 2. tit. 4 n. 3. litt. p.*

§. 12. Quamuis aliqui putent Sacerdotem qui in Missæ voluntariè quia fortè ob alias occupationes festinus est omittit *Gloria in excelsis*, vel *Credo* mortaliter peccare, nihilominus sine formidine, & absolutè docet Filliucius *tom. 1. tract. 5. c. 5. n. 155.* non mortaliter, sed venialiter ex paruitate materiæ peccare, sed nunquam tali se periculo exponat Sacerdos. *Diana tract. 14. resol. 59.*

§. 13. Denique propter erroris casum qui in omni parte Missæ grauis, in Canone grauior, in ipsa verò consecratione grauissimus est, ex Missali aut tabella secretata omnia fideliter legat, nihil autem memoriter dicat, ob erroris periculum.

TITV-

TITVLVS V.

De Oratione.

1. DIcto Hymno, *Gloria in excelsis*, vel, si non sit dicendus, eo omisso, Celebrans osculatur Altare in medio, manibus hinc inde super eo, vt suprà, extensis, tum illis ante pectus iunctis, & demissis ad terram oculis, vertit se à sinistro latere ad dextrum versus populum, hoc est, per eam partem quæ respicit cornu Epistolæ, & extendens ac iungens manus ante pectus, vt priùs, dicit voce prædicta.

Dominus vobiscum.

Vers. *Et cum Spiritu tuo.*

& iunctis vt priùs manibus reuertitur per eandem viam ad librum, vbi eas extendens & iungens ante pectus, caputque Cruci inclinans, dicit

Oremus.

Tum extendit manus ante pectus, ita vt palma vnius manus respiciat alteram, & digitis simul iunctis, quorum summitas humerorum altitudinem, distantiamque non excedat quod in omni extensione manuum ante pectus seruatur. Stans autem, vt suprà, extensis manibus, dicit Orationem.

Concedo nos famulos tuos, quæsumus Domine Deus, perpetua mentis & corporis sanitate gaudere: & gloriosa beatæ Mariæ semper Virginis intercessione, à præsenti liberari tristitia, & æterna perfrui lætitia.

Cum dicit. *Per Dominum nostrum*, iungit manus, easque iunctas tenet vsque ad finem.

Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, qui tecum viuit & regnat in vnitate Spi-

ritus

ritus Sancti Deus: per omnia sæcula sæculorum. Si aliter concluditur Oratio, *Qui tecum:* vel, *Qui vivis*, cùm dicit, *in vnitate*, iungit manus.

2. Cum nominatur nomen *Iesus* caput versus Crucem inclinat: quod etiam facit cum nominatur nomen Beatæ Mariæ, vel Sanctorum, de quibus dicitur Missa, vel fit commemoratio, item in Oratione pro Papa, quando nominatur, semper caput inclinat, non tamen versus Crucem. Si plures Orationes sunt dicendæ, idem in eis, in voce, extensione manuum, & capitis inclinatione, quod supradictum est, obseruatur.

3. Si Altare sit ad orientem versus populum, Celebrans versâ facie ad populum, non vertit humeros ad Altare, cum dicturus est, *Dominus vobiscum, Orate fratres, Ite Missa est*, vel daturus benedictionem: sed osculato Altari, in medio, ibi expansis & iunctis manibus, vt suprà, salutat populum, & dat benedictionem.

4. In Quatuor Temporibus, vel aliàs quando dicendæ sunt plures Orationes cum Prophetiis, dicto *Kyrie eleison*, in medio Altaris, reuertitur ad cornu Epistolæ, vbi stans ante librum extensis & iunctis ante pectus manibus; & caput Cruci inclinans dicit, *Oremus, Flectamus genua*, & illicò manibus super Altare extensis, vt seipsum ad Altare sustineat, genuflectit, & sine mora surgens, eâdem voce ministro respondente, *Leuate*, manibus extensis dicit Orationem vt suprà, & in conclusione eas iungit. Dum autem legit Prophetias, tenet manus super librum vel Altare positas, vt mox dicetur de Epistola.

ANNOTATIONES.

§. 1. Dicturus *Dominus vobiscum*, habens ita iunctas manus, vt nullum sit inter digitos spatium vertit se totaliter ad populum; non nimiùm, sed ad latitudinem corporis diiungendo, & statim coniungendo ma-

nus, non versus terram quasi abigendo à se, sed erecti in altum, & sese inuicem aspicientibus manibus: Caueat etiam ne se inclinet vnquam versus populum neque dorso innitatur Altari. Illud autem vt commodius fiat, aduertat Celebrans, vt dum osculatur Altare dicturus *Dominus vobiscum* pedem sinistrum amoveat paulisper ab infima Altaris parte, illique figat illum, vtse invertens sequatur dexter: Atque sic inuersus ad pedem vnum plùs minusue à bsit antipendio, quatenus necillud, nec Planetam confricatione, aut complicatione atterat, seu corrumpat.

Gauantus ibidem.

§. 2. Qui vtuntur perspicillis, solent ea hoc loco deponere primùm: deponant autem ea quidem super Altare, nunquam tamen super Corporale.

Direct. Sacerdotale part. 2. tit. 5. in Annotat. §. 2.

§. 3. Cum, dicto *Dominus vobiscum*, dicenda est oratio in cornu Epistolæ, pede sinistro procerum proferat passum, versus idem cornu: non autem ad medium Altaris, vt ibi *Oremus* dicat.

§. 4. Caueat Sacerdos ne vnquam alterutrum tantùm manum teneat apertam vel elevatam; exempli gratia, si durante Oratione folium dextrâ vertendum sit, sinistram interim super librum ponat.

Gauantus part. 2 tit. 5. n. 1. lit y. Carem. Episc. lib. 2. c. 8.

§. 5. Dubitant non pauci de situ manuum, tempore Orationum & Canonis, sed rubrica apertè docet quod ita debent extendi ante pectus, vt palma seu volavnius manus respiciat alteram, digitis omnibus simul iunctis, quorum summitas humerorum altitudinem, distantiamque non excedat, non igitur debent demitti ad pectus vel infra pectus, sed ad humerorum altitudinem eleuari.

Gauantus ibid. n. 2. lit. c.

§. 6. Cum nominatur *Iesus* caput versus Crucem semper inclinat, etiam in Canone & quocumque loco & modo stet Sacerdos excepto Euangelio, quando illud celebrans legit, sub quo versus librum inclinatur.

§. 7. Celebrans non inclinat se ad nomina Sanctorum, de quibus fit commemoratio in suffragijs communibus in oratione *A cunctis*, sed ad commemorationem de festo simplici, siue de octaua, ad quorum nomina etiam in Canone caput inclinatur, sed sint talia quæ in Canone enumerantur.

§. 8. Profundùs inclinat se Celebrans ad nomen *Iesu* quàm ad alia nomina, ergo etiam corpus aliquantulum inclinare debet. Porrò ad solum nomen *Iesu* fit inclinatio versus Crucem, non vero ad alia nomina Sanctorum.

§. 9. Cum

§. 9. Cum Celebrans concludit orationem *Qui vivis* aut *Qui tecum vivit*, iungit tantùm manus dum dicit *in vnitate*, & nullo modo inclinat caput, necse conuertit ad Crucem, vt multi.

§. 10. Rubrica quæ dicit *si Altare sit ad Orientem versus populum* non intelligitur de omni Altari ad Orientem, sed de eo in quo Celebrans habet Crucem & populum ante faciem suam, ac proinde non intelligitur tantùm de Oriente reali sed imaginario, quia multa sunt Altaria in quibus hæc non fiunt videlicet illa quæ sunt in extremitatibus multarum Ecclesiarum, quæ faciem habent versus Orientem realem, & etiam imaginarium

TITVLVS VI.

De Epistola, Graduali, & alijs vsque ad Offertorium.

1. DIctis Orationibus, Celebrans positis super librum, vel super Altare manibus, ita vt palmæ librum tangant, vel (vt placuerit) librum tenens, legit Epistolam intelligibili voce.

Lectio libri Sapientiæ.

Ab initio, & ante sæcula creâta sum, & usque ad futurum sæculum non desinam, & in habitatione sancta coram ipso ministraui. Et sic in Sion firmâta sum, & in ciuitate sanctificata similiter requiêui, & in Ierusalem potestas mea. Et radicâvi in populo honorificato, & in parte Dei mei hæreditas illius, & in plenitudine sanctorum detentio mea. Eccles. 24.

Respondetur à ministro.

Deo gratias.

Et Celebrans similiter stans eodem modo prosequitur *Graduale, Alleluia, & Tractum*, ac *Sequentiam*, si dicenda sint.

Graduale.

Benedicta & Venerabilis es Virgo Maria : q
sine tactu pudoris , inuenta es mater Saluat
ris.

℣. *Virgo Dei genitrix, quem totus non capit or*
bis, in tua se clausit viscera factus homo. Alleluia
Alleluia. ℣. *Post partum virgo inviolata pe*
mansisti: Dei genitrix intercede pro nobis.

Post Septuagesimam omisso *Alleluia*, & versu se
quenti, dicitur Tractus.

Gaude Maria Virgo , cunctas hereses sola inter
emisti.

℣. *Quæ Gabrielis Archangeli dictis credidisti.*

℣. *Dum Virgo Deum & hominem genuisti, &*
post partum virgo inviolata permansisti.

℣. *Dei genitrix intercede pro nobis.*

Quibus dictis, Sacerdos si priuatim celebret, ipsemet, seu minister portat librum Missalis ad alteram partem Altaris in cornu Euangelij, & dum transit ante medium Altaris , caput Cruci inclinat, & Missale sic locat, vt posterior pars libri respiciat ipsum cornu Altaris, & non ad parietem, siue ad partem eius contra se directam.

2. Locato Missali in Altari, Celebrans redit ad medium Altaris, ibique stans iunctis manibus, ante pectus, eleuatisque ad Deum oculis, & statim demissis, tum profundè inclinatus, dicit secretò.

Munda cor meum, ac labia mea, omnipotens
Deus, qui labia Isaiæ Prophetæ calculo mundasti
ignito : ita me tua grata miseratione dignare
mundare, vt sanctum Euangelium tuum dignè
valeam nuntiare. Per Christum Dominum nos-
trum,

strum, Amen. Iube Domine benedicere. Dominus sit in corde meo, & in labijs meis: vt dignè & competenter annuntiem Euangelium suum. Amen.

Quibus dictis, vadit ad librum Missalis; vbi stans versus illum iunctis manibus ante pectus, dicit intelligibili voce,

Dominus vobiscum. Resp. *Et cum Spiritu tuo.*

Deinde pollice dextræ manus signo Crucis signat, primò librū super principio Euangelij, quod est lecturus, postea seipsum in fronte, ore, & pectore, dicens:

Sequentia S. Euangelij secundum Lucam.

Resp. *Gloria tibi Domine.*

Tum iunctis iterum manibus ante pectus, stans, vt suprà, prosequitur Euangelium vsque ad finem.

In illo tempore loquente Iesu ad turbas: extollens vocem quadam mulier de turba, dixit illi: Beatus venter, qui te portauit & vbera quæ suxisti. At ille dixit: quinimò beati qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud.

Euangelio finito, minister stans in cornu Epistolæ post infimum gradum Altaris, respondet, *Laus tibi Christe*; & Sacerdos elevans parumper librum, osculatur principium Euangelij dicens:

Per Euangelica dicta deleantur nostra delicta.

Præterquàm in Missis Defunctorum, & nisi celebret coram Summo Pontifice, Cardinali, & Legato Sedis Apostolicæ, vel Patriarcha, Archiepiscopo & Episcopo, in eorum residentijs, quo casu defertur cuilibet prædictorum osculandus liber, & Celebrans tunc non osculatur illum, nec dicit: *Per Euangelica dicta, &c.* Cùm autem nominatur

Iesus, caput versus librum inclinat; & eodem modo versus librum genuflectit, cum in Euangelio est genuflectendum.

3. Dicto Euangelio, stans in medio Altaris versus Crucem, eleuans & extendens manus, incipit (si dicendum sit) *Credo*, cum dicit, *in vnum Deum* iungit manus, & caput Cruci inclinat: quo erecto, stans ibidem iunctis ante pectus manibus, vt prius, prosequitur vsque ad finem.

Patrem omnipotentem, factorem cœli & terræ, visibilium omnium, & inuisibilium. Et in vnum Dominum Iesum Christum, filium, caput Cruci inclinat, *Dei vnigenitum. Et ex Patre natum ante omnia sæcula. Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum, de Deo vero. Genitum non factum, consubstantialem Patri: per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cœlis*, genuflectitur, *Et incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine. Et homo factus est*, surgitur, *Crucifixus etiam pro nobis: sub Pontio Pilato, passus, & sepultus est. Et resurrexit tertia die, secundum scripturas. Et ascendit in cœlum: sedet ad dexteram patris. Et iterum venturus est, cum gloria iudicare viuos & mortuos, cuius regni non erit finis. Et in Spiritum sanctum Dominum & viuificantem: qui ex Patre Filioq; procedit. Qui cum Patre & Filio simul adoratur*, caput Cruci inclinat, *& conglorificatur: Qui locutus est per Prophetas. Et vnam Sanctam Catholicam & Apostolicam Ecclesiam. Confiteor vnum baptisma in remissionem peccatorum. Et exspecto resur-*

surrectionem mortuorum. Et vitam venturi sæculi. Amen producit sibi manu dextrâ signum Crucis à fronte ad pectus.

ANNOTATIONES.

§. 1. Liber Missalis pro legendo Euangelio ita super Altare collocandus, vt superior pars libri respiciat cornu Altaris, non vero parietem siue partem eius contra Sacerdotem celebrantem directam.

§. 2. Cùm Celebrans dicit secretò ad medium Altaris *Munda cor meum, &c.* non ponit manus iunctas super Altare, sed iuxta Rubricam stabit iunctis manibus ante pectus eleuatisque ad Deum oculis & statim demissis, profundè inclinatus.

§. 3. Celebrans dicit *Iube Domine benedicere*, non vt in antiquis habetur *Iube Domne benedicere*, vt sit discrimen inter Celebrantem & Diaconum, nam Celebrans ad Deum vniuersorum Dominum suas dirigens preces dicit *Iube Domine benedicere*. Diaconus verò qui à Sacerdote ministro Christi, qui Domnus dicitur, sicut etiam Summus Pontifex, Domnus Apostolicus appellatur, cum petit benedictionem; non *Domine* sed *Domne* dicere debet.

§. 4. Lecturus Euangelium dicto *Dominus sit in corde meo, &c.* non se signet, neque dicat *In nomine Patru, &c.* neque tunc osculetur Altare, vt in quibusdam minùs peritis notatur.

§. 5. Ad verba *Sequentia* vel *Initium S. Euangelij, &c.* signet se non vnâ solâ Cruce magnâ à fronte ad pectus ductâ, sed tribus paruis crucibus in fronte, ore & pectore ad verba illa *Gloria tibi Domine* non vertat se, aut inclinet versus Crucem aut SS. Sacramentum expositum, sed librum respiciat erectus.

§. 6. Celebrans non vertit se ad Crucem, nec inclinat caput dū Minister dicit *Gloria tibi Domine* quamuis etiam SS Sacramentum patenter sit expositum, sed corpore erecto respicit librum.

§. 7. Dum signatur liber sinistra manus apponi debet eidem libro; dum verò signat seipsum ponitur infra pectus, sed pollice tantùm fiunt hæc signa Crucis, non cum indice & pollice tantùm nec cum indice & pollice coniunctis in formam Crucis, neque vngue, sed pulpa pollicis; manu ad librum conuersâ, & posteà, dū se signat, ad se conuersâ. *Gauantus part. 2 tit. 6. n. 2. litt. n. & o.*

§. 8. Stet erectus versus librum, brachijs seu manibus non innitendo Altari, vel libro. Cùm durante Euangelio flectendum, vel inclinandum fuerit, id nunquam fiet versus Crucem, vel SS. Sacramentum, sed versus librum, pedesque teneat firmos & æquales non ad Altare, sed ad cornu Euangelij versos.

§. 9. In fine Euangelij absque vlla Crucis productione osculetur librum, eo ad os deportato, non oreadeum demisso, quem mox vna cum puluinari à cornu Euangelij ad medium Altaris prope Corporale, vt commodius legere possit trahit, minimè autem relinquendum est eo loci, in quo lectum est Euangelium, licet hac de re taceat Rubrica.

Car. Epis. lib. 1. c. 10.

§. 10. Quando Missa priuata celebratur coram Summo Pontifice, Cardinale, aut alijs in Rubricis specificatis minister ijs deferens librum Euangeliorum osculandum, indutus erit superpelliceo, & obseruabit, vt sine vlla reuerentia librum ad dictum Prælatum deferat; sed postquam ille fuerit osculatus librum, statim clauso libro reuerentiam debitam illi faciet; Ille verò tantùm qui librum osculatur dicere debet, *Per Euangelica dicta, &c.* sunt enim verba osculantis propria, quzideò omisso osculo omittuntur, vt in Missa Defunctorum præscribitur.

Gauantus part. 2. tit. 6. n. 2. litt. i.

§. 11. Si intersunt Missæ Prælati plures inæquales in eorum residentijs, librum osculatur tunc dignior, si æquales, vt Cardinales, nullus, nec etiam Celebrans.

Gemma lib. 1. cap. III.

§. 12. Tolerari potest illa consuetudo, quâ defertur liber Prælato, continuante Celebrante Symbolum; quia antiquitus dum Symbolum cantabatur, dabatur Euangelium osculandum toti populo, non autem tolerari debet altera, qua Prælatus osculatur librum, dicto Offertorio cùm non dicitur *Credo*.

Gauantus p. 2. tit. 6. n. 2. litt. i.

§. 13. Ex Decretis Congregationis Cardinalium super negotijs Episcoporum 22. & 28 *Aug* 1589. non defertur liber osculandus Vicario Apostolico, neq; commendatario, seu ejusdem Procuratori, ex Decreto S. Rituum Congregationis *die* 17. *Septemb.* 1611. neque alijs in hac Rubrica non nominatis, sine facultate Sedis Apostolicæ; Principibus autem magnis ex tolerantia, non autem inferioribus laicis: & illis alius liber deferendus est, non idem ipse Celebrantis, qui proprium eo casu semper osculari debet librum, & dicere verba *Per Euangelica*.

§. 14.

§ 14. Celebrans incipiens *Credo*, cùm dicit in *vnum Deum*, iungit manus, & caput Cruci inclinat, non verò eleuat oculos ad cœlum, vt quidam faciunt.

§ 15. Ad verba, *Et incarnatus est*, vsque ad, *Et homo factus est* inclusiuè manibus super Altare extensis non verò ante pectus iunctis, dextro tantùm genu terram realiter tangens, corpore erecto & non curuo, vel capite infra Altaris frontem profundato, genuflectit.

§. 16. Quando in Symbolo Celebrans dicit, *adoratur*, caput inclinat ex vi verbi iuldem, sed non ad sequens verbum *conglorificatur*; In. Symboli signat seipsum, & ad verbum *Amen*, iungit manus.

TITVLVS VII.

De Offertorio, & alijs vsque ad Canonem.

1. Dicto Symbolo, vel, si non sit dicendum, post Euangelium Celebrans osculatur Altare in medio, & iunctis manibus ante pectus, ibidem à manu sinistra ad dextram (vt dictum est suprà) vertit se ad populum, & extendens ac iungens manus dicit:

Dominus vobiscum.

Et cum spiritu tuo.

Et iunctis manibus reuertitur per eandem viam ad medium Altaris, vbi extendens ac iungens manus, caputque Cruci inclinans, dicit,

Oremus.

tum iunctis vt priùs manibus dicit Offertorium,

Aue Maria, gratia plena, Dominus tecum: benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui.

Et omnia quæ vsque ad finem Missæ in medio Altaris dicenda sunt, dicit ibidem stans versus ad Altare, nisi vbi aliter ordinatur.

2. Dicto Offertorio, discooperit Calicem, &

ad cornu Epistolæ sistit, & manu dextra amouet paruam pallam desuper Hostiam, accipit Patenam cum Hostia, & ambabus manibus vsque ad pectus eam eleuatam tenens, oculis ad Deum eleuatis, & statim demissis, dicit.

Suscipe Sancte Pater, omnipotens æterne Deus, hanc immaculatam hostiam, quàm ego indignus famulus tuus offero tibi Deo meo viuo & vero, pro innumerabilibus peccatis & offensionibus & negligentijs meis, & pro omnibus circumstantibus, sed & pro omnibus fidelibus Christianis viuis atque defunctis: vt mihi & illis proficiat ad salutem in vitam æternam, Amen.

3. Si fuerint aliæ Hostiæ non super Patenam, sed super Corporale, vel in alio Calice seu vase pro communione populi consecrandæ, Calicem illum seu vas dextra discooperit, & intentionem suam etiam ad illas offerendas & consecrandas dirigens, dicit vt suprà, *suscipe, &c.* Vt in ordine Missæ.

Quo dicto, Patenam vtraque manu tenens, cū ea facit signum crucis super Corporale, & deponit Hostiam circa medium anterioris partis Corporalis ante se; & Patenam, ad manum dextram aliquantulum subtus Corporale; quam, exterlo Calice, vt dicetur, cooperit purificatorio. Si autem adsit vas seu Calix cum alijs hostijs, ipsum cooperit alia patena vel palla.

4. Deinde in cornu Epistolæ accipit Calicem, purificatorio extergit, & sinistra tenens illius nodum, accipit ampullam vini de manu ministri (qui osculatur ipsam ampullam, non autem manum Celebrantis) & ponit vinum in Calicem. Deinde eodem modo tenens Calicem, producit signum Crucis super ampullam aquæ, & dicit:

Deus.

Deus qui humanæ Substantiæ dignitatem mirabiliter condidisti & mirabiliùs reformasti, & infundens parum aquæ in calice prosequitur, *Da nobis per huius aquæ, & vini mysterium, eius diuinitatis esse consortes, qui humanitatis nostræ fieri dignatus est particeps, Iesus Christus filius tuus, Dominus noster: qui tecum viuit & regnat in vnitate Spiritus Sancti Deus: per omnia sæcula sæculorum, Amen.*

Si verò celebrat pro Defunctis, non facit signum Crucis super aquam, sed imponit absque benedictione, dicens Orationem vt supra.

5. Imposita aqua in Calice, & finita oratione prædicta, accipit manu dextra Calicem discoopertum, & stans ante medium Altaris, ipsum ambabus manibus eleuatum tenens, videlicet cum sinistra pedem, cum dextra autem nodum infra cuppam, intentis ad Deum oculis offert, dicens.

Offerimus tibi Domine, Calicem salutaris, tuam deprecantes clementiam: vt in conspectu diuinæ maiestatis tuæ, pro nostra, & totius mundi salute cum odore suauitatis ascendat. Amen.

Qua oratione dicta, facit signum crucis cum Calice super Corporale, & ipsum in medio post Hostiam collocat, & palla cooperit.

Deinde iunctis manibus super Altare positis, aliquantulum inclinatus dicit secretò.

In spiritu humilitatis, & in animo contrito suscipiamur à te Domine: & sic fiat sacrificium nostrum in conspectu tuo hodie, vt placeat tibi, Domine Deus.

Posteà erectus, eleuans oculos, manusque expandens, & statim iungens ante pectus (quod semper facit, quando aliquid est benedicturus) dicit.

Veni sanctificator omnipotens æterne Deus : & bene†dic cùm dicit *benedic* signat manu dextra communiter super Hostiam & Calicem, sinistra posita super Altare) *hoc sacrificium tuo sancto nomini præparatum.*

6. Tùm iunctis ante pectus manibus, accedit ad cornu Epistolæ, vbi stans ministro aquam fundente lauat manus, id est, extremitates digitorum pollicis & indicis, dicens Psalmum,

Lauabo inter innocens manus meas : & circumdabo Altare tuum Domine.

Vt audiam vocem laudis : & enarrem vniuersa mirabilia tua.

Domine dilexi decorem domus tuæ , & locum habitationis gloriæ tuæ.

Ne perdas cum impijs animam meam : & cum viris sanguinem vitam meam.

In quorum manibus iniquitates sunt : dextra eorum repleta est muneribus.

Ego autem in innocentia mea ingressus sum : redime me, & miserere mei.

Pes meus stetit in directo : in Ecclesijs benedicam te Domine.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto.

Sicut erat in principio, & nunc, & semper ; & in sæcula sæculorum, Amen.

Qui versus *Gloria Patri*, prætermittitur in Missis Defunctorum, & in Missis de Tempore à Dominica de Passione vsque ad Sabbatum sanctum exclusiuè.

7. Celebrans lotis manibus eas tergit, & illis ante pectus iunctis reuertitur ad medium Altaris, vbi stans, oculosque ad Deum eleuans, & statim demit-

demittens, manibus iunctis super Altare, aliquantulum inclinatus dicit secretò orationem.

Suscipe sancta Trinitas, hanc oblationem, quam tibi offerimus ob memoriam Passionis, Resurrectionis, & Ascensionis Iesu Christi Domini nostri: & in honore Beatæ Mariæ semper virginis, & Beati Ioannis Baptistæ, & SS. Apostolorum Petri & Pauli, & istorum, & omnium Sanctorum: vt illis proficiat ad honorem, nobis autem ad salutem: & illi pro nobis intercedere dignentur in cœlis, quorum memoriam agimus in terris. Per eundem Christum Dominum nostrum. Amen.

Qua dicta manibus hinc inde extensis, & super Altare positis, osculatur illud in medio: tum iunctis manibus ante pectus, demissisque oculis ad terram, à sinistra manu ad dextram vertit se ad populum, & versus eum extendens, & iungens manus, dicit voce aliquantulum elata.

Orate fratres (& secretò prosequens) *vt meum ac vestrum sacrificium acceptabile fiat, apud Deum patrem omnipotentem*, perficit circulum, reuertens iunctis manibus ante pectus à manu dextra ad medium Altaris. Et responso à Ministro vel à circumstantibus, alioquin ipsemet Sacerdos, dicit *Suscipiat Dominus Sacrificium de manibus tuis* (vel meis) *ad laudem, & gloriam nominis sui, ad vtilitatem quoque nostram, totiusque Ecclesiæ suæ sanctæ.*

Qua finita Celebrans submissa voce subiungit. *Amen.*

Et manibus ante pectus extensis, vt fit ad orationem, stans in medio Altaris, versus librum dicit absolutè sine *Oremus*, & sine alia interpositione, *Orationem*, vel *Orationes secretas*.

Secreta.

Tuâ, Domine, propitiatione, & beatæ Mariæ semper Virginis intercessione, ad perpetuam atq; præsentem, hæc oblatio nobis proficiat prosperitatem, & pacem. Per Dominum nostrum &c.

Cum dicit, *Per Dominum*, iungit manus, cum dicit, *Iesum Christum*, caput inclinat, quod facit in prima oratione, & in vltima, si plures sint dicendæ.

8. Peruento autem in Conclusione vltimæ secretæ ad verba illa, *Per omnia sæcula sæculorum*, exclusiuè; Sacerdos stans in medio Altaris, depositis super eo manibus hinc inde extensis, dicit conuenienti & intelligibili voce, *Præfationem*. Cùm dicit, *Sursum corda*, eleuat manus hinc inde extensas vsque ad pectus, ita vt palma vnius manus respiciat alteram. Cùm dicit, *Gratias agamus Domino*, iungit manus: cum dicit, *Deo nostro*, oculos eleuat, & statim Cruci caput inclinat, Responso, *Dignum & iustum est*, eleuatis, & extensis, vt prius manibus, prosequitur *Præfationem* propriam, vel communem, vt tempus requirit.

Præfatio.

℣. *Per omnia sæcula sæculorum.*
Resp. Amen.
℣. *Dominus vobiscum.*
Resp. Et cum Spiritu tuo.
℣. *Sursum corda.*
Resp. Habemus ad Dominum.
℣. *Gratias agamus Domino Deo nostro.*
Resp. Dignum & iustum est.
Vere dignum & iustum est, æquum & salutare, nos tibi semper, & vbique gratias agere: Domine Sanc-

ne Sancte, Pater omnipotens, æterne Deus. Et te in veneratione Beatæ Mariæ semper Virginis collaudare, benedicere, & prædicare. Quæ & vnigenitum tuum Sancti Spiritus obumbratione concepit: & virginitatis gloria permanente, lumen æternum mundo effudit, Iesum Christum Dominum nostrum. Per quem maiestatem tuam laudant Angeli, adorant Dominationes, tremunt Potestates. Cœli, cœlorumque virtutes, ac beata Seraphim, sociâ exultatione celebrant. Cum quibus & nostras voces, vt admitti iubeas deprecamur supplici confessione dicentes.

Deinde iunctis ante pectus manibus, & inclinatus, voce mediocri, ministro interim paruam campanulam pulsante dicit:

Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth. Pleni sunt cœli & terra gloria tua, Hosanna in excelsis. erigit se, & signum Crucis sibi producit à fronte ad pectus dicit.

Benedictus qui venit in nomine Domini, Hosanna in excelsis.

ANNOTATIONES.

§. 1. Sunt qui dicunt Offertorium expansis manibus, sed hoc est expresse contra Rubricam, quæ præcipit dici iunctis manibus alij dicunt submissâ voce, alij in Missa de B. Maria Virgine Offertorium *Aue Maria gratia plena* &c. legunt flexis genibus, at contra Rubricam faciunt.

§. 2. Si sit facienda oblatio à populo, fiat statim dicto offertorio ante oblationem Hostiæ, vt constat ex omnibus actibus pontificalibus, in Pontificali Romano præscriptis. Et Sacerdos in Sacrificio Missæ tamdiu substistere debet, donec ea omnino peracta sit. Non tamen in simili oblatione Patena, sed Crux aut sacra aliqua imago, aut manus celebrantis, ad osculandum præbenda est.

Gauantus Part. 2 Tit. 7. n. 5. lit. o.

§. 3 Ba-

Diana Part. 2. Tract. 14. resol 49. Gauantus loco citato litt q Ganantus Part. 2. Tit. 7. n. 2. litt. t.

§. 3. Sacerdos primitias celebrans potest se in medio Altaris ad populum vertere & oblationes ab ipsi sponte factas accipere, non tamen debet circuire Ecclesiam ex decreto Sac. Cong. Concilij Trid. *sess.* 22. neque in fine oblationis debet dari benedictio, vti necessitio, multò minùs Celebrans cum Diacono & subdiacono accedere debet ad chorum monialium aut aliarum Virginum, & ab ijsdem oblationem ibidem accipiat, nec oblatio huiusmodi imponi debet patenæ vel Calici.

§. 4. Dicto offertorio, Celebrans *primò* discooperit calicem, velo nimirum remoto quod melius à ministro quàm Sacerdote plicatur, & ab ipso prope tabellarum secretarum in cornu Epistolæ collocatur, sed si à ministro non plicetur, potius à Sacerdote plicatur, quam explicatũ & extensum in Altari relinquatur. *Secundò* sistit eum ad cornu Epistolæ manu dextrâ, sinistrâ super Altari extra Altare positâ. *Tertiò* manu dextrâ amouet paruam pallam desuper Hostiam. *Quartò*, sola manu dextrâ accipit patenam cum Hostia de calice, *Quintò*, ambabus manibus vlque ad pectus, non patenam autem ante faciem cum Hostia eleuatam tenens, oculis ad Deum eleuatis, & statim demissis, offert dicens *suscipe sancte Pater. &c.*

Gauantus Part. 2. Tit. 7. n. 3. litt. y.

§. 5. *Si* fuerint aliæ Hostiæ, non super patenam, sed in alio calice seu vase pro communione populi consecrandæ. Celebrans antequam accipiat patenam cum Hostia, priùs detegit dextrâ dictum vasculum, nec est necesse vt id Celebrans eleuet quia esset ei incommodum, sed ad idem suam tantùm dirigat intentionem. Factâ autem oblatione Hostiæ, antequam accipiat Calicem, eandem ponit prope tabellam Secretarum in medio super Corporale. Si tamen non sint Hostiæ in magno numero scilicet quinque aut sex solùm consecrandæ poterunt poni super Corporale à parte Euangelij: è regione maioris Hostiæ, ab ea aliquantulum distantes.

§. 6. Celebrans faciat Cruci reuerentiam antequam procedat ad cornu Epistolæ vt accipiat Calicem.

§. 7. In præparatione Calicis Celebrans sequentia obseruare debet. *Primò*, vt parùm tantùm recedat à medio, nimirum ad locum vbi Calicem posuit. *Secundò*, Accipit Calicem sinistrâ, & dextrâ purificatorio eum extergit super Altari, non autem extra Altare. *Tertiò*, Extersо Calice, vt præscribitur in Rubricis titulo *hoc* 7.

n. 3.

n.3. patenam cooperit purificatorio, ergo non inuoluit Calicem purificatorio, nec ponit illud ad pedem calicis, nec retinet in manu sinistra, quia sequitur in Rubricis n.4. Et sinistra tenens illius nodum accipit ampullam vini de manu Ministri.

§. 8. Minister osculetur vtramque ampullam, tene atque easdem in parte inferiori, ita vt Sacerdos eas possit per manubrium capere, offeratque eas dexterâ, sed recipiat ampullam vini sinistrâ, & ampullam aquæ dexterâ; Si tamen possit commodè recipere ampullam dexterâ, eò melius, ponendo ampullam aquæ in peruicula, cum osculis earum non manus Celebrantis, & cum inclinatione antè & post. *Gauantus Part. 2. Tit. 7. n. 4. litt. e.*

§. 9. Sacerdos ipse admoueat Calicem prope ampullas, ita vt guttæ non cadant super mappam altaris dum infunduntur in Calicem. Si guttæ vini & aquæ dispersæ appareant intra Calicem, circumacta vino vniantur, vel purificatorio è loco suo accepto abstergantur, ne post consecrationem oriatur dubium an sint consecratæ, & post abstersionem prædictam, Patenam iterum cooperiat purificatorio. *Gauantus Part. 2. Tit. 7. n. 4 litt. g.*

§. 10. Antequam Sacerdos benedicat aquam Calici infundendam non iungit manus, sed sinistra tenens Calicem, in Altari stantem, dextra producit signum Crucis super ampullam aquæ dicens *Deus qui humanæ* &c. *Gauantus loc. cit. litt.* d.

§. 11. Parùm aquæ infundit Sacerdos in Calicem, eoque minùs, quò vinum est debiliùs, quod quantùm fieri potest, album esse decet. Non tamen oportet esse nimis scrupulosum aut solicitum, vt aqua valde modica, vel vna guttula affundatur, plures enim guttæ affundi possunt, imò etiam octaua vel decima pars proportionalis. *Gauantus loco cit. litt.* f.

§. 12. Impositâ aquâ in Calice, statim Celebrans post exterstionem illius, si necesse sit, eum relinquit ibidem, illumque priùs accipit, cùm peruenerit ad medium Altaris, de cornu Epistolæ, tunc enim illum offert vtraque manu, vt in Rubrica.

§. 13. Calicem ambabus manibus eleuatum tenens ante pectus, nec altiùs, nec demissiùs, quàm vt pectori correspondeat, nec directè super Hostiam, sed paululum extendens brachia, vt Hostia sit inter illa.

§. 14. Signum Crucis cum Calice fit ambabus manibus, non autem vnâ tantùm, vt malè quidam.

§. 15. Ad formandas Cruces regula sit vt fiant extensâ ma- *Gauantus*

part. 2 tit. 7. n. 1. lit. p. sâ manu dextrâ iunctis digitis, paruo digito rei benedi cendæ verso, & formentur duæ lineæ hoc modo † pi vt pingitur in Missali, non autem quatuor punct

* & lineæ illæ non excedant mensuram palmi com munis manus, nec Crux debet fieri in circulo & celer digitorum variatione aut motu tantùm, sed extens manu, digitis iunctis, æqualiter altè fiat Crux rectasu per Calicem & Hostiam, & transuersè æque altè & æ qualiter super oram anteriorem pallæ, quæ Calicem tegit. Quid semper fit, quando oblata simul signantur vna Cruce, quæ & in longitudine non excedat oram pallæ; quæ est versus tabulam Altaris, & versus Sacer dotem transeat Hostiam tantùm. In latitudine autem non excedat latitudinem pallæ. Si autem separatim signentur oblata, fiat vna Crux directe super Hostiam, eodem modo quo iam Crux descripta est, sed sit minor, & fiat infra cuppam Calicis. Alia Crux fiat supra Calicem, ita vt linea tranuersa huius Crucis fiat super medium pallæ, & longitudo & latitudo illius non excedat longitudinem & latitudinem pallæ. *Gauantus Part. 2 Tit. 7. n. 5 litt. p.*

§. 16. Prætereà in faciendis viuificæ Crucis consignationibus, exactissimè perfectissimèque obseruet ne circulos, vel quæuis alia figmenta potius, quam sacrum Crucis signum formare videatur, nec signum Crucis nimis celeriter, sed distinctè formet, & regulari atque vniformi motu quasi calamo lineas designans, omni affectatione semotâ, manus ipsas ducat, atque deducat.

§. 17. Psalmus *Lauabo inter innocentes* &c. incipitur & absoluitur in cornu Epistolæ, qui ita dicendus, vt cum absterſione manuum absoluatur; ad versum *Gloria Patri* caput Cruci inclinatur, ideoque non inter redeundum ad medium, sed aut in cornu Epistolæ, aut in medio Altaris dicendus. *Gauantus Part. 2. Tit 7. n. 6 litt. t.*

§. 18. Dum lauat manus aduertat vt iuxta Rubricam tantùm extremitates digitorum pollicis & indicis; non autem totas manus; & os, vt, quidam indecenter agunt, lauet; neque purificatorio, sed manutergio à ministro sibi porrecto, non quidem in Altari, seu super Calicem, sed aliquo loco congruo conseruato tergat.

§. 19. Antequam minister aquam fundat pro lotione manuum, priùs eleuet paululum manutergium ab Altari, vt Sacerdos illud capere queat; & tenens peluiculam

Gauantus part. 2. tit. 7. n. 6. litt. x.

cu'am in sinistra ampullam aquæ in dextra, cum oscu-lo ampullæ,& debitis reuerentijs,fundit aquam. Repo-sitâ deinde ampullâ aquæ , cum alia vini in loco suo, manutergium plicabit.

§. 20. Minister non priùs incipiat *Suscipiat* , quàm Sacerdos dixerit integrè *Orate fratres* vsque ad finem, neque Celebrans dicat *Amen* nisi postquam Minister finierit totam Orationem *Suscipiat*.

§. 21. Orationes secretas dicit Sacerdos in medio versus librum, hoc est conuersus ad librum, non rece-dens à medio manetque corpore ita versus librum, do-nec in vltima oratione secreta dixerit *Qui tecum vivit & regnat in vnitate Spiritus sancti Deus*, tunc enim & non ante, personam vertat ad Altare & dicat *Per omnia sæcula sæculorum*. Hinc paret aptandum esse librum prope Cor-porale, vt commodiùs legatur, non autem relinquen-dum est eo loci, in quo lectum est Euangelium, vt di-ctum est supra titulo præcedenti. § 7. *Gauantus part. 2. tit. 7. n. 7. litt. b.*

§ 22. Conclusio primæ Orationis dicitur à Cele-brante integrè , sicut in prima oratione Epistolam fa-ctum est. & sibi respondet *Amen*, nec subiungit *Oremus*, sed absolute alias Orationes prosequitur, si dicēdæ sint.

§. 23 Præfatio dicitur in medio Altaris, persona ver-sus tabulam Altaris stante, quamuis facie librum re-spiciat, vt Præfationem legat. Sub Præfatione dum di-cit : *Per Christum Dominum nostrum* non inclinat caput, nec vnquam per totam Missam dum dicit, *Per Christum Dominum*, sine verbo *Iesum* caput inclinat, vnâ solum vice exceptâ scilicet in Canone post consecrationem ante verba: *Nobis quoque peccatoribus*.

§. 24. Quamuis olim innumeræ fuerint præfationes in Missa dicendæ, nunc tamen inueniuntur in missali tantummodo vndecim videlicet prima, de Natiuitate Domini: secunda de Epiphania: tertia, de quadrage-simali ieiunio: quarta, de Cruce, quinta, de resurrectione Domini, sexta, de Ascensione : septima, de Spiritu San-cto: octaua, de sancta Trinitate : nona, de beata Maria Virgine: decima, de Apostolis: vndecima quotidiana si-ue communis, caueatque Sacerdos ne præter has vnde-cim Præfationes sine speciali priuilegio in Missa sub quocumque prætextu alijs vtatur.

§ 25. Dum Celebrans dicit *Sanctus* nec pectus per-cutit, nec manus super Altare ponit, sed iungit ante pe-ctus. In fine dum dicit *Benedictus* Celebrans post signum Crucis iungit manus, sicut ad finem Hymni Angelici. *Gauantus loco cit. n. 8. litt. f.*

TITV-

TITVLVS VIII.

De Canone Missæ usque ad consecrationem.

1. FInita Præfatione, vt suprà, Sacerdos stans ante medium Altaris, versus ad illud, aliquantulum eleuat manus, oculisque eleuatis ad Deum, & sine mora deuotè demissis ac manibus iunctis, & super Altare positis, profundè inclinatus incipit Canonem, secretò, dicens:

TE igitur, *Clementissime Pater, per Iesum Christum Filium tuum Dominum nostrum, supplices rogamus ac petimus.* osculatur Altare in medio, deinde erigit se, & stat iunctis manibus ante pectus dicens, *vti accepta habeas, & benedicas* dextra manu signat ter communiter super Hostiam & Calicem dicens, *Hæc † dona, hæc † munera, hæc † Sancta Sacrificia illibata.*

2. Deinde extensis manibus ante pectus, prosequitur.

In primis quæ tibi offerimus pro Ecclesia tua sancta Catholica: quam pacificare, custodire, adunare, & regere digneris toto orbe terrarum; vnà cum famulo tuo Papa nostro N. exprimit nomen Papæ: Sede autem vacante verba prædicta omittuntur. Et *Antistite nostro* N. specificatur nomen Patriarchæ, Archiepiscopi, vel Episcopi ordinarij in propria Diœcesi, & non alterius superioris, etiamsi Celebrans sit omnino exemptus, vel sub alterius Episcopi iurisdictione. Si verò Episcopus ordinarius illius loci, in quo Missa celebratur, sit vita functus, prædicta verba omittuntur: quæ etiam omittuntur ab ijs qui Romæ celebrant. Si celebrans

est Epi-

est Episcopus, Archiepiscopus, vel Patriarcha, omissis prædictis verbis, eorum loco dicit.

Et me indigno seruo tuo.

Summus autem Pontifex cùm celebrat omissis verbis, *vnâ cum famulo tuo Papa nostro* N. *& Antistite nostro* N. *dicit*, *vnâ cum me indigno famulo tuo, quem gregi tuo præesse voluisti.* Et continuant omnes vt sequitur.

Et omnibus orthodoxis, atque Catholicæ & Apostolicæ fidei cultoribus.

Commemoratio pro viuis.

3. Cùm dicit *Memento Domine famulorum famularumque tuarum* eleuans & iungens manus vsque ad faciem vel pectus, sic iunctis manibus stat paulisper in quiete, demisso aliquantulùm capite, faciens commemorationem viuorum Christi-fidelium ad suam voluntatem; quorum nomina, si vult secretò commemoret; non tamen necessè est ea exprimere, sed mente tantùm eorum memoriam habeat. Potest etiam celebrans, si pro pluribus orare intendit, ne circumstantibus fit morosus, ante Missam in animo proponere sibi omnes illos tam viuos quam defunctos, pro quibus in ipsa Missa orare intendit, & hoc loco generaliter vnico contextu ipsorum viuorum commemorationem agere, pro quibus ante Missam orare proposuit in Missa.

4. Commemoratione viuorum facta, demissis & extensis vt prius manibus continuat.

Et omnium circumstantium, quorum tibi fides cognita est, & nota deuotio, pro quibus tibi offerimus: vel qui tibi offerunt hoc sacrificium laudis, pro se, suisq; omnibus: pro redemptione animarum

marum suarum, pro spe salutis & incolumitatis suæ: tibiq; reddunt vota sua æterno Deo, viuo & vero.

Similiter stans prosequitur

Communicantes, & memoriam venerantes, in primis gloriosæ semper Virginis Mariæ, genitricis Dei & Domini nostri: caput Cruci inclinat, *Iesu Christi: sed & beatorum Apostolorum ac Martyrum tuorum, Petri & Pauli, Andreæ, Iacobi, Ioannis, Thomæ, Iacobi, Philippi, Bartholomæi, Matthæi, Simonis, & Thadæi; Lini, Cleti, Clementis, Xysti, Cornelij, Cypriani, Laurentij, Chrysogoni, Ioannis & Pauli, Cosmæ & Damiani: & omnium Sanctorum tuorum: quorum meritis precibusq; concedas, vt in omnibus protectionis tuæ muniamur auxilio: Per eundem,* iungit manus, *Christum Dominum nostrum.*

Expandit manus simul super oblata, ita vt palmæ sint apertæ versus ac supra Calicem & Hostiam, quas sic tenet dicendo, *Hanc igitur &c.* vsque ad illa verba,

Per Christum Dominum nostrum, tunc enim iungit manus.

Hanc igitur oblationem seruitutis nostræ, sed & cunctæ familiæ tuæ, quæsumus Domine, vt placatus accipias: diesq; nostros in tua pace disponas, atque ab æterna damnatione nos eripi, & in electorum tuorum iubeas grege numerari, iungit manus, *Per Christum Dominum nostrum. Amen.*

Et sic prosequitur,

Quam oblationem tu Deus in omnibus, quæsumus,

mus, communiter signat ter super Hostiam & Calicem simul: dicens *bene † dictam, adscri † ptam, ra † tam, rationabilem, acceptabilemq; facere digneris*: separatim signat semel super Hostiam tantum *vt nobis Cor- † pus* & semel super Calicem tantùm dicens *& San † guis fiat dilectissimi filij tui Domini nostri Iesu Christi* & inclinans caput Cruci, extergit, si opus fuerit, pollices & indices super Corporale, & dicit secretò vt priùs.

Qui pridiè quam pateretur, & accipiens pollice & indice dextræ manus Hostiam, & eam cum illis ac indice & pollice sinistræ manus tenēs; stans erectus ante medium Altaris, dicit, *accepit panem in Sanctas ac venerabiles manus suas*, eleuansque ad cœlum oculos, & statim demittens, dicit, *& eleuatis oculis in cœlum ad te Deum Patrem suum omnipotentem*, caputque aliquantulum inclinans; dicit, *tibi gratias agens*; & tenens Hostiam inter pollicem & indicem sinistræ manus, dextra producit signum Crucis super eam, dicens, *bene † dixit, fregit, dedit que discipulis suis, dicens: Accipite, & manducate ex hoc omnes.*

5. Si adsit vas cum alijs Hostijs consecrandis, antequam accipiat Hostiam, discooperit manu dextra Calicem, seu vas aliarum Hostiarum. Cum autem finierit supradicta verba, cubitis super Altare positis, stans capite inclinato, distinctè, reuerenter, & secretò profert verba consecrationis super Hostiam, & simul super omnes, si plures sint consecrandæ, & Hostiam suam pollicibus & indicibus tantùm tenens, dicit,

Hoc

Hoc est enim Corpus meum.

Quibus prolatis, Celebrans tenens Hostiam inter pollices & indices prædictos super Altare, reliquis manuum digitis extensis & simul iunctis (& Hostijs, si plures sint consecratæ, in loco, in quo à principio Missæ positæ sunt, super Corporali vel in alio vase, aut Calice demissis) genuflexus eam adorat. Tunc se erigens, quantum commodè potest, eleuat in altum Hostiam, & intentis in eam oculis (quod & in eleuatione Calicis facit) populo reuerenter ostendit adorandam; & mox sola manu dextra ipsam reuerenter reponit super Corporale in eodem loco vnde eam leuauit, & deinceps pollices & indices non disiungit, nisi quando Hostiam consecratam tangere vel tractare debet, vsque ad ablutionem digitorum post Communionem.

6. Reposita Hostia consecrata super Corporale, genuflexus ipsam veneratur: si adsit vas aliarum Hostiarum, Patena vel Palla cooperit vt suprà. Interim dum Celebrans eleuat Hostiam, accenso priùs intorticio (quod non extinguitur, nisi postquam Sacerdos Sanguinem sumpserit, vel alios communicauerit, si qui erunt communicandi in Missa;) minister manu sinistra eleuat fimbrias posteriores Planetæ, ne ipsum Celebrantem impediat in eleuatione brachiorum, quod & facit in eleuatione Calicis: & manu dextra pulsat campanulam ter ad vnamquamque eleuationem, vel continuate quousque Sacerdos deponat Hostiam super Corporale, & similiter postmodum ad eleuationem Calicis.

7. Celebrans adorato Sacramento surgit, & discooperit Calicem, in quem, si opus sit, extergit digi-

digitos, quod semper faciat, si aliquod fragmentum digitis adhæreat, & stans erectus dicit.

Simili modo post quam cœnatum est, & ambabus manibus accipiens Calicem iuxta nodum infra cuppam, & aliquantulum illum eleuans, ac statim deponens, dicit, *accipiens & hunc præclarum Calicem, in Sanctas ac venerabiles manus suas* cum dicit *item tibi gratias agens* caput inclinat cum dicit *bene† dixit*, sinistra Calicem infra cuppam tenens, dextra signat super eum, & prosequens *deditque discipulis suis, dicens: accipite & bibite ex eo omnes.*

Ambabus manibus tenens Calicem, videlicet sinistra pedem, dextra nodum infra cuppam cubitis super Altare positis, & capite inclinato, profert attentè, continuatè, & secretò, vt suprà, verba consecrationis Sanguinis.

Hic est enim Calix Sanguinis mei, noui & æterni testamenti: mysterium fidei: qui pro vobis & pro multis effundetur in remissionem peccatorum.

Quibus dictis reponit Calicem super Corporale, & dicens secretò.

Hæc quotiescunque feceritis, in mei memoriam facietis, genuflexus Sanguinem reuerenter adorat.

Tum se erigit, & accipiens Calicem discoopertum cũ Sanguine ambabus manibus, vt prius,

eleuat eum, & erectum, quantum commodè
test, ostendit populo adorandum: mox ipsum
uerenter reponit super Corporale in locum
stionum. & manu dextra palla cooperit, ac ge
flexus Sacramentum veneratur.

ANNOTATIONES.

Gauantus Part. 2. Tit. 8. n. 1.

§. 1. Actio prima in Canone quinque actus co
plectitur manuum & oculorum eleuationem, ocu
rum demissionem, manuum iunctionem, earund
super Altare positionem. Et ad primum gestum, prim
quoque verba, *Te igitur*, sunt pronuncianda, non ca
dari debet gestus sine voce, qui alioquin esset inc
cinnus & indecens.

§. 2. Osculato Altari quidam non iunguntma
antequam signent oblata, quam iunctionem manuu
ante quamuis benedictionem adhibendam, & a Ru
bricis sæpius præscriptam, etiam aliàs, malè, omi
tunt.

Gauantus Part. 2. Tit. 8. n. 2. lit. m.

§. 3. In Canone ad nomen Papæ caput inclinatur, e
dem enim est ratio, qua supra dictum est in collecta, a
nomen eiusdem, de quo dubitauere quidem nonnulli
sed in *Rubrica de Orat.* non adest limitationis particu
tantùm.

Gauantus loco citato lit. n.

§. 4. Episcopus illius loci in quo Missa Celebratu
nominandus est, non autem ordinarius Celebrantis
nisi in sua Diœcesi, si habet communionem sedis Apo
stolicæ, aliàs vicinus Catholicus, à quo ordines petun
tur, ideoque errant qui in Canone nominant, antisti
tem suum ordinarium in aliena Diœcesi; vt si aliqui
Sacerdos Diœcesis Colonien sis Ratisbonam profectu
celebraret, atque ibidem nominaret Archiepiscopum
suum Colonien sem; deberet autem tunc nominar
Ordinarium istius loci, puta Episcopum Ratisbonen
sem. Neque, vt quidam habet, in locis, quæ nullius sun
Diœcesis omittenda sunt hæc verba, *& Antistite nostro*
neque nominandus est Abbas exemptus loci, sed Ep
scopus vicinior ad quem pro ordinatione itur, Abbas
enim non potest esse Antistes de quo in Canone.

Gauantus Part. 2. Tit. 8. n. 2. litt. n.

§. 5. Pius quintus qui nihil addi voluit in Missa, con
cessit nominari in Canone Regem in Hispania tantùm,
non ergo nominari potest in Canone ab alijs sine Sum
mi Pontificis Licentia contra Pij V. bullam de Missa
editam. Caueant etiam Regulares ne in Canone nom
ne

nent Superiores suos, vt Antistites, & contra facientes declarauit Sacra Rituum Congregatio 12. *Nouembris* 1615. facere contra pietatem, ac temeritatis notam incurrere, eosque animaduersione dignos esse.

§. 6. Verba illa *Memento Domine famulorum famularumque tuarum* non altiori seu clariori proferenda sunt voce quàm alia verba Canonis quia in Canone non eleuatur vox nisi ad illa tria verba, *Nobis quoq; peccatoribus*, vt constat ex Rubrica. *Gauantus p. 1. tit. 16. sub n. 2.*

§. 7. Non sine graui culpa potest Canon Missæ altè legi, nisi in ordinationibus Presbyterorum, tunc enim Episcopus totum Canonem & alia secretè dicenda morosè & aliquantulum altè dicere debet, ita, vt ordinati Sacerdotes possint secum omnia dicere, præsertim verba consecrationis, quæ dici debent eodem momento per ordinatos, quo dicuntur per Pontificē. Pontif. Rom. *tit. de ordinat. Presb. Gauantus loco cit sub n. 1.*

§. 8. Dum facit commemorationem viuorum, fiat secundum Rubricam, videlicet non tenendo manus iunctas vsque ad oculos, sed ante pectus, vel vsque ad faciem, demisso aliquantulum capite ad vniformitatem verò seruandam, extremitas digitorum infimo oris labio correspondeat; Non oculis eleuatis versus Crucem, nec ijsdem clausis, nisi fortè ad maiorem animi compositionem. Neque defigendi sunt oculi in Sacramentum, si est in Altari expositum, eo quod in altero *Memento* præscribitur capitis demissio & oculorum; in vtroque enim *Memento* hæc capitis & oculorum demissio attendi debet, ad indicandam humilitatem. *Gauantus Part. 2. Tit. 8. n. 3 lit. o.*

§. 9. Hoc loco dicendum est de applicatione sacrificij & quidquid sit de valore Missæ, qui dici potest infinitus in radice, sed ad impetrandum, & ad alios effectus, finitus in terminis; vel in effectu, quia finitè de eo omnes, magis, vel minus, pro minori vel maiori deuotione cuiusque concurrentis ad Missæ sacrificium participant.

Expedit Sacerdoti vt faciat quatuor sequentia in vtroque *Memento*.

Primum est, in vtroque *Memento*, vt intendat prodesse omni meliori modo ijs, de quibus Ecclesia expressè meminit in Canone, nimirum toti Ecclesiæ, Papæ, Episcopo loci, & circumstantibus, quibus Deus distribuat portionem Sacrificij generalem, pro eorum capacitate, & deuotionis mensura. *Gauantus loc. cit. lit p*

Secundū est, vt prouideat sibi ipsi Sacerdos de portione

tione sibi debita, quam solus Deus nouit quanta sit. probabile est, eam posse dari à Sacerdote alijs nom nandis pro eo titulo, quo importat pœnæ debitæ missionem. Quo casu prodesset multo magis ijs, quà si pro ijsdem sequenti proximâ ratione, & modo cel braret, quia certum est, participare Sacerdotem in m iori quantitate de valore Missæ, quàm alium quemi bet, qui eundem celebrare iubet, aut procurat; tum mysterio proximiori, tum ex maiori deuotione & fid quæ inter Celebrandum multipliciter excitantur.

Tertium est, vt suffragari intendat eo maiori affectu quo potest, & debet ijs, quibus tenetur, siue ex obedien tia, siue ex titulo beneficij, siue legati, siue contract rationabilis, siue promissionis, aut voti, siue congruen tis eleemosynæ acceptæ, aut promissæ; & ea prorsus ra tione, quâ iisdem tenetur ad Missam, siue plures Missas Si verò ij non egeant, aut fortè ex defectu gratiæ non sint capaces Sacrificij fructus, substituat statim alios a ctu, & secundâ, vt aiunt, intentione, alioquin fructu Missæ non applicatus remanebit in thesauro Ecclesiæ Deus autem nouit, quantùm cuique illorum de fructu Missæ sit dandum.

Quartum est, vt alijs item prodesse intendat, sint prædictorum præiudicio, eo ordine & quantitate fru ctus, quâ Deus scit ipsum teneri, & eos specialiter no minatos Deo commendet, siue in ordine ad remissio nem pœnæ, cùm sit satisfactorium; siue ad gratiam ac quirendam, & augendam, cùm sit meritorium; siue ad quæcunque bona spiritualia, vel temporalia, quibus illi egent, & vt illora eisdem forent, obtinenda, cùm sit impetratorium: siue ad gratias agendas de obtentis, cum sit Eucharisticum; siue ad reddendum honorem ab illis Deo debitum, cùm sit latreuticum. Ex his ergo & tu memento, ne *Memento* in Missa fiat in momento sed cum aliqua mora.

Gauantus ibidem n. 3. litt. p.

§. 10. Nomina eorum pro quibus Sacerdos orare vult, secretò nominet, id est labijs compressis, inclusi pectoris cogitatione.

§. 11. *Memento* est oratio priuata, quare in ea admitti possunt infideles & excommunicati omnes, ad eorum salutem procurandam.

Diana Part. 3. resol. 140. Gauantus Part. 2 Tit.

§. 12. Ad orationem *Hanc igitur*, &c. expandit ma nus Sacerdos, non super Calicem tantùm, sed super u traque oblata pollice dextro adhuc super sinistro, i modum Crucis posito, ita tamen vt pollices sint supe alio

alios digitos, vt anteà, non autem pollices subtus manus tenendi sunt. 8. n. 4. lit. t.

§. 13. Cùm signat ad illa verba *benedictam, adscriptam*, &c. ter super Hostiam & Calicem simul, & separatim semel super Hostiam tantùm, & semel super Calicem tantùm, videat Sacerdos vt Cruces fiant continenter, non interruptè tres, & posteà post breuem moram aliæ duæ, neque interrumpantur iunctione manuum, aut aliâ ratione ad ea verba *acceptabilemq;* dispensando verba appositè.

§. 14. Si Pyxidem cũ alijs Hostijs consecrandis collocauerit post Calicem, antequam accipiat Hostiam, retrahet eam priùs ad latus ipsius Calicis versus partem Epistolæ, eamque discooperit, vt super ipsas quoque particulas propriùs verba consecrationis proferat: quæ proferre debet stans quidem, & inclinato capite, sed retentis æqualiter pedibus in suppedaneo Altaris; non dextro vltra sinistram, reuerentiæ causa, quasi deflexo. *Gauantus ibid. n. 5. lit. b.*

§. 15. Cæremoniæ externæ in hac actione rectè appositæ sunt, & consentiunt cum singulis verbis *Qui pridie* &c. Tenens Hostiam consecrandam, caueat Celebrans ne pectus percutiat, neque Hostiam consecrandam eleuet, sed eam teneat stans corpore erectus ambabus manibus inter indices & pollices non quasi iacentem, sed erectam super corporale. Dum Celebrans dicit *accepit panem* Hostiam capiat dexterâ, ita vt priùs indice sinistræ manus oram ipsius aliquantulùm premat super corporale, vt facilè eam ipsam Hostiam dextrâ capere valeat, & dum dicit *in Sanctas ac Venerabiles* &c. eam accipit etiam sinistrâ, eamque paululum eleuatam à corporali, erectam non quasi iacentem teneat, cæteraque in hac Rubricâ præscripta ad literam cum grauitate obseruari debent.

§. 16. Sacerdos iam consecraturus hostiam, priusquam consecrationis pronunciet verba, mentaliter sic renouabit intentionem. Cum illa, Domine Iesu Christe humilitate, charitate & intentione, quam habuisti, & Sancta Catholica habet etiamnum Ecclesia, eâdem in hac actione, tua omnipotentia pronunciabo verba *Hoc est* &c. Eodem affectu etiam consecrabit Calicem. *Iustinellus in modo deuotè celebrandi Missam.*

§. 17. Proferens verba consecratione stat capite inclinato, non toto corpore incuruato distinctè & secretè profert verba consecrationis, caueat ne afflet, nec barbâ vel ore contingat Hostiam, vel Calicem, neque in

eundem barbam immittat, neque moueat caput ad singula verba consecrationis, vt faciunt multi, nec signet cum eo Hostiam, neque eam aut Calicem post vtriusque consecrationem osculetur; neque verba consecrationis proferat magno conatu & aspiratione, sed vnico contextu & nullâ interpositâ morâ inter singula verba eaque ita secreto proferat vt à nemine circumstantium audiatur, sed à seipso tantùm: pares retineat pedes in consecratione super Suppedaneum Altaris, dextro vltra sinistrum reuerentiæ causa nullatenus remoto aut reflexo.

Gauantus loco citato lit. d.

§. 18 Adorat Sacerdos Hostiam consecratam vnico tantùm genu, vt facilius surgere possit; neque cubitis super Altare positis adorat, sed manibus Hostiam tenentibus super Altare retentis; & ita, vt commodè ad terram vsque genuflexio fiat, neque tamen videri Hostia ab omnibus possit, hinc adoratio hæc fit facie in Hostiam intentâ, & non toto corpore & capite exindiscreta reuerentia infra frontem Altaris profundato.

Gauantus loco citato lit f.

In eleuatione Hostiæ digitos extensos iungat, sicut & imas partes manuum, vt solidius & decentius eam eleuet; neque eas seiungat, nisi quando reponit Hostiam.

§. 19. Sacramentum eleuet grauiter, non autem adeo lentè, nec nimis in altum, sed ita vt videri commodè à circumstantibus possit.

Gauantus part. 2. tit. 8. n. 5. lit. c.

§ 20. Caueat ne vnquam ferat Hostiam vel Calicem extra limites corporalis, nec retro post se, neue directè supra caput suum aut capite inter brachia protuso sed oculos semper habeat intentos, tam in Hostiam quàm in Calicem, Hostiam quando populo adorandam ostendit in vtrumque latus non conuertat, nec illâ Crucem effingat sed rectam & immotam in alto aliquantulum teneat, & mox iterum reuerenter reponat, quod & in Calicis eleuatione obseruandum; non enim diu Hostiam, aut Calicem eleuatum tenere debet.

§. 21. In repositione Hostiæ, & Calicis non osculetur nodum, pedemue eius neque Hostiam, aut suam manum, sed deponat Hostiam eodem, prorsus modo quo acceperat tribus nimirum digitis posterioribus sublatis, non in Altari depositis, nec inuersâ manu.

§. 22. Eleuatâ Hostiâ non detegat Calicem, priusquam adorauerit ipsam Hostiam.

§. 24. In

§. 23. In eleuatione Hostiæ, & Calicis, Minister paulò post Sacerdotem ad eiusdem dextram, genuflexus supra altiorem gradum, si plures sint gradus, manu sinistrâ eleuat partem inferiorem posterioris Planetæ quam in medio accipit, sed eam accipiens aut deponens non osculatur, & manu dextrâ pulsat campanulam ter ad vnamquamque eleuationem, id est, cum Sacerdos adorat, cùm eleuat, & cum reponit Hostiam seu Calicem: & hic ritus sicut est prior in Rubrica, ita decentior est posteriori, quo continuatim campanula pulsatur. *Gauantus ibidem n. 6. litt. g.*

§. 24. Eleuando in altum sacratissimam Hostiam, forti fide, profundâ humilitate, ac reuerentia æterno Patri illam offeret, atque vna cum illa seipsum in perpetuum holocaustum ad suam gloriam, recommendando illi finem, ad quem applicatur Missæ Sacrificium. Idem fiet in eleuatione Calicis, illum offerendo magno affectu in suorum delictorum remissionem, ac totius mundi salutem. *Instinctus in modo deuote celebrandi.*

§. 25. Celebrans erectus à genuflexione post adoratam hostiam, statim Calicem discooperit, & extergit digitos, si opus sit, in eum nihil dicens, & iis extersis dicit. *Simili modo* &c eodem tempore quo Calicem capit, dexterâ benedicit Calicem, sinistrâ tenens ipsius nodum.

§. 26. Quod dicitur in Rubrica *Sacerdos consecraturus Calicem accipit eum iuxta nodum infra cuppam.* idem est, ac si dicatur, capit nodum Calicis qui est infra cuppam. Quidam deponunt Calicem, vt manus iungant, & eundem benedicant, sed malè, non enim deserendus est calix ab eiusdem acceptione, sicuti nec deseritur Hostia ad illud verbum *benedixit*. *Gauantus part. 2. tit. 8. n. 7. lit. l.*

§. 27. Antequam Celebrans eleuet Calicem; genuflectendo proferet verba *Hæc quotiescunque feceritis*, contra eos qui ea proferunt dum Calicem eleuant, aut eleuarint.

§. 28. Ad eleuationem Calicis, tenere debet Sacerdos sinistrâ pedem, dextrâ nodum, qui ritus frequentior est tenendi Calicem. *Gauantus loco cit. litt. o.*

§. 29. Dum post consecrationem Celebrans genuflectit, præcipuè autem post eleuationem, & ante sumptionem Hostiæ ac Sanguinis, ex consilio grauissimorum Ecclesiæ Præsulum & piorum Sacerdotum, in huiusmodi ritibus peritissimorum decet, vt morosè ac deuotè vsque ad terram semper genuflectat, non autem

autem leuiter se genibus incuruet, sed vt adorantes Deum viuum & verum in Spiritu & veritate decet profundissime vsque ad terram, sese in genua demittat, & internam animi sui humilitatem & reuerentiam externâ hac reuerentiâ omnipotenti Deo sacrificet.

TITVLVS IX.

De Canone post Consecrationem vsque ad orationem Dominicam.

REposito Calice, & adorato, Sacerdos stans ante Altare, extensis manibus ante pectus, dicit secretò.

Vnde & memores Domine, nos serui tui, sed & plebs tua sancta, eiusdem Christi filij tui Domini nostri tam beatæ passionis, nec non & ab inferis resurrectionis sed & in cœlos gloriosæ ascensionis: offerimus præclaræ Maiestati tuæ cùm dicit, *de tuis donis ac datis*, iungit manus ante pectus: & manu sinistrâ positâ super Altare intra Corporale, dextra signat ter communiter super Hostiam & Calicem dicens.

Hostiam † puram, hostiam † sanctam, hostiam † immaculatam, & semel super Hostiam tantùm, & semel super Calicem tantùm, dicens.

Panem † Sanctum vitæ æternæ, & Calicem † salutis perpetuæ, deinde stans vt priùs, extensis manibus prosequitur.

Supra quæ propitio ac sereno vultu respicere digneris: & accepta habere, sicuti accepta habere dignatus es munera pueri tui iusti Abel, & sacrificium Patriarchæ nostri Abrahæ: & quod tibi obtulit Summus Sacerdos tuus Melchisedech,

San-

Sanctum Sacrificium, immaculatam hostiam.

Deinde profundè inclinatus ante medium Altaris, manibus iunctis super illo positis; dicit.

Supplices te rogamus, omnipotens Deus: iube hæc proferri per manus Sancti Angeli tui in sublime Altare tuum, in conspectu divinæ maiestatis tuæ: vt quotquot, osculatur Altare, manibus hinc inde super Corporale positis dicendo: *ex hac Altaris participatione, Sacrosanctum filij tui*, iungit manus: & dextra signans semel super Hostiam tantum, & semel super Calicem, sinistra super Corporale posita: dicit, *Cor † pus, & San † guinem sumpserimus*, & cum dicit *omni benedictione cœlesti*, se ipsum signat à fronte ad pectus signo crucis, sinistra posita infra pectus, & prosequitur, *& gratia repleamur*, iungit manus dicens: *Per eundem Christum Dominum nostrum. Amen.*

Cùm dicit, *Memento etiam, Domine, famulorum famularumque tuarum N. & N. qui nos præcesserunt cum signo fidei, & dormiunt in somno pacis.* Extensis & iunctis manibus ante pectus, & vsque ad faciem eleuatis, & intentis oculis ad Sacramentum super Altare, facit commemorationem fidelium Defunctorum, de quibus sibi videtur, eodem modo vt dictum est de commemoratione viuorum.

Qua commemoratione dicta, stans vt prius extensis manibus prosequitur, *Ipsis Domine, & omnibus in Christo quiescentibus, locum refrigerij, lucis & pacis, vt indulgeas, deprecamur.* iungit manus & caput inclinat dicendo. *Per eundem Christum Dominum nostrum, Amen.*

Deinde vocem aliquantulum eleuat, & dextra manu pectus sibi percutit, sinistra posita super Corporale dicens.

Nobis quoque peccatoribus: & stans manibus extensis secretò prosequitur, *famulis tuis, de multitudine miserationum tuarum sperantibus, partem aliquam, & societatem donare digneris, cum tuis sanctis Apostolis & Martyribus: cum Ioanne, Stephano, Matthia, Barnaba, Ignatio, Alexandro, Marcellino, Petro, Felicitate, Perpetua, Agatha, Lucia, Agnete, Cæcilia, Anastasia, & omnibus Sanctis tuis: intra quorum nos consortium, non æstimator meriti, sed veniæ, quæsumus, largitor admitte.* iungit manus ante pectus dicendo. *Per Christum Dominum nostrum.*

PEr *quem hæc omnia Domine, semper bona creas*, manu dextra ter signans communiter super Hostiam & Calicem dicit, *sancti† ficas, viui† ficas, bene† dicis, & præstas nobis.*

Posteà discooperit manu dextra Calicem, & genuflexus Sacramentum adorat: tum se erigit, & reuerenter accipit Hostiam inter pollicem & indicem dextræ manus, & cum ea super Calicem, quem manu sinistra tenet circa nodum infra cuppam, signat ter à labio ad labium, dicens: *Per† ipsum, & cum† ipso, & in† ipso.* & similiter cum Hostia signat bis inter Calicem & pectus, incipiens à labio Calicis, dicit: *est tibi Deo Pa† tri Omnipotenti in vnitate Spiritus† Sancti.* Deinde tenens manu dextra Hostiam super Calicem, sinistra Calicem, eleuat eum aliquantulum simul cum Hostia, dicens. *omnis honor & gloria.* Et sta-

tim

tim vtrumque deponens, Hostiam collocat super Corporale, & si opus sit, digitos extergit, vt suprà, ac pollices & indices, vt priùs iungens, Calicem palla cooperit, & genuflexus Sacramentum adorat.

ANNOTATIONES.

§. 1. Dum Sacerdos dicit *vnde & memores, &c* non fit brachiorum more mu torum, sed tantum more ordinario manuum, vt habet Rubrica, extensio. *Gauantus Part. 2 Tit. 9. n. 1. litt. u.*

§. 2. Dum dicit *Supplices te rogamus, &c.* inclinat se profundè ante medium Altaris manibus iunctis super illo positis, non tamen pollice dextro super sinistrum posito, sed iunctis pollicibus & indicibus inuicem inter se, & paruis digitis frontem Altaris tangentibus ita vt celebrans non teneat manus totaliter super Corporale, quod etiam in sequentibus obseruatur, cum manus iunctæ super Altare ponuntur. *Gauantus ibidem, litt. a.*

§. 3. Celebrans deinceps manum sinistram super corporale ponit, quando est aliquid benedicturus, & ambas manus quando genuflectere debet.

§. 4. Bis hoc loco iunguntur manus, primò quando immediatè ante *Memento* dicit *Per eundem*, cũ autem dicit *Memento Domine* &c. tunc iterum extendit, & extensas tenet vsque dum dixit *In somno pacis*, & tunc secundo iungit. *Gauantus loc. cit. n. 2. litt. b.*

§. 5. Dum dicit *Memento Domine famulorum famularumque tuarum* pausa fit non post literas N. & N. sed post verba *in somno pacis*, neque eleuat vocem, dum dicta verba profert, sed eâdem voce vt cætera verba Canonis pronuntiat, hoc autem *Memento* à Superiore differt, quod hoc fiat intentis oculis ad Sacramentum super Altare, non autem clausis. *Gauantus loco cit. sub litt. c.*

§. 6. In Commemoratione seu *Memento* Defunctorum, omnia obseruanda sunt, vt suprà in *Memento* viuorum: primo enim Sacerdos commemoret ex instituto & intentione Ecclesiæ, deinde eos, pro quibus, vt suprà tertio loco teneri dictum est: tertio alios cariores quos voluerit, & item illius animam Defuncti, quæ proximè egressura est de purgatorio: tibi enim de cœlo statim rependet gratiam. Omnes autem Defuncti commendandi sunt Deo, in ordine tantùm ad pœnarum remissionem, cum hoc sacrificium pro Defunctis sit tantummodo satisfactorium. *Gauantus part. 2. tit. 8. n. 3.*

Gauantus loco citato.

§. 7. Celebrans in fine *Memento* dicens *Per eundem Christum Dominum nostrum*, caput inclinat, non autem alibi in tota Missa ad eadem verba, hic verò ad dicta verba caput inclinatur quia Celebrans statim est dicturus *Nobis quoque peccatoribus*, quæ sunt, verba humiliantis se.

Gauantus loc cit. n. 3. lit. f.

§. 8. Dum dicit. *Nobis quoque peccatoribus* tribus digitis fit tunsio pectoris, hoc est digitis inferioribus & vltimis ne pollex & index iuncti, tangant Planetam, quod obseruandum ad *Agnus Dei*, & *Domine non sum dignus*.

§. 9. Dum tractanda est Hostia, nullo modo incuruet pedem, aut ante vel post eiusdem tractationem, manum vel digitos osculetur: sed mente, illam Domino immaculatarum manuum Sacratissimæ eius matris offeret puritatem, quibus ab illa lætè infans exceptus.

Gauantus loc. cit. lit. h.

§. 10. Celebrans ter signat communiter a labio ad labium Calicis, æqualiter, non extra vel trans Calicem saltando, sed æquali & erecto motu crucem formando, & duæ sequentes Cruces quæ sunt inter Calicem, & pectus similiter æquales esse debent mouendo siue trahendo hostiam versus se, siue pectus suum, & non descendendo versus pedem Calicis, & transuersando æqualiter altè Crucem efformabit, ita vt superior pars Hostiæ in vtraque Cruce non excedat Calicis altitudinem, neque tangat prorsus in alijs tribus labia Calicis.

§. 11. In formatione Crucis cum Hostia id insuper notetur, 1. vt non omnino à parte inferiori Hostia sumatur. sed aliquantulùm infra medium oræ ipsius vt rectâ lineâ sine vlla prorsus eiusdem inclinatione à labio ad labium super Calicem, priùs signum Crucis cum ea efformari possit. 2. Vt dum fiunt Cruces inter Calicem & pectus, Celebrans parùm brachium sinistrum incuruet, ne formando prædictas Cruces Hostiam super brachium ipsum pertransire faciat. 3. Vt Hostiâ super Calicem retentâ non vltra quatuor digitos, idem Calix eleuetur à corporali. Denique vt nulla genuflexio vel aliud reuerentiæ signum fiat, dictaque Hostia populo adoranda non monstretur, nec inclinata sed recta etiam teneatur, dum fiunt duæ vltimæ Cruces.

§. 12. Ad verba sacri Canonis: *Omnis honor & gloria*, seu ad præfationculam Orationis Dominicæ, nullus sacram hostiam gyrando in altum tollere debet, aut quasi per semicirculum, vt passim abusu quodam à mul-

multis hisce in partibus receptum est, populo videndam exhibeat; sed vt in alijs ritibus atque ceremonijs omnibus, ita & in hac eleuatione religiosè obseruent omnes, quæ in Rubricis præscribuntur: nam gyratio illa, vt nulla Ecclesiæ sanctione probata est, nulloque sacro mysterio consentanea, ita rudi populo fecit esse persuasum, Ecclesiæ præcepto de audienda Missa esse satisfactum, si ad hanc vsque gyrationem in Ecclesia perseuerauerit, vnde ea facta mox multi abeundo præcipuam sacrificij partem deserere solebant.

TITVLVS X.

De oratione Dominica, & alijs vsq; ad factam Communionem.

1. CElebrans cooperto Calice, adoratoque Sacramento erigit se; & manibus extensis hinc inde super Altare intra Corporale positis, dicit intelligibili voce:

Per omnia sæcula sæculorum. M. *Amen.*

Deinde iungens manus, caputque Sacramento inclinans dicit:

Oremus. Præceptis salutaribus moniti, & diuina institutione formati audemus dicere. extendit manus, & stans oculis ad Sacramentum intentis prosequitur.

Pater noster, qui es in cælis: sanctificetur nomen tuum: adueniat regnum tuum. Fiat voluntas tua, sicut in cœlo, & in terra. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Et dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Et ne nos inducas in tentationem.

Responso à Ministro, *Sed libera nos à malo*, & à Celebrante submissa voce, *Amen*, manu dextra, pollice & indice non disiunctis, Patenam aliquantulum:

tulum purificatorio extergens, eam accipit inter indicem & medium digitos; quam tenens super Altare erectam, sinistra super Corporale posita, dicit secretò.

2. *Libera nos, quæsumus Domine, ab omnibus malis, præteritis, præsentibus, & futuris: & intercedente beatâ & gloriosâ semper virgine Dei genitrice Mariâ, cum beatis Apostolis tuis, Petro & Paulo, atque Andrea, & omnibus sanctis* eleuat manu dextra Patenam de Altari, & seipsum cum ea signat signo crucis, dicens: *Da propitius pacem in diebus nostris.* deinde patenam osculatur, & prosequens, *vt ope misericordiæ tuæ adiuti, & à peccato simus semper liberi, & ab omni perturbatione securi.*

Submittit Patenam Hostiæ, quam indice sinistro accommodat supra Patenam, discooperit Calicem, & genuflexus Sacramentum adorat; tum se erigens, accipit Hostiam inter pollicem & indicem dextræ manus, & cum illis, ac pollice & indice sinistræ manus eam super Calicem tenens, reuerenter frangit per medium, dicens.

Per eundem Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, & mediam partem, quam inter pollicem & indicem dextræ manus tenet, ponit super Patenam; de alia media, quam sinistra manu tenet, frangit cum pollice & indice dextræ manus particulam prosequens, *Qui tecum viuit & regnat*: & eam inter ipsos dextræ manus pollicem & indicem retinens, partem maiorem, quam sinistra tenet, adiungit mediæ super Patenam positæ, interim dicens, *In vnitate Spiritus Sancti Deus*: & particulam Hostiæ, quam in dextra manu retinuit, tenens super Calicem, quem sinistra per nodum

dum infra cuppam retinet, intelligibili voce dicit, *Per omnia sæcula sæculorum*, Resp. *Amen.* & cum ipsa particula signans ter à labio ad labium Calicis, dicit,

Pax † Domini, sit † semper vobis † cum. Responso per ministrum, *Et cum Spiritu tuo*, particulam quam dextra manu tenet immittit in Calicem, dicens secretò, *Hæc commixtio, & consecratio Corporis & Sanguinis Domini nostri Iesu Christi, fiat accipientibus nobis in vitam æternam, Amen.*

Deinde pollices, & indices super Calicem aliquantulùm tergit & iungit, Calicem Palla cooperit, & genuflexus Sacramentum adorat, surgit, & stans iunctis manibus ante pectus, capite inclinato versus Sacramentum, dicit intelligibili voce.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, dextra percutiens sibi pectus, sinistra super Corporale posita, dicit, *miserere nobis.* Et deinde non iungit manus, sed secundò dicit,

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, iterum percutiens pectus, vt suprà, dum dicit, *miserere nobis.*

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, iterum percutit pectus dicens, *dona nobis pacem.*

3. Tunc manibus iunctis super Altare positis, oculisque ad Sacramentum intentis, inclinatus dicit secretò:

DOmine Iesu Christe, qui dixisti Apostolis tuis: pacem relinquo vobis, Pacem meam do vobis: ne respicias peccata mea, sed fidem Ecclesiæ tuæ; eamq; secundum voluntatem tuam

capi-

pacificare, & coadunare digneris. Qui viuis & regnas Deus, per omnia sæcula sæculorum, Amen.

Qui oratione finita, si est daturus pacem, osculatur Altare in medio, & instrumentum pacis ei porrectum à ministro iuxta ipsum ad dextram, hoc est, in cornu Epistolæ genuflexo, & dicit: *Pax tecum*, Minister respondet. *Et cum Spiritu tuo.* Si non adsit, qui huiusmodi instrumento pacem recipiat à Celebrante, pax non datur, etiam si illius datio Missæ conueniat: nec osculatur Altare, sed dicta præmissa oratione, statim subiungit sequentes orationes.

Domine Iesu Christe, fili Dei viui, qui ex voluntate patris, cooperante Spiritu Sancto, per mortem tuam mundum viuificasti: libera me per hoc sacrosanctum corpus, & sanguinem tuum, ab omnibus iniquitatibus meis & vniuersis malis: & fac me tuis semper inhærere mandatis, & à te numquam separari permittas. Qui cum eodem Deo Patre & Spiritu Sancto viuis, & regnas Deus in sæcula sæculorum. Amen.

Perceptio Corporis tui, Domine Iesu Christe, quod ego indignus sumere præsumo: non mihi proueniat in iudicium & condemnationem: sed pro tua pietate prosit mihi, ad tutamentum mentis & corporis, & ad medelam percipiendam. Qui viuis & regnas cum Deo Patre in vnitate Spiritus Sancti Deus, Per omnia sæcula sæculorum, Amen.

4. Si verò celebret pro Defunctis, non percutit pectus ad *Agnus Dei*, quia dicit, *dona eis requiem*, nec dicit primam orationem, *Domine,*

Iesu

Iesu Christe, qui dixisti Apostolis tuis, &c. non dat pacem, sed dicit alias duas sequentes orationes, *Domine Iesu Christe fili Dei viui. Perceptio corporis tui.*

Quibus orationibus dictis, genuflectens Sacramentum adorat, & se erigens dicit secretò,

Panem cœlestem accipiam, & nomen Domini inuocabo.

Quo dicto, dextra manu accipit de Patena reuerenter ambas partes Hostiæ, & collocat inter pollicem & indicem sinistræ manus, quibus Patenam inter eundem indicem & medium digitos supponit, & eadem manu sinistra tenens partes huiusmodi super Patenam inter Pectus & Calicē, parum inclinatus, dextra tribus vicibus percutit pectus suum, interim etiam tribus vicibus dicens voce aliquantulùm eleuata.

Domine, non sum dignus, & secretò prosequitur, *vt intres sub tectum meum: sed tantùm dic verbo, & sanabitur anima mea.*

Quibus tertiò dictis, ex sinistra accipit ambas partes prædictas Hostiæ, inter pollicem & indicem dextræ manus, & cum illa supra Patenam signat seipsum signo Crucis, ita tamen, vt Hostia non egrediatur limites Patenæ, dicens.

Corpus Domini nostri Iesu Christi custodiat animam meam in vitam æternam, Amen.

Et se inclinans, cubitis super Altare positis, reuerenter easdem ambas partes sumit: quibus sumptis, deponit Patenam super Corporale, & erigens se, iunctis indicibus & pollicibus, ambas quoque manus ante faciem iungit, & aliquantulùm quiescit in meditatione sanctissimi Sacramenti. Deinde depositis manibus dicit secretò.

Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit

tribuit mihi, & interim discooperit Calicem, genuflectit, surgit, accipit Patenam, inspicit Corporale, colligit fragmenta cum Patena, si quæ sint in eo, Patenam quoque diligenter cũ pollice & indice dextræ manus super Calicem extergit, & ipsos digitos, ne quid fragmentorum in eis remaneat.

5. Si verò adsint Hostiæ consecratæ super Corporale positæ pro alio tempore conseruandæ, facta prius genuflexione, reponit eas in vas ad hoc ordinatum, & diligenter aduertit, ne aliquod fragmentum, quantumcumque minimum, remaneat super Corporale: quod si fuerit, accuratè reponit in Calicem. Post extersionem Patenæ, iunctis pollicibus & indicibus Calicem dextra manu infra nodum cuppæ accipit, sinistra Patenam dicens:

Calicem salutaris accipiam, & nomen Domini inuocabo. Laudans inuocabo Dominum, & ab inimicis meis saluus ero. & signans se signo crucis cum Calice, dicit *Sanguis Domini nostri Iesu Christi custodiat animam meam in vitam æternam, Amen.* & manu sinistra supponens Patenam Calici, stans reuerenter sumit totum Sanguinem, cum particula in Calice posita. Quibus sumptis dicit secretò.

Quod ore sumpsimus Domine, pura mente capiamus: & de munere temporali fiat nobis remedium sempiternum.

Et super Altare porrigit Calicem ministro in Cornu Epistolæ, quo vinum fundente, se purificat: deinde vino & aqua abluit pollices & indices super Calicem, quos abstergit Purificatorio, interim dicens;

Corpus

Corpus tuum Domine, quod sumpsi; & Sanguis quem potaui, adhæreat visceribus meis: & præsta, vt in me non remaneat scelerum macula, quem pura & sancta refecerunt Sacramenta. Qui viuis & regnas in sæcula sæculorum, Amen.

Ablutionem sumit & extergit os & Calicem purificatorio: quo facto, purificatorium extendit super Calicem, & desuper Patenam, ac super Patenam paruam pallam, & plicato corporali, quod reponit in bursam, cooperit Calicem velo, & bursam desuper ponit, & collocas in medio Altaris, vt in principio Missæ.

6. Si qui sunt communicandi in Missa, Sacerdos post sumptionem Sanguinis antequam se purificet, facta genuflexione ponat particulas consecratas in pyxide, vel si pauci sint communicandi super Patenam, nisi à principio positæ fuerint in pyxide, seu alio Calice. Interim minister ante eos extendit linteum, seu velum album, & pro eis facit confessionem, dicens, *Confiteor Deo, &c.* Tum Sacerdos iterum genuflectit, & manibus iunctis vertens se ad populum in cornu Euangelij, dicit: *Misereatur vestri omnipotens Deus, & dimissis peccatis vestris perducat vos ad vitam æternam.* Resp. *Amen.*

Indulgentiam manu dextrâ facit signum Crucis super eos, dicens, *absolutionem & remissionem peccatorum vestrorum tribuat vobis omnipotens & misericors Dominus*, Resp. *Amen.*

Posteà genuflectens, accipit manu sinistra pyxidem seu Patenam cum Sacramento, dextra verò sumit vnam particulam, quam inter pollicem & indicem tenet aliquantulum eleuatam super

pyxi-

pyxidem seu Patenam, & conuersus ad communicandos in medio Altaris dicit:

Ecce agnus Dei, ecce, qui tollit peccata mundi:

Deinde dicit.

Domine non sum dignus, vt intres sub tectum meum, sed tantùm dic verbo, & sanabitur anima mea.

Quibus verbis tertiò repetitis, accedit ad eorum dextram, hoc est, ad latus Epistolæ, & vnicuique porrigit Sacramentum, faciens cum eo signum crucis super pyxidem, vel Patenam, & simul dicens. *Corpus Domini nostri Iesu Christi custodiat animam tuam in vitam æternam, Amen.*

Omnibus communicatis reuertitur ad Altare, nihil dicens: & non dat eis benedictionem, quia illam daturus est in fine Missæ. Si particulæ positæ erant super Corporale, extergit illud cum Patena, & si quæ in eo fuerint fragmenta, in Calicem immittit.

Deinde dicit secretò: *Quod ore sumpsimus Domine, &c.* & se purificat, dicens: *Corpus tuum Domine quod sumpsi*: & alia facit vt suprà. Minister autem dextra manu tenens vas cum vino & aqua, sinistra verò mappulam, aliquantò post Sacerdotem eis porrigit purificationem, & mappulam ad os abstergendum.

7. Si in Altari remaneant particulæ in Calice, seu in alio vase vsque ad finem Missæ, seruentur accuratissimè omnes genuflexiones, & alia quæ titulo de Missa Celebranda coram SS. Sacramento præscribuntur part. 4. tit. 4.

ANNOTATIONES.

Gauantus part. 2. tit. 10. n. 1. lit. p.

§. 1. Sicut ad *Oremus* caput inclinat, ita erigit illud statim cum dicit *Præceptis salutaribus, &c.* quod dicit manibus iunctis ante pectus, quas deinde extendit ad *Pater noster* vsque ad finem. §. 2. Ma-

§ 2. Malè quidam Sacerdotes dicunt etiam secretò, *sed libera nos à malo*, quod à ministro tantùm dici debet, cui deinde Sacerdos secretò subdit *Amen*, quo dicto & non priùs accipit patenam sub Corporali latentem *Gauantus loc. cit. litt.* r.

§. 3. Dicto à Sacerdote *Amen* & non priùs, manu dextrâ tantùm, non vero sinistrâ adhibitâ, patenam aliquantulum purificatorio, nimirum extremitate illius, quæ est versus candelabra Altaris extergens, eam accipit inter indicem & medium digitos.

§. 4. Celebrans Patenam eleuatam tenet, ita tamen vt tangat mappam altaris extra Corporale, & manus dextera illius non adhæreat mappæ, sed sit eleuata desuper patenam. *Gauantus Part 2 Tit. 10. n. 2. litt. d.*

§. 5. Sacerdos se signat Patenâ dum dicit *cum beatis Apostolis tuis &c.* sed dum eâdem se signat, caueat, ne ponat eam super caput, vel oculos eâdem attingat, sed signat se tantùm signo crucis integro de fronte ad pectus.

§. 6. Ad illa verba *Da propitius pacem*, Sacerdos osculatur Patenam in ea parte interiori, in qua crux formata est; quam osculatam non vt quidam iterum extergit sed prosequens *vt ope misericordiæ tuæ &c.* submittit Patenam Hostiæ.

§. 7. Hostiæ pars superior ponenda videtur paululùm extra orbem concauum Patenæ versus oram superiorem, ita vt commodiùs à Celebrante accipi possit.

§. 8. Fractionem Hostiæ incipit Sacerdos à superiori parte illius, sicut signum Crucis incipit fieri ab eadem parte superiori. Praxis autem faciliùs frangendæ Hostiæ est, & maximè si maior sit: Vt à tergo imprimatur linea leniter indice sinistro ab imo ad summum, secundum quam iam facta debilior cedat faciliùs, & frangatur: alioqui sæpe periculum est, cùm sunt hostiæ firmiores, ne particula aliqua excutiatur, vel minùs decenter frangatur. Vel certè suâ vtatur praxi, qui nouit meliorem. *Gauantus loco citato litt. x, & y.*

§. 9. Particula Hostiæ, quæ immittitur in Calicem, præcidenda est à parte inferiori dimidiatæ iam Hostiæ, idque ex Ordine Romano.

§. 10. Videtur decentiùs, vt Celebrans non excutiat digitos super Calicem, nisi priùs dixerit totam orationem, *hæc commixtio, &c.* quibus excussis, Calicem tegit, & genuflectit.

§. 11. Cruces super Calicem cũ particula Hostiæ fiunt à labio ad labium Calicis sine tactu illius.

§. 12.

§. 12. Dicendo primum *Agnus Dei, &c*, non stat manibus iunctis super Altare positis, quemadmodum multi faciunt, sed secundum Rubricam, *stans iunctis manibus ante pectus, capite inclinato dicit intelligibili voco, Agnus Dei &c.* quod item bene obseruandum, dum dicitur *Sanctus, & Munda cor meum, &c.*

§. 13. Sacerdos stans iunctis manibus ante pectus capite inclinato versus Sacramentum corpore verò erecto dicit *Agnus Dei qui tollis peccata mundi* seruat manus iunctas ante pectus, dum dicit *Miserere nobis*, dextrâ percutit pectus sinistrâ super Corporale posita, corpore erecto manens, capite tantùm inclinato, & deinde non iungit manus, nec dextram ponit super Altare, quasi post tunsionem pectoris quiescens, sed tam tardè mouet dextram, vt hoc necessarium non sit, & continuè cum grauitate illam mouendo, secundò & tertiò percutit sibi pectus ad verba *Miserere nobis* & *Da nobis pacem.*

Gauantus Part. 2. Tit. 10. n. 8. lit. y.

§. 14. Non eodem modo Sacerdos dicit *Agnus Dei*, & Orationes tres sequentes, quia *Agnus Dei*, dicit corpore erecto, capite tantùm inclinato manibus iunctis ante pectus. Orationes autem sequentes dicit inclinatus secreto manibus super Altare positis, ergo dum dixit *dona nobis pacem* statim ad principium orationis sequentis corpus inclinat, manibus iunctis super Altare positis.

§. 15. In Missis defunctorum *Agnus Dei &c.* dicit tertiò iunctis manibus capite tantùm inclinato.

Cer. Episc. lib. 1. c. 24. Gauantus Part. 2. Tit. 10. n. 2. lit. f.

§. 16. Minister daturus alijs pacem indutus erit superpelliceo genuflectet ad dextram Celebrantis, & dictâ oratione *Domine Iesu Christe, qui dixisti, &c.* porrigit instrumentum pacis osculandum eidem Celebranti; tum factâ genuflexione accedit ad Prælatum, & alios, quibus idem instrumentum porrigit, dicendo *Pax tecum*, factâ tantùm reuerentiâ, post datam vnicuique pacem & non antè. Velum quoque adhibebit colori Missæ conueniens, quo qualibet vice terget illud, antequàm alter osculetur, si plures sint Prælati; aliàs verò non tergat. Neque danda est pax hoc loco cuicumque, sed personæ, seu personis tantùm valde insignibus, aliàs in Missa priuata semper omittitur.

§. 17. Dictis tribus orationibus ante communionem, priusquam accipiat sacræ Hostiæ particulas, genuflectit cum maxima humilitate & reuerentiâ, atque aduertit ne iungat ambas partes Hostiæ, ita vt vna tota

sit super

sit super aliam; sed qaantum fieri potest, illa quæ est à parte sinistra Celebrantis, sit tantillùm super aliam, adeo vt semper ambæ efficiant figuram rotundam.

§. 18. Sacerdos dicens *Domine non sum dignus &c.* non addat *Iesu Christe*, cubitum aut brachium sinistrum non imponat Altari non leuet Hostiam in altum, nec ad latus, vt à populo videatur, nō genuflectat, nec vllo modo pedem incuruet, neque contorqueat corpus, sed parum inclinatus stans reliquo corpore erectus, tenens Hostiam non altè nec demissè, sed medio modo scilicet inter pectus & calicem tribus posterioribus digitis sinistræ manus dispositis sub Patena. Nec percutiat pectus duobus iunctis digitis, sed tribus liberis tantùm. Dicto tertiò *Domine non sum dignus, &c.* non dicat: *In manus tuas Domine commendo Spiritum meum*, aut alias orationes in Missali non præscriptas.

§. 19. Dum Sacerdos signat seipsum Hostiâ consecratâ, non debet mouere Patenam, sed Hostiam tantùm, ita tamen vt non egrediatur limites Patenæ, ne fragmenta cadant extra illam. Item cubitos super Altare ponat in sumptione, sicut in consecratione, vt initio solido respondeat finis Sacrificij, qui fit in consumptione; item vt intra aram fiat & consecratio, & consumptio Sacrificij; quod plenè præstatur eo cubitorum situ

Gauantus Part. 2. Tit. 10. n. 4. lit. r.

§. 20. Post sumptionem sacræ Hostiæ statim manus ita iungendæ, vt summitas digitorum nares attingat.

§. 21. Species non sunt retinendæ in ore tam diu donec penitùs pereant, quia tunc non manducaretur Christus, nec gratia Sacramenti conferretur; quia Eucharistia non producit effectum antequam deglutiantur.

Bonac. tom. 1. fol. 97. n. 1. & seq.

§. 22. In sumptione tam sacræ Hostiæ, quam sanguinis caueat ne pedem aut genua quouis modo incuruet, neque cimbalum pulsari permittat.

§. 23. Discooperto Calice priùs genuflectat quàm fragmenta colligat. Si fragmentum aliquod quamuis minimum firmiùs adhæreat digito, ita vt difficile amoueri possit, digito alio abstergat digitum illum in Calicis labium vnde sumpturus est sanguinem, diligenterque inspiciat oram Patenæ, ne minimum fragmentum ipsi adhæreat.

§. 24. Contingit aliquando quod fragmenta ex ipsa Hostia tractatu decidant in patenam, hæc priùs in Calicem mittantur, antequam cum Patena colligantur

frag-

fragmenta ex Corporali ne ex motu Patenæ vento excitato fragmenta dissipentur & amittantur, dum incerta ex Corporali colliguntur.

§. 25. Patenam cùm Sacerdos extergit à fragmentis non eam super Calicem inuertere debet, sed quasi erectam tenere, atque eandem abstergere pulpa indicis, non omnino remoto pollice, sed in primo articulo ipsius iudicis posito, vel si malit pulpa pollicis abstergere, ponit extremitatem indicis in primo articulo eiusdem pollicis.

Gauantus oco cit. n. 5. litt. u. l

§. 26. Signans se Sacerdos cum Calice, quando sumpturus est sanguinem dextrâ manu tantùm Calicem moueat, sinistrâ Patenam tenens, quam non supponit Calici, nisi tunc, quando sanguinem sumit.

Gauantus Part. 2. Tit. 10. n. 5. lit. u.

§. 27. Dum Rubrica dicit. *Accipit Calicem infra nodum cuppæ*, non significat aliud diuersum ab eo quod suprà aliis verbis dicitur, *Tenens nodum infra cuppam* Sensus enim est, *accipiens nodum cuppæ qui est infrà.* Neque maior est ratio cur diuersimodè capiatur Calix in prædictis casibus: imo ad sumendum calicem, tutiùs & commodiùs tenetur nodus calicis, minùs tutè tenetur calix inter nodum, & pedem illius.

Gauantus ibidem.

§ 28. Sanguinem Christi reuerenter sumere debet Sacerdos, non irreuerenter corpus aut caput nimium retrouertendo, Calice super faciem inuerso, nec nimis sæpe & indecorè post sumptionem Calicem lambendo, sufficit enim terori admouisse, quod est vsitatius, & ad reuerenter consumendam speciem aptius.

Nauar. in Manual. cap. 25. n. 23.

§. 29. Humor in Calice remanens post sumptionem sanguinis magna cum reuerentia tractandus est, quia ibi est sanguis D. N. Iesu Christi, & ideo purificatio facienda est cum solo vino, & summa cum reuerentia sumenda.

Gauantus Part. 2. Tit. 20. n 5. lit. x.

§. 30. Pro purificatione infundenda Sacerdos porrigit ministro Calicem super, non verò extra Altare, atque curare debet, vt tantùm vini per ministrum pro purificatione infundatur, quantum habuit de speciebus sanguinis, vel purificationem infusam bene circumagat, vt omnes partes in calice humidas attingat: quam sumendo, per eandem partem calicis, quâ sanguis Christi haustus est, Calicem bis ori admouere sufficit.

§. 31. Dum Sacerdos vino & aqua abluit pollices & indices super Calicem, non procedit ad cornu Epistolæ, sed manet in medio Altaris, solùm se vertit ad ministrum

nistrum fundentem vinum & aquam, tenendo Calicem super & non extra Altare.

§. 32. In absolutione digitorum vino & aquâ digitos abluit Sacerdos: nec potest quispiam abluere se aquâ tantùm sine vino nec vino tantùm sine aquâ, in consulto Summo Pontifice, non obstante contrariâ quorundam consuetudine, quam abusum esse constat, nam utrumque simul Rubrica præscribit. *Epitome Thesauri Sacr. Rituũ in annotat. huius loci.*

§. 33. Vtramque ablutionem sumit in medio Altaris, caue it autem, ne dum digitos purificatorio extergit, Corporale commaculet guttâ cadente è digitis. *Gauantus Part. 2. Tit. 19. n. 5. lit z.*

§. 34. Sacerdos habens palato affixas reliquias Hostiæ, potest nouam ablutionem sumere, vt huiusmodi reliquias traijciat, ratio est, quia magis decet reliquias traijcere per nouas & iteratas ablutiones, quàm digitum in os apponere, idem dicendum est, si aliqua particula adhæsit calici. Post Communionem non dicat: *O sacrum conuiuium*, neque *Benedic anima mea*, neque *Nunc dimittis, &c.* nec quicquam aliud ad Missam non pertinens, ex sua tantùm deuotione. *Bonac. de Sactam Eucha. disp. 4. quæst 6. punct 2. num. 12.* *Bonac loco citato.*

§. 35. Si Sacerdos post sumptam ablutionem, aut post dictas orationes aliquam Hostiæ particulam reperit in patena, potest eam statim sumere; quia tota illa actio reputatur vnus actus, vna perfecta sacrificij consumptio, & vnum conuiuium. *Layman Theol moral. lib. 5. tract. 4 cap. 6 n 22*

§. 36. Indecens est post sumptam sacram Eucharistiam statim exspuere; Si verò quis catharri, aut alterius infirmitatis necessitate exspuere citiùs cogatur non quidem in terram exspuat vbi conculcetur: sed in parietem, angulum, aut sudariolum, vbi sine aliqua irreuerentia exsiccetur, habenda autem est ratio vtrum sputum ex capite descendat, an verò ex pectore, nam hoc plus periculi & irreuerentiæ continet. *Nauarr. in Mannal. cap. 25. num. 89.* *Layman Theol mor. lib 5 Tract. 4 cap. 6.*

§. 37. Antequam velo cooperiat Calicem, plicat Corporale, & reponit in Bursam; Calicem verò, dum plicat Corporale, collocat versus cornu Epistolæ. vt commodiùs accipiat Bursam, quæ est in cornu Euangelij *Gauantus Part. 2. Tit. 10. n 5 lit. h.*

§ 38. Velum velare debet totum calicem in anteriori parte, sicut in principio Missæ Caueant igitur qui sine velo, extra necessitatis casum, celebrare solent; id enim pugnat, & contra mysteria sacra, & contra rubricas, quæ eo vtendum clarissimè docent. *Gauantus loc. cit. lit c.*

ANNOTATIONES.

In Distributione sacræ Communionis obseruanda.

§ 1. Quilibet legitimè ordinatus & toleratus Sacerdos in Missâ per se celebrata quibuscumq; aliis sacram communionem dare potest, excepto die Paschatis, quo neque Regulares possunt. *Nauarrus in manuali cap. 21. n. 52.*

Bauantus Part. 2. Tit. 10. p. 6. lit. d.

§. 2. Regulariter facienda est communio populi, immediate; postquam Sacerdos sumpsit sanguinem: sed hodie quia plurimi exoptant finem Missæ, & eos tædet exspectare alios, vt communicent; præsertim si multi sint communicandi, differri solet communio vsque ad peractam Missam, quod tolerandum videtur, si multi communicent, sed non si pauci. Celebrans autem post sumptionem sanguinis, Calicem pallâ tegat antequam alios communicet.

§. 3. Locus communionis ita sit præparatus, vt quilibet communicans, dum corpus Christi de manu Sacerdotis accipit, commodè & decore genua flectere queat, atque mundissimus & integerrimus pannus lineus communicantium ori substernatur, qui absoluto diuino officio, à Sacerdote aut Diacono inspiciatur & perlustretur: nimirum vt hinc inde extremitatibus illius à duobus in altum eleuatis ex lateribus sinuetur, & circa longitudinis medium instar arcus demittatur, quo ad leuem concussionem, particulæ etiam minimæ, si quæ fuerint, in vnum coadunentur, & patenâ sacrâ excipiantur.

Bauantus ibid. lit. f.

§. 4. Sicut in Missa vno tantùm præsente, dicitur *Misereatur vestri*, ita etiam vni tantùm communicaturo, dici debet *vestri* & *vestrûm* quia verba *vestri* & *vestrûm*, cadunt etiam super alios præsentes communione spirituali communicaturos.

§. 5. Aperiens Ciborium seu pyxidem in qua continentur sacræ hostiæ, eiusdem operculum non est collocandum in tabernaculum, sed ad latus dextrum Altaris extra tamen Corporale.

§. 6. Vasculum (quod debet esse ex eadem materia, vt calix) in quo sunt Hostiæ consecratæ, capi debet à Sacerdote, iunctis pollice & indice manus sinistræ; quod si tota manu, apertis & in pugnam reductis digitis (quod vtiùs multò in magna præsertim communi-

cen-

cantium multitudine, & si vasculum Eucharistiæ maiusculum sit, videtur) capere malit, dictos duos digitos priùs in Calicem abluat, & Purificatorio abstergat.

§. 7. Consultum est Sacerdoti distribuenti populo communionem; tenere sinistrâ purificatorium cum pyxide, vt cùm opus fuerit, digitos exsiccet fortè madidos aliquorum linguæ vel oris contactu, ne Hostiæ mâdefiant, & sequatur incongruum. Sed priùs quàm tergat, aduertat ne quæ adhæserint particulæ, quas honestè in pyxidem reijciat; ideoque expedire videtur, vt Sacerdos Sacramentum hoc multis administrans, vbi semel in orbem ierit ad Altare reuersus, digitos supra Calicem purificet, eumque peractâ communione mundet.

§. 8. Dum Celebrans versus communicaturos dicit *Ecce Agnus Dei*, tenet particulam duobus digitis paululum eleuatam super Patenam, seu pyxidem, ita tamen vt dextra manus adhæreat Patenæ, seu pyxidi, neque nimiùm eleuetur particula super pyxidem, dum vero alios communicat tres digitos posteriores inflexos & intrà manum complicatos tenet. *Gauantus ibid. lit. g.*

§. 9. Verba hæc, *Domine non sum dignus* dicuntur à Sacerdote versus communicaturos, integrè, clarâ voce & semper in genere masculino. Quare ritus ille apud quasdam Moniales, quæ dicunt tacente Sacerdote, *Domine non sum digna* est contra Bullas Pij, & Pauli quinti Summorum Pontificum qui prohibent mutationem in Missali & Rituali Romano in quo expresse dici iubetur pro feminis quoque, *Domine non sum dignus*; neque cum SS. Sacramentum ori suscipientis impositum fuerit, præter Rubricam, suscipientem manu suâ, quâ Sacramentum porrexerat, rursum signo Crucis consignet, dicens *Pax tecum*. *Rit Rom. tit de SS. Sacra. Euchar. Gauantus Part. 2. Tit. 10. n. 6 lit. k*

§. 10. In distribuenda communione hic ordo seruandus, vt primò, si Sacerdotibus (qui habere debent stolam de collo pendèntem) vel alijs ex Clero danda fit communio, ijs ad gradus Altaris prebeatur, vel si commodè fieri potest, intra sepimentum Altaris, vt à laicis sint distincti; Posteà distribuatur laicis. *Rit Rom. tit de Sacram Eucharistia.*

§. 11. Hostia maior ex monstrantia non dividenda populo communicaturo: sed à solo Sacerdote sacrum proximè faciente post calicis sumptionem consumenda; quia rudiores rotundam potiùs volunt particulam, alioquin facilè patiuntur scandalum. *Gauantus ibidem.*

Diana part. 2. tract. 14. resol. 41. & part. 3. tract. 4. resol. 34. Bonacina de Sacram. Eucharist. disp. 4 q. 5. punct. 3. n. 14.

§. 12. Deficientibus paruis hostijs, aut non consecratis, Sacerdos secundum plurimorum sententiam ratione deuotionis alicuius sumendæ Eucharistiæ potest præbere partem hostiæ magnæ. Ratio est, quia sacerdos sic faciens vtilitati fidelium consulit, nec vllam iniuriam facit Sacramento, cùm in singulis particulis, quamuis exiguis, Christus contineatur.

§. 13. Aduertat Sacerdos, ne minister festinet nimiùm, in danda eis ablutione qui vix sacram Hostiam sumpserint. Tres minimùm, intercalares sint à communicante, & sumente ablutionem, vbi continua fit distributio.

§. 14. Distribuens populo Communionem, alio iam celebrante in eodem Altari, aut proximè consecrationem, & eleuationem faciente, tantisper subsistat, donec is eleuationem fecerit, idque non genuflexus; sed erectus tenens Ciborium in manibus; aliquà tamen capitis pronioris submissione, dum is eleuat consecrata, deinde pergat distribuere.

§. 15. Cùm distributâ populo Communione, redit ad Altare, in quo iam alius Sacerdos cœpit Sacrum facere, abstineat à benedicendo populo. Nisi fortè in Altari separato reponat SS. Sacramentum, & in decursu distributionis, dum alius cœpit Celebrare, voce fractâ pronunciet quæ dicit: ne Celebrantem interpellet.

Rit Rom. De Sacram. Euchar.

§ 16. Quod si contingat absolutâ Missâ, statim aliquos interdum communicare, tunc Sacerdos adhuc planetâ indutus, Sacram Communionem eo modo, quo suprà dictum est, ministrabit.

Rit Rom. De Sacram. Euchar.

§ 17. Distributâ communione, antequam reponat Sanctissimum Sacramentum: Sacerdos diligenter aduertat, vt si aliquod fragmentum digitis adhæserit, illud in Pyxidem deponat, & eosdem digitos quibus tetigit Sanctissimum Sacramentum, abluat, & abstergat purificatorio, ablutionem vero sumat, si celebrauerit, si secus ijs qui tunc communicarunt, sumendam tradat, aut saltem in Sacrarium inijciat.

§. 18. Ablutio, quam singulis post modicum interuallum à sumpto Domini corpore, offerri conuenit, ex Calice (vt hactenus multis in locis ob scandalum, scilicet & errorem in plebe vitandum, non recte est solitum) dari non debet, sed vel ex Cyatho argenteo, vel inaurato Calicis figuram neutiquam imitante, & ad hoc specialiter confecto: vel certè ex poculo vitreo, forma ab illis

ab illis, quibus in mensa vtimur nonnihil differente, & ad hunc solum vsum deputato.

§. 19. Minister qui ablutionem porrigit communicatis, altera manu linteum candidum, & paululum serico ornatum explicatum offerat, quo is, qui ablutionem sumpsit labia, & deinde minister poculum, ex ea parte qua communicans ablutionem hausit abstergere possit. Ne autem alijs nauseam excitet, cum tot ex eodem vase bibunt, sæpiùs abstergendum & sensim in orbem vertendum erit. Abstemijs autem, vt etiam febricitantibus & infirmis vini loco, aqua, si illam petant, offerri potest.

§. 20. Circa infirmos tamen notandum occurrit, illis ablutionem ex quocunque poculo domestico, ex quo vel homines bibere consueuerunt, vel æger commodè haurire potest, porrigi posse.

§. 21. In Missis defunctorum, non esset distribuenda Eucharistia: sed si distribuatur post sumptionem Sanguinis, nequaquam dari debet benedictio. *Gauantus loco citato litt. n.*

§. 22. Si in fundo Calicis, vnitæ vini species adhuc reperiantur post distributionem Eucharistiæ sumi poterunt ante vini infusionem in Calicem. *Gauantus ibidem.*

§. 23 Si in Altari remaneant particulæ vsque ad finem Missæ, genuflectat Sacerdos quoties accedit, vel recedit à medio, vel transit ante Sacramentum: & cùm dicit *Dominus vobiscum*, non vertit se ad populum in medio Altaris, sed paulò prope cornu Euangelij, ne terga vertat Sacramento: & in fine ibidem dabit benedictionem, non perficiens circulum. Calix quoque in hoc casu, non erit collocandus in medio Altaris, sed à latere Euangelij; nisi reposito Sacramento in locum suum post Missam. Denique dicens Euangelium S. Ioannis in fine Missæ, non signat Altare sed seipsum tantùm, si autem legit Euangelium ex Tabellâ Secretariâ, aut Missali, signat more solito. *Gauantus Part. 2 Tit. 10. n. 7. lit. p.*

§. 24. Quando accidit vt Pyxis sit purificanda intra Missam, eo casu purificabitur illa ante Calicis purificationem, collectis nimirum in eius fundo fragmentis omnibus diligentissimè cum indice dextræ manus, & cum eodem indice sumi poterunt, admoto eodem linguæ, vel ad labium Pyxidis fragmentis deductis, & ore eidem admoto, ita vt nullum remaneat fragmentum. Deinde infundi potest paululum vini, quo circumacto intra Pyxidem & tergente indice, tota pars interior abstergatur, quo hausto, exsiccabitur Pyxis interior vn- *Gauantus hoc loco.*

dequaque Purificatorio. Quamuis modus hic præscriptus purificandi Pyxidem à plurimis ita seruetur, sunt tamen aliqui qui malunt in Calice eam totam facere maximè cùm suda est aura, sed sciendum infusionem numquam posse purificari alio tempore quàm in Missa ante ablutionem.

§. 25. Regulariter nemini datur communio ante Missam à Sacerdote mox celebraturo, sed si fortè rationabili de causa danda est aliquibus ad Altare vbi est Tabernaculum, seruari debent ea suprà dicta, & facta communione, Sacerdos antequam incipiat Missam, debet benedictionem dare, quia est extra Missam, & qui fortè communicant, non audituri sunt ipsam Missam sequentem.

TITVLVS XI.

De Communione, & orationibus post Communionem dicendis.

1. CElebrante purificato, dum Calicem collocat in Altari, Liber Missalis defertur per ministrum ad cornu Epistolæ, & collocatur vt in Introitu. Ipse autem minister genuflectit iuxta cornu Euangelij, vt in principio Missæ. Deinde Celebrans stans iunctis manibus legit *Antiphonam*, quæ dicitur *Communio*.

BEata viscera Mariæ Virginis, quæ portauerunt Æterni Patris filium.

Quâ lectâ, iunctis item manibus ante pectus vadit ad medium Altaris, & eo osculato, vertitse ad populum à manu sinistra ad dextram, & dicit:

Dominus vobiscum.

Resp. *Et cum Spiritu tuo.*

& per eandem viam redit ad librum, dicit *Orationes post Communionem*; eisdem modo, numero, & ordine, vt suprà dictæ sunt Collectæ.

Post

Post Communio.

Oremus.

SVmptis, Domine, salutis nostræ subsidijs: da quæsumus, beatæ Mariæ semper Virginis patrocinijs nos vbiq; protegi; in cuius veneratione, hæc tuæ obtulimus maiestati. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum. Qui tecum viuit, & regnat, in vnitate Spiritus Sancti Deus: per omnia sæcula sæculorum. Resp. *Amen.*

Quibus finitis, claudit librum, & iungens manus ante pectus, reuertitur ad medium Altaris, vbi eo osculato vertit se ad populum, & dicit vt suprà.

Dominus vobiscum.

Resp. *Et cum Spiritu tuo.*

Quo dicto, stans iunctis manibus ante pectus versus populum, dicit, si dicendum est,

Ite Missa est

Resp. *Deo gratias.*

& per eandem viam reuertitur ad Altare. Si verò non sit dicendum, dicto, *Dominus vobiscum*, reuertitur eodem modo per eandem viam ad medium Altaris; stans versus ad illud iunctis ante pectus manibus dicit,

Benedicamus Domino.

In Missis autem Defunctorum eodem modo stans versus Altare dicit

Requiescant in pace. Resp. *Amen.*

2. In Quadragesima autem à Feria quarta Cinerum vsque ad Feriam quartam maioris Hebdomadæ, in feriali officio, postquam Celebrans dixit orationes post Communionem cum suis

solitis conclusionibus, antequam dicat *Dominus vobiscum*, stans in eodem loco ante librum dicit *Oremus Humiliate capite vestra Deo*; caput inclinans, & extensis manibus subiungit eadem vo *Orationem super populum*, ibidem posiram; Qu finita osculatur Altare, & vertens se ad populu dicit.

Dominus vobiscum:

Resp. *Et cum Spiritu tuo*.

& alia vt suprà.

ANNOTATIONES.

§. 1. Liber Missalis non est claudendus nisi in vlti ma oratione dictis illis verbis *Per omnia sæcula sæcu rum*, idcirco erraut quidam indecorè properantes li brum ante Conclusionem claudentes & illam in me dio Altaris dicentes; Cùm non conueniat complere verba Orationis alibi quam in cornu Epistolæ.

§. 2. In Missa priuata ipse Celebrans claudit librum manu dextra, quia eius est claudere cuius & aperire a peruit autem in Missa priuata initio librum Missalis i dem Sacerdos vt suprà dictum fuit.

Gauantus Part. 2. Tit. 6. n. 1. litt. f.

§. 3. Dum Minister Missale transfert ad aliud latus, non claudat illud, ne fortè amittat locum priùs desig natum, nec præsumat ipse vertere folia ad reperien dum eumdem, si fortè amiserit.

§. 4. In fine vltimarum Collectarum, Secretæ, & Post communionis nullus sine facultate Summi Pon tificis hanc clausulam addere potest. *Et famulos tuos N. Papam N. Antistitem N. Imperatorem aut Regem nostros vna cum populo ipsis commisso & nos ab omni aduersitate custodi pacem tuam & salutem nostris concede temporibus, & ab Ecclesia tua cunctam repelle nequitiam. Per Dominum.*

TITVLVS XII.

De benedictione in fine Missæ, & Euangelio S. Ioannis.

1. DIcto *Ite Missa est*, vel *Benedicamus Domi no*, vt

no, vt suprà. Celebrans ante medium Altaris stans iunctis manibus super eo, & capite inclinato, dicit secretò;

PLaceat tibi Sancta Trinitas, obsequium seruitutis meæ, & præsta: vt Sacrificium, quod oculis tuæ maiestatis indignus obtuli, tibi sit acceptabile, mihiq; & omnibus pro quibus illud obtuli sit, te miserante, propitiabile. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Quo dicto, extensis manibus hinc inde super Altare positis, ipsum in medio osculatur: tum erigens se, adhuc stans versus illud, eleuat ad cœlum oculos & manus, quas extendit, & iungit, caputque Cruci inclinans, dicit voce intelligibili,

Benedicat vos omnipotens Deus; & iunctis manibus, ac demissis ad terram oculis, vertens se ad populum à sinistro latere ad dextrum, extensâ manu dextrâ, iunctisque digitis, & manu sinistra infra pectus positâ, semel benedicit populo, dicens;

Pater, & Filius, † & Spiritus Sanctus.

Resp. *Amen.*

& circulum perficiens accedit ad cornu Euangelij, vbi dicto,

Dominus vobiscum;

Resp. *Et cum Spiritu tuo.*

pollice dextro signans primùm signo Crucis Altare seu librum in principio Euangelij, deinde frontem, os, & pectus, dicit, *Initium Sancti Euangelij secundum Ioannem*, vel, *sequentia Sancti Euangelij*, vt dictum est in Rubricis generalibus, & Resp. *Gloria tibi Domine*, iunctis manibus legit Euangelium, *In principio*, vel aliud vt conuenit.

Cum dicit, *Et verbum caro factum est.* genuflectit versus cornu Euangelij, & surgens prosequitur vt priùs:

EVANGELIVM.

IN principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt: & sine ipso factum est nihil. Quod factum est, in ipso vita erat; & vita erat lux hominum: & lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt. Fuit homo missus à Deo, cui nomen erat Ioannes. Hic venit in testimonium, vt testimonium perhiberet de lumine, vt omnes crederent per illum. Non erat ille lux: Sed vt testimonium perhiberet de lumine. Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. In mundo erat, & mundus per ipsum factus est, & mundus eum non cognouit. In propria venit, & sui eum non receperunt. Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his, qui credunt in nomine eius: qui non ex Sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt. Et verbum caro factum est, & habitauit in nobis: & vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à Patre, plenum gratiæ & veritatis.

Quo finito, minister stans à parte Epistolæ respondet, *Deo gratias.*

2. Si Celebrans in Altari vertit faciem ad populum, non vertit se, sed stans vt erat, benedicit populo, vt suprà, in medio Altaris; deinde accedit ad cornu Euangelij, & dicit Euangelium S. Ioannis.

3. Sicc-

3. Si celebravit coram Summo Pontifice, Cardinale, & Legato Sedis Apostolicæ, vel Patriarcha, vel Archiepiscopo, & Episcopo in Prouincia, Ciuitate, vel Diœcesi sua existente, Celebrans dicto *Placeat tibi Sancta Trinitas*, dicit, *Benedicat vos omnipotens Deus*, & conuertens se ad Summum Pontificem genuflexus, ad Cardinalem verò & Legatum, vel alium ex supra dictis Prælatis, capite inclinato quasi licentiam benedicendi petens, prosequitur, *Pater, & Filius, † & Spiritus Sanctus* benedicens astantes à parte vbi non adest Pontifex, Cardinalis, Legatus, aut Prælatus prædicti. Si autem celebrauit coram Patriarcha, Archiepiscopo, & Episcopo extra eorum prouinciam, Ciuitatem, vel Diœcesim constitutis, eis absque alio respectu, vt cæteris qui interfunt, more consueto benedicit.

4. Si autem celebrauit pro defunctis, dicto *Placeat tibi Sancta Trinitas*, vt suprà, & osculato Altari accedit ad cornu Euangelij, & dicit Euangelium S. Ioannis, prætermissa benedictione, quæ in Missis Defunctorum non datur.

5. Finito Euangelio in fine Missæ, si celebrauit coram Summo Pontifice, Cardinale, & Legato Sedis Apostolicæ, vel Patriarcha, Archiepiscopo & Episcopo, conuertit se ad illum coram quo ex prædictis celebrauit, & facit reuerentiam conuenientem. Si non celebrauit coram aliquo prædictorum, huiusmodi reuerentiam prætermittit.

6. Quibus omnibus absolutis, extinguuntur per ministrum candelæ: interim Sacerdos accipit sinistra Calicem, dextram ponens super Bursam, ne aliquid cadat, descendit ante infimum gradum Altaris, & ibi in medio vertens se ad illud, caput inclinat (vel, si in eo est Tabernaculum Sanctissimi

mi Sacramenti, genuflectit) & factâ reuerent accipit biretum à ministro, caput cooperit, præcedente eodem ministro, eodem modo q venerat, redit ad Sacristiam, interim dicens Ant phonam *Trium puerorum*, & canticum *Benedicit* Si verò sit dimissurus paramenta apud Altare v celebrauit, finito Euangelio prædicto, ibidem lis se exuit, & dicit Antiphonã, *Trium puerorum* cum Cantico, & alijs orationibus, vt suo loco po nuntur.

7. Episcopus autem ter benedicit populo, et iam in Missis priuatis, vt in Cæremoniali hab tur.

ANNOTATIONES.

§. 1. Sacerdos celebrans sursum eleuat oculos, sub Sacrificio Missæ dum incipit. *Munda cor meum, Susci Sancte Pater* Offerens Hostiam *Offerimus tibi Domine*, dum offert Calicem. *Veni Sanctificator. Suscipe Sancta Trinit* Item ad præfationem dicens *Deo nostro*, incipiens Cano nem Missæ *Te igitur*, & ad ea verba, *Et eleuatis oculis*, di cens vsque *tibi gratias agens* exclusiuè, & in fine Missæ dicens *Benedicat vos omnipotens*, &c.

§. 2 Benedicturus populo non se vertat priùs, quàm dixerit *Benedicat vos omnipotens Deus*. & Cruci caput in clinauerit.

§. 3. Nemo qualiscumque Sacerdos celebrans, quan tumuis etiam Prælatus, nisi ius mitræ & baculi pasto ralis habeat & in Pontificalibus celebret, in fine Missæ tam priuatæ quàm solennis (præterquam in Missis De functorum, sub quarum fine nulla prorsus danda est benedictio) pluries quàm semel tantùm benedicat po pulo, vnicum producendo signum Crucis dicendo *Pa ter & Filius* † *& Spiritus Sanctus* ad differentiam Epi scopi qui ter benedicit populo tam in Missis priuati quàm solennibus.

§. 4. Quod si ante se, & à tergo circumstantes habeat Celebrans, puta Clerum in Choro, seu Moniales, & po pulum ante Altare, tamen semel tantùm benedicit, conuersus ad populum, intentione directâ ad omnes. Idem fiat quando Prælatus est in medio Capellæ, vt tan tùm astantes in latere Euangelij, actu benedicat, directâ intentione in alios.

Gauantus Part. 2. Tit. 12. n. 1. litt. y.

§. 5.

§. 5. Si libro non vtatur Sacerdos, neque folio in quo scriptum sit Euangelium S. Ioannis, signet Altare, quod si vtatur libro aut folio, signet in eo initium Euangelij, & eo casu (præsertim si est aliud Euangelium à communi) Minister deferat librum cum Cussino ad cornu Euangelij, dum Celebrans dicit *Placeat tibi* &c. In fine huius Euangelij, siue S. Ioannis, siue alterius, semper respondetur, *Deo gratias*. Nec osculatur Sacerdos hoc Euangelium quodcumque illud sit. Si vsus est libro clauditur dextrâ. *Gauantus part. 2 tit. 12. n. 1. lit. a.*

§. 6. Caueat Sacerdos, ne sub Missa in danda benedictione populo, loco formæ benedictionis à rubricis præscriptæ, videlicet *Benedicat vos omnipotens Deus* &c. vtatur alia simili forma veluti, *Benedictio Dei omnipotentis Patris, & Filij & Spiritus Sancti descendat super vos, & maneat semper, aut Cœlesti benedictione benedicat & custodiat vos omnipotens & misericors Deus Pater* &c vel alia simili.

§. 7. Ad illa verba *Et verbum caro factum est*, Sacerdos non versus Crucem (nisi SS. Sacramentum patenter sit expositum, tunc enim paulò versus SS. Sacramentum) genuflectit, sed versus cornu Euangelij. *Gauantus part. 4 tit. 8. n. 8.*

§. 8. Extinguuntur candelæ primo in cornu Euangelij, deinde in cornu Epistolæ, vt statim Minister possit Missale accipere cum bireto Sacerdotis, sed non debent extingui, nisi post finitum Euangelium. *Gauantus par. 2 tit. 12. n. 6. litt. f.*

§. 9. Celebrans nunquam ab Altari nisi Euangelio S. Ioannis plenè lecto recedere debet, neque dicto ipso Euangelio S. Ioannis, vel alio si dicendum fuerit, secundum suam, aut aliorum forsan particularem deuotionem benedicere debet populo dicendo *A subitanea & improuisa mala morte liberet nos Pater, Filius, & Spiritus Sanctus*: hoc enim præter rubricam fieri constat. *Epitome Sacr. Ritu in annotat. huius loci.*

§. 10. Caput apertum inclinat Sacerdos cùm descenderit in planum Capellæ, & coram tabernaculo Sacramenti genuflectit capite aperto. Quod declarauit Sac. Rit. Cong. 28 Aug. 1627.

§. 11. Si redeundo in Sacristiam, Celebrans obuium habeat alium Sacerdotem, Sacris indutum vestibus, sequatur viam suam à latere suo dextro, & ille alius similiter; sed seipsos consalutent capitis inclinatione.

§. 12. Vestibus se exuit ordine retrogrado, nimirum priùs casulam deponit, deinde stolam, tunc manipulum, exinde alia; & quæ à principio osculatus est, nunc eadem exuendo se, osculetur in medio, nempe *Gauantus part. 2. tit. 12. n. 6. lit. k.*

stolam, manipulum, & amictum. Neque omittat in Sacristia debitam reuerentiam facere imagini, vt initio.

§. 14. Post Missam, Canticum *Benedicite* & Psalm. *Laudate Dominum in Sanctis eius*, cum Antiphona (quæ duplicatur quando Antiphona *Ne reminiscaris* duplicatur) debent omnino à Sacerdote recitari, etiam in redeundo ad Sacristiam.

Gauantus loco citato.

§. 15 Lauat manus cùm se Sacris vestibus exuerit, non quod quidquam immundum ex ipso contactu Sacramenti contraxerit, sed vt potiùs suam commemoret indignitatem, qui se iudicat tantis Sacramentis celebrandis indignum: aqua autem eiusmodi ablutionis in locum mundum honestè diffundatur, vt altitudo Sacramenti reuerentiùs honoretur. ideoque laudandi Regulares, alijque, qui in Sacristia duo manutergia distincta habere solent: alterum ad abstergendas Sacerdotum manus ante Missam, alterum post Missam.

§ 16. Peracto Sacro-Sancto Missæ Sacrificio, non minor cura, quàm ad antecedentem Missæ præparationem requiretur, vt quisque in omni silentio acquiete actionum, locutionum sensuum, & cogitationum, sese contineat, & si per occupationes diu non potest, paulisper tamen, & per quartam minimùm, aut octauam saltem horæ partem, deuote secum meditetur, & intentâ cogitatione perpendat quis, quid egerit; & quâ fide, quâ deuotione, quo fine, quo fructu hoc ipsum peregerit: omneque imperfectum suum, omnem animi sui languorem, cæcitatem, vincula, ac colligationes vanitatis, malas ac inolitas consuetudines, peccandique pericula & necessitates, sibi ante oculos suos ponat, & cor suum omneque desiderium coram Deo effundat: eiusque adiutricem gratiam suppliciter imploret: & virtute ac feruore illius cibi, quo refectus & animatus est, tota voluntate animique contentione, vel vnum saltem defectum, in proximi Sacrificij diem expugnandum extirpandumque suscipiat. Vtque quotidie de virtute in virtutem progrediatur atque proficiat: quotidie ex vita ac passione Domini nostri Iesu Christi certam alicuius virtutis actionem, omnibus animi viribus imitandam atque exercendam capiat. Nam quod Sacerdotes multi quotidie aut frequenter sacrificent, pauci autem ex illis proficiant: & multi vani, omnique solidâ pietate vacui existant; non alia ar-

bitra-

bitratur esse causa, quàm quòd sine vllo timore ac deuotione tam Sanctum opus aggrediantur, & perfunctoriè atque ex quadam consuetudine aut necessitate, magis quam ex syncera & vera deuotione perficiant: & mox vnà cum Sacris vestibus omnem rei peractæ cogitationem deponant, omnemque internam, & externam pietatis formam exuant, totoque corde & animo ad fabulas, ad vana & otiosa effundantur. Quod sanè non facerent, si meditationi Sanctæ debito modò aliquamdiu intenti fuissent: & illustriorem in se quotidie custodiæ exterioris & interioris hominis debere esse disciplinam, quàm in laicis, quando in festo Paschæ corpus Domini accipiunt, sentirent.

TITVLVS XIII.

De his quæ omittuntur in Missa pro Defunctis.

1. IN Missa pro defunctis ante Confessionem non dicitur Psalmus, *Iudica me Deus*: sed pronuntiata Antiphona, *Introibo ad Altare Dei*, & responso à ministro, *Ad Deum qui lætificat*, &c. dicitur Vers. *Adiutorium nostrum*, & *Confessio*, cum reliquis vt supra.

2. Cùm celebrans ad Altare incipit *Introitum*, non signat se, sed manu dextra extensa, facit signum crucis super librum, quasi aliquem benedicens.

3. Non dicitur *Gloria Patri*, sed post Psalmum repetitur, *Requiem æternam*, nec dicitur *Gloria in excelsis*, nec *Alleluia*, nec *Iube Domine benedicere*, nec *Dominus sit in corde meo*; nec osculatur librum in fine.

4. Non dicitur *Credo*, non benedicitur aqua in Calicem fundenda, dicitur tamen oratio, *Deus qui humanæ substantiæ, &c.*

5. Cùm lauat manus, in fine Psalmi. *Lauabo inter innocentes*, non dicitur, *Gloria Patri*.

6. Ad Agnus Dei non dicitur, *Miserere nobis* cuius loco dicitur, *dona eis requiem*, nec tertiò *dona nobis pacem*, cuius loco dicitur, *dona eis requiem sempiternam*, neque percutitur pectus.

7. Non dicitur prima Oratio ante Communionem, scilicet, *Domine Iesu Christe, qui dixisti Apostolis tuis* &c. nec datur pax.

8. In fine non dicitur *Ite missa est*, nec *Benedicamus Domino*, sed, *Requiescant in pace.*

9. Non datur benedictio, sed dicto *placeat*, & osculato Altari, dicitur vt supra, *In principio erat verbum* &c. alia omnia vt in alijs Missis.

ANNOTATIONES.

Carem. Epis. lib 2. cap. 11.

§. 1. Psalmi cum precibus dici solitis pro præparatione Sacerdotis ante Missam Defunctorum omitti quidem possunt, sicut prohibentur dici ab Episcopo ante Missam Defunctorum, non autem omitti debent oscula Crucis in Amictu, Manipulo, & stola induendis, quæ de re dubitauere quidam, eo quod prohibentur oscula rerum in Missa solemni.

Gauantus Part. 2. Tit. 13. n. 1. lit. p.

§. 2. Quando Celebrans incipit Introitum facit signum crucis quasi versus Defunctum, seu Defunctos, pro quibus celebrat: finistra vero super librum ponitur.

Gauantus ibid. lit. r.

§. 3. Minister non osculatur ampullas quas Celebranti porrigit.

Gauantus Part. 2. Tit. 10. n. 6. lit n. & tit. 12. n. 8. lit. u.

§. 4. *Requiem æternam dona eis* &c. in Missa dicitur in numero plurali quamuis pro vno celebretur.

§. 5. Si detur Communio intra Missam Defunctorum, quod tamen fieri non debet, nulla tamen datur benedictio.

§. 6. Dicitur in fine Missæ semper *Requiescant in pace* licet pro vno fiat officium Missæ.

§. 7. Canticum & Psalmus post Missam pro gratiarum actione dicuntur cum *Gloria Patri* vt aliàs.

Gauantus Part. 2. Tit. 18. n. 6.

§. 8. In die depositionis & anniuersario Summi Pontificis, & Episcopi dicitur prima Missa: quia, quæ raro adhibentur, pretiosa reputantur, neque quotidiana vilescunt consuetudine, & ideò Missa semel in anno constituta in commemoratione omnium Defunctorum dici iubetur in exequijs Summi Pontificis, & Episcoporum.

§. 9. Pro-

§. 9. Pro defuncto Cardinali eadem prima Missa dicenda est, mutatis orationibus. Rubrica quidem non præscribit, sed vsus ita declarauit Rubricam, quia sunt Episcopis maiores. Pro Diacono tamen Cardinali dicitur oratio *Inclina*, vt in Missali. *Gauantus Ibidem n. 7.*

§. 10. In die depositionis, tertio, septimo, trigesimo & Anniuersario dicitur secunda missa cum oratione propria pro defuncto Sacerdote. Neque refert in ea non fieri mentionem de die tertio, septimo, trigesimo, & Anniuersario, nam eadem oratio pro Papa dicitur in obitu & anniuersario eiusdem nulla factâ anniuersarij mentione. *Gauantus ibidem n. 11.*

§. 11. Pro laicis certæ sunt regulæ in Missali: In eorum obitu, die tertiò, septimo, & trigesimo dicitur secunda Missa, in Anniuersario verò tertia.

Extra prædictos dies, Missæ dicuntur, vt in quotidianis Defunctorum. Dies tertius, septimus, trigesimus & anniuersarius numerari debent à die obitus, seu depositionis, vt patet ex Collectis, in quibus fit mentio depositionis. sed S. Ambrosius *Serm.* 70. accepit depositionis vocabulum tam pro sepultura, quàm pro obitu, licet Ecclesia videatur distinguere inter obitum & depositionem: si contendis distingui numerabis hos dies à die sepulturæ, qua potiori iure subiacet defunctus Ecclesiasticæ curæ: vel sequere locorum consuetudinem, nisi Testatoris verba aliud sonent. *Missale de secunda Missa defunct.*

§. 12. In die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum, Sacrificia quæcunque debent applicari omnibus Defunctis ex intentione Ecclesiæ, & consequenter cessant eo die omnes aliæ obligationes diei annexæ pro particularibus Defunctis. *Direct. Rem. in annotat. 2. diei Nouemb.*

TITVLVS XIV.

De Missa priuata coram Prælato in loco suæ iurisdictionis.

1. SI Sacerdos coram Cardinale vbique gentium, aut alio Prælato in loco suæ iurisdictionis, id est, Patriarcha, Archiepiscopo, Episcopo, in prouincia, Ciuitate, vel diœcesi sua existente, item iuxta aliquos coram Abbate benedicto.

cto habente vsum Mitræ & baculi in Eccle tantùm sui Monasterij celebraturus sit; si iam ib Prælatus sit in Ecclesia ante medium Altaris, nu aliud loci situs impediat, aut cornu Epistolæ, ac cedit ad Altare.

Rubr. Miss. de ritu celebrandi Miss. tit. 3. de principio Missæ & confessione faciendam. 2. Et suprà part. 2. tit. 3. n. 2.

2. Factisque Altari, & Episcopo reuerentijs i est, genuflexione Tabernaculo SS. Sacramenti, d inclinatione profundâ, Prælato: Præparatoque deinde Calice in Altari, & aperto Missali descendit, sicut in alijs Missis, ante infimum gradum Altaris, ibique stans ad cornu Euangelij, exspectat signum incipiendi, aliquantulùm ad prælatum conuersus, quo dato, iterum inclinat se Prælato profundè, & conuersus ad Altare, incipit Missam more solito.

Rub. Miss. part. 2. tit. 3. n. 8.

3. In Confessione vbi dicitur *vobis fratres*, dicit *tibi Pater*, & similiter in fine, vbi dicit *vos fratres*, dicat, *te Patrem*, quod dicens Prælato profundè se inclinat.

Rub. loco cit. n. 10.

4. Dicto *Oremus*, ante orationem *Auferà nobis* &c. inclinat se profundè Prælato, accedit ad medium Altaris, ante infimum gradum, & ibi incipiens *aufer à nobis* secretò, vt moris est, ascendit ad altare & alia peragit, vt in alijs Missis.

Rub. part. 2. tit. 6. n. 2.

5. Finito Euangelio non osculatur librum, nec dicit *Per Euangelica dicta*, &c. Sed solus prælatus hæc peragit, Celebrante interim exspectante, si non dicatur *Credo*, donec hæc à Prælato peracta sint.

Rub. loco cit. tit. 10. n. 2.

6. Dicta prima oratione post *Agnus Dei* videlicet *Domine Iesu Christe qui dixisti* &c. osculatur Altare & ambabus manibus tenens pacis instrumentum, quod ei porrigitur à Ministro, illud osculatur, atque illud per ministrum ad Prælatum defertur osculandum.

Rub. part. 2. tit. 12. n. 3.

7. Antequam Celebrans det Benedictionem, dicto, *Benedicat vos Omnipotens Deus*, conuersus ad præla-

prælatum, eique profundè se inclinans, & quasi petens ab eo licentiam benedicendi, prosequitur, *Pater, & Filius, † & Spiritus Sanctus* benedicens tantùm assistentes à parte vbi non est Prælatus.

8. Post finem vltimi Euangelij, Celebrans ad Prælatum conuersus, adhuc stans in cornu Euangelij, facit illi profundam reuerentiam, & in Sacristiam redit. *Rub. part. 2. tit. 12. n. 6.*

9. Si celebrat coram Papa, accedens ad Altare ei genuflectit, & antequam incipiat Missam genuflexus, accipit ab eo benedictionem. Item genuflectit ad Confessionem dicens *Tibi Pater & te Pater*. Item antequam ascendat ad Altare post Confessionem. Item antequam populo benedicat in fine Missæ. Denique post vltimum Euangelium. Cætera peragit, vt in alijs Missis. *Rub. locis citatis.*

10. Si autem Sacerdos celebrat coram Prælatis extraneis, Missam dicit, ac si nulli adessent Prælati, imò ipsi Capellani Episcoporum extra eorum Diœcesim ab huiusmodi ritibus abstinere debent. Deferendus est tamen illis liber Euangeliorum, & pacis instrumentum osculandum, & in fine Missæ fit eis à Celebrante, & ministro reuerentia. Id etiam fieri debet Principibus, non tamen liber Euangeliorum illis est deferendus, nisi forte sint ex illustrissimis & potentissimis, ex tolerantia, vt supra, nunquam tamen fœminis.

TITVLVS XV.

De prima Missa noui Sacerdotis priuatim Celebranda.

1. SI Celebretur solemniter fiant omnia vt in capitibus sequentibus, de Missis solemnibus præscribetur, & Sacerdoti nouo semper assistat aliquis Sacerdos superpelliceo stolâque coloris con-

conuenientis indutus, & in ritibus Sacris versatus, qui illum iuuet, & semper, si fieri potest, Cæremoniarius.

2. Altare parabitur solito festiuius, & superet sex Candelæ possunt accendi, & paramenta eiusdem ex pulchrioribus, & Cæremoniarius, auratiu cum superpelliceo & stola semper assistet cum duobus saltem Clericis, quorum maior librum gestabit, alter verò ampullas à sinistris eius, & eos sequetur assistens aut Cæremoniarius, & posteà Celebrans cum Calice de more, nisi forte Calix iste, liber, & alia sint iam ad Altare præparata, quod in eo casu conuenit.

3. Ambo Clerici supra dicti genuflectent hinc inde à lateribus Altaris, modò in plano vsque ad Confessionem peractam, modò super infimum gradum, scilicet ab Introitu vsque ad finem Missæ, ambo etiam Celebranti respondebunt, quando opus erit, ambo ministrabunt ad lotionem & absterfionem manuum Celebrantis, minor infundendo aquam, alter ministrando manutergium (vel ille tantùm qui est in cornu Epistolæ vtrumque faciet) ambo cereos accendent ante elevationem, & eleuabunt Planetam ad vtram que eleuationem, ambo extendent pannum aut communicandos, si adsint, & ambo prout venerant redibunt in Sacristiam. Qui librum ad Altare detulit illum deferet ad cornu Euangelij, & iterum ad cornu Epistolæ, & ab Altari in Sacristiam, alter verò pulsabit campanulam, proindeque locus huius erit in cornu Epistolæ, illius verò ad Cornu Euangelij.

4. Cæremoniarius autem genuflectit ad dexteram Celebrantis dum facit Confessionem paulò post eum: deinde semper assistit ad librum, & se cum Celebrante semper inclinat, genuflectit, ac signat, quando opus est, quasi eum præcedens

in hu-

in huiusmodi actibus, modestè tamen & prudenter, non tamen quando extendit manus, benedicit populum, oblata, & alia facit similia: genuflectit etiam a verbis. *Qui pridie quam peteretur* vsque ad depositionem Calicis inclusiuè: item à verbis *Domine non sum dignus* vsque ad sumptionem Sanguinis inclusiuè, & ad benedictionem in fine Missæ, nisi sit Canonicus, qui honoris causa nouum Sacerdotem dirigat. In reliquis stat, vt dictum est.

5. Si facienda sit communio, fiat vt moris est, sed ipse Cæremoniarius à sinistris assistere potest, tenens Patenam sub mento communicantium, quod quidem ad dignitatem Episcopalem tantùm pertinet, sed ob periculum, & metum, noui Sacerdotis, in primitijs tantùm eiusdem, concedi solet.

ANNOTATIONES.

§. 1. Ordinati Sacerdotes, infra quadraginta dies ab ordinatione, iuxta antiquam consuetudinem, primitias suas celebrare debent. *Monitoria directio pro ordinandis edita Colonia. 1644.*

§. 2. Ne quisquam fortè à susceptione ordinis Sacerdotalis reiectus, ad confusionem apud suos euitandam, ministerium Sacerdotale, quod non accepit, sacrilegâ temeritate vsurpare attentet; Rectores Ecclesiarum nemini primitias celebrare permittant, antequam litteras susceptæ Sacerdotij exhibuerit.

§. 3. Quoniam Episcopus in fine ordinationum Sacerdotes omnes à se recenter ordinatos admonet, vt diligenter totius Missæ ordinem atque Hostiæ consecrationem, fractionem, & communionem ab alijs iam doctis Sacerdotibus discant, priusquam ad Celebrandam Missam accedant. Ideoque Sacerdos primitias Celebraturus attendat, vt pium, eruditum, & in Rubricis maximè versatum Sacerdotem pro instructore seligat: quia experientia docet, sæpe eos deligi Sacerdotes, qui magis egerent doceri, quam docere, cùm ipsimet in Cæremonijs ac ritibus, præsertim, Romanæ Ecclesiæ, parùm sint exercitati.

§. 4. Nullus Sacerdos primitias celebrare præsumere debet, nisi priùs generales ac speciales Rubricas, &

ritum Celebrandi Missam, tam priuatam, quàm so lemnem secundum præscriptum Missalis Romani di ligenter perlegerit, & in Sacris Missæ ritibus optim fuerit eruditus, atque ab aliquo Cæremoniarum & ri tuum Ecclesiæ Romanæ perito Sacerdote easdem Cæ remonias & ritus se perfectè didicisse Capitulo ve Decano, aut Pastori cui subest, testimonio sui instru ctoris debitè probauerit,

§. 5. Ipse verò Sacerdos, qui primùm sacrificaturus est, curabit non tantùm, vt in oculis hominum religio sus ac irreprehensibilis esse appareat, ac exterior homo cultu suo niteat, visibileque altare omnigeno resplen deat ornatu: sed præcipuè, vt omni virtute, quâ Sacer dotem Dei altissimi decet esse præditum, singulari quodam vigore adolescat; & per viuam Dominicæ passionis memoriam ac commemorationem, de inuisi bili cordis sui altari omnibusque animæ suæ visceri bus, viua Passionis Christi fides, admiratio, inuocatio, fiducia, prædicatio, gratiarum actio, tanquam thymia ma suauissimum, in conspectum Dei, pro sua totiusque mundi salute ascendat.

§. 6. Non probatur illa consuetudo quorundam locorum, in quibus noui Sacerdotes induunt se para mentis in domibus profanis, & inde procedunt sic pa rati processionaliter ad Ecclesiam cantando Hymnos & cantica. Decentiùs enim est paramenta Sacra acci pere in Sacristia, quàm in loco profano; vitari enim de bent omnino multæ actiones profanæ in his nimis fre quentes.

§. 7. De conuiuio, quod gratulationis ergò, eo die institui solet, nulla tangatur cura; nisi vt tantam lætitiæ causam nulla turpitudo minuat; Sacerdotalemque dignitatem nihil indecorum aut reprehensibile deho nestet. Nulla fiat profusio aut perditio sumptuũ; nullæ saltationes, choreæ, aliaue Ludicra admittantur; sed in timore Dei, decenter, honestè, frugaliter, magnâque cum grauitate, & dignitate ita peragantur omnia, vt ebrietas, crapula, & quæ hinc sequi solent offensiones & peccata, nullam inueniant se huc ingerendi occasio nem. Nec modo tempus matutinum paucosque dies qui præcesserunt; sed & pomeridianum, omnesque re liquos vitæ suæ dies, in omni pietate ac animi deuo tione, ita transigat; vt ab ea hora qua primùm omnipo tenti Deo sacrificabat, vultus eius nunquam in diuersa mutentur; ne ab incepta pietatis, grauitatis, ac digni-

tatis

tatis Sacerdotalis forma deficiens : sibi quandoque dissimilis esse inueniatur: sed quotidiana aut saltem frequenti sacrificij repetitione ac refectione, magis magisque in pietate omnique Sacerdotali virtute, crescat, augeatur, ac virili robore & constantia confirmetur: vt sacrificia quantò crebriùs facit, tanto sanctiora faciat. Quod fiet si animum tuum cont a vecordiam, ignorantiam, stupiditatem, inuerecundiam, pr - sumptionem & harum filias, quas frequentia, assiduitate, & vetustate suâ inducere consuetudo solet: red - uiuo spiritu quotidie innouet, & ceu nouus homo, r o- uusque Sacerdos, ac quasi nunc primùm sacrificaturus, nouo peccatorum odio, nouaque soli Deo seruiendi voluntate, alacritate, ac constantia reuiuiscat, & attentâ diuinæ maiestatis consideratione, nouâ erga Deum reuerentiâ, verecundiæque modestia Deo amabilis appareat : atque per viuam innouatamque passionis Christi recordationem, nouo amoris ac dilectionis ardore ignescat: erga susceptos denique suos, nouo charitatis ac commiserationis accendatur spiritu, quo causas ac personas, pro quibus sacrificandum est, in spiritus societate sibi approprians, & quasi in seipso, quæ aliorum sunt sentiens, iustâ ac dignâ discretione ponderet, easque pro meritis suis, in vnione passionis Christi, per sacrificium Deo Patri commendet. Ad quam innouat onem faciunt Psalmi & preces quæ in Romano Missali, & ex eo in alijs quibusdam libellis ad præparationem sacrificaturi Sacerdotis digestæ sunt. Ex quibus vt fructum illum capiant Sacerdotes: ad quem sunt ordinatæ: non satis esse putent si verbotenus illas raptim recitauerint : sed ita intendant in singulas sententias, adeoque in singula verba vt faciant ascensiones in corde suo, & de verbo in verbum, de sententia in sententiam, de versu in versum, Deo magis magisque appropinquent, eique in omnibus omni desiderio, affectu, & voluntate similiores fiant, magisque conformes.

TITVLVS XVI.

De Ministro Missæ priuatæ.

1. MInister deputatus ad inseruiendum Missæ pri-

priuatæ, quisquis ille sit, cessante omni impedimento ministrare debet alacriter in diuinam intentus maiestatem, & memor sit ad plusquam Angelicum se vocari ministerium, ideoque toto cordis affectu ad illud se comparet, vt fructum eius cum augmento gratiæ spiritualis consequi mereatur.

2. Hora designata accedit ad Ecclesiam, ibique aqua benedicta se aspergit, & orat, deinde vadit ad Sacristiam, vbi lauat manus dicens si velit, *Fiat Domine cor meum immaculatum, vt non confundar*, & si vacat, paululùm orat iterum genuflexus dicens Orationem, *Actiones nostras, &c.* aut aliam similem. Hic Acolytharus ordine, si fieri potest, insignitus esse debet, atque etiam superpelliceo indutus, ex præcepto Missalis, & capillis modestè complanatis. Si tamen nullus adesset Clericus, posset ex consuetudine aliquis vir, siue adolescens supplere vices & Missæ ministrare; nunquam verò fœmina, vt dictum est suprà, pag. 210. §. 16.

3. Sic indutus ampullas mundas vini, quod purum & album, si fieri potest, esse debet, & aquæ cum lance & manutergio defert ad Capellam, vel locum in quo Celebranda est Missa, eaque intra fenestellam in cornu Altaris paratam, vel super mensam, quæ dicitur Credentia, ponit, ibique tapetam Altaris decenter reuoluit versus partem posteriorem ipsius Altaris, vel potius amouet, quod videtur decentius; & puluerem desuper Altare excutit scopa aliqua ad id destinata; Parat etiam ibi alia ad Missam necessaria, videlicet tabellam Secretarum, Crucem in medio Altaris, duo Candelabra cum totidem cereis, & manutergium Sacerdotis. Parat etiam virgam cum candelula in eius summitate, ad accendendos & extinguendos cereos, & si qui sint communicandi

in Mis-

in Missa præsertim multi, parat hostiariam in qua tot sint hostiæ quot sufficiant, sicut & mappulam aut plures extendendas ante communicandos & aliam ad os purificandum, cum vasis pro eorum purificatione; ponit insuper Campanulam super Credentiam, nisi fortè vna specialis ibi appensa sit pro eleuatione SS. Sacramenti. Si tamen hæc omnia sacrista peregerit isto onere liberatus erit minister.

4. Item, si iam Sacerdos sit paratus ad capienda paramenta, cereos accendit, incipiens ab eo qui est à parte Epistolæ, sumens ignem ex lampade quæ ibidem, vel alibi ardeat, vel secum defert etiam ignem si necesse sit; non enim decet sumere ignem, de Altari aliquo, nisi aliter fieri non possit.

5. Deinde redit in Sacristiam vbi Celebrantem adiuuat à dextris eius, dum paramenta capit eo modo quo sequitur. Capit priùs vestem ipsius superiorem si habeat, & eam complicatam loco congruo deponit, non super mensam vbi sunt paramenta, nisi necessitate vrgente, inferiorem vestem etiam scopula emundat præcipue circa collaria. Si tamen Celebrans sit superpelliceo indutus, vt conuenit, ex Rubricis Missalis, hoc fieri non debet. Celebrans autem biretum suum non ponit super Calicem aut Missale, vt ea ratione Minister illud ab alijs possit dignoscere, alia enim via illud dignoscere potest.

6. Dum Celebrans lauat manus, ministrat ei aquam & manutergium, si opus sit, cum debitis reuerentijs: deinde daturus vestimenta Sacerdoti, cum adiuuat stans à sinistris eius, singula decenter accommodans.

7. Primò ergo ei amictum dat, quem circa humeros eius parùm replicat & reuoluit, si nimis circa humeros decidat, & aptat circa collaria, ita

vt vestium summitatem, hoc est collaria teg
Crucem verò, in medio Amictus, ita dispon
vt medium locum obtineat; nec ruga circa co
lum contrahatur.

8. Deinde ambabus manibus Albam accip
ens, Celebrantem collum submittentem eâ in
duit, & manu dextrâ eleuat primùm manica
dextram, posteà sinistrâ manicam sinistram, v
Sacerdos manus intra eas immittat, easque a
culis oblatis Sacerdos contrahit, si fortè longi
res aut laxiores sint.

9. Posteà cingulum à tergo porrigens, Alba
circum circa eleuat, ne nimis effluat: sed dece
ter vndequaque pendeat, & vestes contegat, i
liusque fimbrias à lateribus antè & retrò ita ap
tat, vel ad latitudinem digiti, vel circa super te
ram æqualiter fluat. Tum adæquat etiam plica
turas ipsius Albæ tam circa collum quàm circa
cingulum; & latera, ne inconcinnè appareant.
Tum manipulum ministrat, & chordulis, ad bra
chium sinistrum firmat infra cubitum non longè
à manu, ne cadat, aut Celebrantem impediat. Po
steà stolam ambabus manibus tenens osculandã
præbet Sacerdoti in Cruce, & eam circa collum
sic aptat, vt non longè a collo distet, nec tam alte
attollatur, vt à Planeta non tegatur, eamque
tergo cum vitta ligat, si sit consuetudo, quæ sati
probatur, ex communi vsu vrbis præsertim si sto
la sit latior, & ea Crux quæ est in stola, medio col
li respondeat.

10. Denique plicatâ posteriori parte planeta
super mensam in qua est, eleuataque ambabus
manibus vt caput Celebrantis submitti queat,
eam super collum & humeros eleganter accom
modat: Si autem planeta sit materiæ pretiosæ,
eam non plicare debet, sed in longum extensam
assumet, & ea sic Celebrantem induet.

11. Dein-

11. Deinde paululùm retrocedens, diligenter prospicit an cuncta sint rectè circa Celebrantem disposita, & si quod non sit rectè dispositum illud statim adaptat; si Celebrans Sudariolo indigeat, illud appendit cingulo eius à parte dextera intra planetam, ne appareat.

12. Biretum Celebranti porrigit, cum osculo illius tantùm, capit Missale, manus apponens angulis inferioribus ipsius, sinistram nimirum angulo libri qua parte aperitur, & ante pectus illud sustinēs, genuflectit imagini quæ est in Sacristia, modestè præcedens Celebrantem tribus aut quatuor passibus, oculis demissis, incessu graui, procedit ad Altare portans librū ante pectus eleuatū.

13. Si Sacristia sit post Altare maius, quantū fieri potest, egrediatur per portam Euangelij, & regrediatur post Missam per partem Epistolæ, si ad illud Altare Celebret. Si ad alia Altaria, seruet consuetudinem locorum quo ad exitum, & reditum Si item occurrat ei in via aliquis Sacerdos paratus, quisque sequatur viam suam a latere suo dextro, & si contingat eum transire ante maius Altare in quo sit Tabernaculum SS. Sacramenti, genuflectit post Sacerdotem eo loco tamen, vt eum statim præcedat; vbi verò est SS. Sacramentum expositum, vel eleuatur, vel est super Altare, accipit biretum Celebrantis & genuflectit, sed non surgit, quin Celebrans priùs surrexerit, cui tamen priùs biretum reddit. Si autem Altare ita situm sit, vt Celebrans ad medium illius accedere nō possit quin prius ante cornu Epistolæ transeat, aliquantulùm retrocedens, aditum illi transeunti præbet: & si ipse ante medium Altaris transit, genuflectit in ipso medio.

14. Cùm ad Altare peruenerit, minister ad dexteram Celebrantis sistit se, & stans ibidem accipit ab eo biretū dexterâ, cū osculo tātùm illius, illudq; a maiorē digitum sinistræ manus appen-

dit, & posteà genuflectit, licet Celebrans non genuflectat.

15. Aduertat vt semper genuflectat transiens ante medium Altaris, etiam si sit super illud sola Crux, cùm Sacri Ministri ipso digniores, in Missis solemni semper dum crucem transeunt genuflectere debeant.

Notandum etiam est quod licet minister in multis actibus transiens ante Crucem se inclinet tantùm profundè, nihilominus concurrens cum Celebrante Sacerdote genuflectentre, aut inclinante se profundè, ipse etiam semper genuflectere debet, vt accidit in primo accessu ad Altare, & in vltimo recessu: semper autem sine dubio genuflectit transiens ante Tabernaculum SS. Sacramenti, in quocumque Altari existenti.

16. Facta ergo genuflexione ascendit ad Altare per cornu epistolæ, ne sit collateralis Celebranti, librumque clausum super cussinum ibi paratum collocat, ita vt pars inferior libri Altare tangat, superior verò puluinari adhæreat, & ea pars, qua liber aperitur, sit versus medium Altaris.

17. Tum per idem cornu epistolæ descendens, biretum Celebrantis clauo appendit, vel alio loco congruo deponit, & nunquam super Altare, & posteà, si opus sit, Capellam claudit, nec sinat laicos intra illam consistere, si fieri potest, præsertim fœminas.

18. Deposito bireto redit ad Altare, & facta genuflexione in medio, accedit ad latus Euangelij, vbi genuflectit in plano aliquantulum post Celebrantem, & à sinistris eius, vel si sint plurium graduum ordines, ante infimum gradum suprem[i] o d nis, manibus iunctis, vsque ad Introitum Missæ.

19. Cùm Celebrans incipit Missam dicens: *In nomi-*

nomine Patris se signat cum eo, & respondet ei dum dicit. *Introibo, &c.* addens, *Ad Deum qui lætificat iuuentutem meam.* Similiter respondet ei ad Psalmum *Iudica me Deus*, eadem voce & tono, inclinans se ad versum, *Gloria Patri*, Ad versum *Adiutorium nostrum* se signat & respondet: *Qui fecit cœlum & terram* Dicto à Celebrante *Confiteor*, non respondet *Amen*, sed statim dicit *Misereatur tui*, conuersus ad Celebrantem dicens, *tibi Pater*, & *te Pater* conuertit se inclinatus ad Celebrantem, & dicens ter, *Meâ culpâ*, ter pectus suum percutit. Dicto à Celebrante *Misereatur vestri* adhuc inclinatus respondet *Amen*. Ad *Indulgentiam* se signans idem respondet, Inclinat se iterum dum Celebrans dicit *Deus tu conuersus*, ad quæ respondet vt in ordinario Missæ.

20. Cùm Celebrans dicens *Aufer à nobis* ascendit ad Altare, ipse genuflectit super infimum gradum Altaris, sic manens, non manibus iunctis, sed decenter pectori appositis, donec Euangelium dicatur, nisi necessitate cogente, ibique respondet ad *Kyrie*, ad *Dominus vobiscum*. Ad conclusionem Orationum. Et ad finem Epistolæ *Deo gratias*. Si autem nulli sint gradus ad Altare, sed tantùm bradella, seu suppedaneum genuflectit tantùm in plano. Ad versum *Gloria Patri*, in Introitu inclinat se versus Altare.

21. Quando Celebrans dicit *Flectamus genua*, ipse minister subdit *leuate* genuflexus, nec surgit ad orationem sequentem, & dum Celebrans vertit se ad populum dicturus *Dominus vobiscum*, aut *Orate fratres*, paululùm se inclinat. In fine cuiuslibet lectionis, seu Prophetiæ, vel Epistolæ, respondet, *Deo gratias* exceptis vltima prophetia Danielis sabbato quatuor temporum & lectionibus Feriæ 6. Paraſceues, & Sabbati Sancti, si diebus istis

miniſtret. Ad nomina *Ieſu, Mariæ*; & Sanctorum de quibus dicitur Miſſa aut fit commemoratio, inclinat cum Celebrante profundè vel profundiùs pro dignitate perſonarum.

22. Circa finem Gradualis, vel Sequentiæ aut Tractus, ſurgit, accedit ad cornu Epiſtolæ genuflectens in medio, ibique ambabus manibus accipit Miſſale, illudque cum cuſſino, defert cum debita genuflexione ad latus Euangelij per planum, quod ſemper ſi fieri poteſt obſeruare debet, & ita illud ſuper Altare collocat, vt ſuperior pars libri reſpiciat cornu Altaris, non verò partem ſiue partem eius contra ſe directam.

23. Poſteà directè per gradum anteriorem deſcendit in planum ad cornu Epiſtolæ, genuflectens in medio, & in dicto cornu ſtat in plano manibus iunctis, verſus Celebrantem, & reſpondens, ſe ſignans in fronte, ore, & pectore, ac genuflectens cum eo, quando opus eſt, verſus Altare. Item reſpondet *Et cum Spiritu tuo*, & *Gloria tibi Domine*, & in fine adhuc ſtans dicit *Laus tibi Chriſte*. Quod ſimiliter facit in fine paſſionis, quæ dicitur loco Euangelij, præterquam die paraſceues, finitoq; Euangelio genuflectit in eodem cornu Epiſtolæ.

24. Dum Celebrans incipit Symbolum, genuflexus, & manibus iunctis caput inclinat dum dicit *Et incarnatus eſt, &c.* & in fine ſe ſignat.

25. Si quis fortè communionem petit ad Altare vbi miniſtrat, neque in eo ſit Tabernaculum SS. Sacramenti, aut ante Sacrum paruæ hoſtiæ nõ fuerint paratæ, dum Celebrans legit Offertorium, miniſter antequam ampullas accipiat affert Hoſtias de Credentia in Hoſtiaria, & eas offert Celebranti, ſine eorum contactu ſecundum numerum communicandorum, quem eidem debet aſſignare, cum inclinatione debita, pro ipſius qualitate antè & pòſt.

Gauantus Part. 2 Tit. 6 lit. l.

26. Le-

26. Lecto Offertorio idem Minister surgit, & facta genuflexione, ascendit ad Altare, vbi velum Calicis à Celebrante depositum accipit, plicat, & prope tabellam secretorum versus cornu Epistolæ, ad posteriorem partem Altaris iuxta gradus vbi sunt candelabra, collocat extra Corporale, & non ante Crucem, quæ est in medio Altaris. Si tamen minister non possit plicare velum, vt suprà, Celebrans ipse id faciet. Tum facta genuflexione iterũ ad Credentiam vadit, & sumens ampullas, dextra scilicet pedem ampullæ vini, & sinistra pedem ampullæ aquæ, & ambabus manibus bacile, ampullis super illius extremitatibus positis, cauens ne decidant, ascendit ad Altare, per gradus Epistolæ, portans eas eleuatas, atque à se inuicem, & pectore aliquantulùm remotas, rostris ad se conuersis.

27. Sed antequam ascendat, si ministrat in Altari maiori, cùm ad infimum gradum peruenerit, ponit primò super illum pedem sinistram, retento dextro in plano, & genu dextro super eundem gradum reflexo, Tabernaculo reuerentiam facit, si adsit. Et statim ascendit ad secundum gradum, ac deposito bacili super cornu Epistolæ, ambas manus cũ ampullis æqualiter eleuatas super Altare ponit. Deinde offert Celebranti ad se venienti ampullam vini, quam priùs osculatur, illi se inclinans vel genuflectens pro qualitate personæ, & supponens lancem ijsdem ampullis, ne guttæ super Altare decidant. Tum ampullam aquæ mutat à sinistra ad dexteram, & recipiens ampullam vini à Celebrante sinistra cum quasi osculo illius & debitis reuerentijs, eidem ministrat dextra ampullam aquæ quam etiam priùs deosculatur, eamque retinet demissam aliquantulùm dum Celebrans benedicit aquam, quam statim attollit, & eidem Celebranti porrigit cum debitis reue-

rentijs, vt suprà, eamque postea recipit dexteram cum quasi osculo illius, & reuerentijs debitis. Offert autem, & recipit ampullas sine osculis manus Celebrantis, per pedem eas tenens vt Celebrans eas per aurem seu Manubrium capere possit.

28. Dum Celebrans offert Calicem, minister reportat tantùm ampullam vini ad Credentiam, ibique mantile accipit, & portat plicatum ad Altare, illudque super ipsum Altare ita aptat, vt Celebrans illud capere possit facilè, & tenens sinistra bacile, dextera verò ampullam aquæ per aurem, Celebrantique se inclinans, vt suprà, & ampullam quasi osculans fundit parum aquæ in peluim, deinde in medio bacilis super indices, & pollices Celebrantis, donec ipse det signum desinendi, eleuando parum manus ipsique ministrat non super Altare, sed extra illud, scilicet ante cornu anterius Altaris: brachium suum dextrum paululùm ab ipso producens, ne aquæ guttis maculet paramenta Altaris; bacile verò quasi ad cinguli altitudinem eleuat, & ampullam ad octo circiter pollicum mensuram super ipsum bacile attollit. Tum iterum se inclinat, & immissa in sacrarium aqua, vel in locum congruum, & nullo modo in pauimentum, sic vt nihil aquæ in pelui, remaneat, omniaque ad credentiam reportat, facta Celebranti debita reuerentia, ibique mantile plicat, sumptaque campanula, cito redit ad Altare ad cornu Epistolæ, vbi ponit campanulam propè se.

29. Si SS. Sacramentum sit expositum, non ascendit ad Altare, sed in plano consistens, ibidem ministrat Celebranti, sine osculis ampullæ, & manutergij ad lotionem & extersionem manuum eiusdem, populo terga vertens in plano, ibique tenet tunc manutergium super brachio sinistro, & illud eodem modo recipit, ac statim cum debitis reuerentijs reportat ad Credentiam, & cito redit, vt supra, ad cornu Epistolæ, vbi Celebranti dicenti

centi *Orate fratres*, genuflexus respondet *Suscipiat Dominus*, non tamen priùs, quin ipse Celebrans circulum perfecerit, & vltimum verbum scilicet *Omnipotentem* finierit, nec in fine dicit *Amen*, sed ipse Celebrans.

30. Ibidem genuflexus respondet ad Præfationem, inclinans caput ad *Deo nostro*, ad *Sanctus* non percutit pectus, sed ter, non tamen continuatè, pulsat campanulam, quod est decentius, duobus ictibus pro singulis ternis vicibus. Tum reponit eandem campanulam erectam in secundo gradu ad dexteram Celebrantis, cum quo se signat ad *Benedictus*. *Gauantus Part. 2. Tit. 3. n. 6. lit. h.*

31. Dum Celebrans dicit *Memento*, vel citius, si opus sit, surgit, capit virgam & in eius summitate aptat candelam, si iam ante Missam eam non aptauerit, eaque, sumpto lumine ex lampade, vel aliunde ex candelabro quod est in cornu Epistolæ, si aliter fieri non potest, (quod tamen non videtur conuenire) cereum qui est in candelabro maiore ad cornu Epistolæ, accendit pro eleuatione SS. Sacramenti. Sed in festis de præcepto, si sit consuetudo, cereos vtriusque candelabri, incipiendo à parte epistolæ, si tot sint, accendit, eosque accendendo sit versa facie semper ad Altare, si fieri potest, & hæc agendo Celebrantem quandoque obseruet an ad actum consecrationis peruenerit. Tum enim deposita virga etiam si cereum nondum accenderit, ad campanulam pulsandam accedit, nec extinguit cereum, aut cereos donec Celebrans pretiosum sanguinem sumpserit, & alios, si sint, communicauerit. Tum genuflectit super infimum gradum Altaris in cornu Epistolæ, vel supra bradellam post Celebrantem, si nulli sint gradus. Ad Consecrationem iungit manus, si potest & inclinat se profundè.

32. At cùm ipse Celebrans, facta consecratione Ho-

ne Hostiæ, surgit à genuflexione vt eleueret eandem Hostiam, sinistra manu minister capit posteriorem partem planetæ, in medio partis infimæ eamque eleuat tantillum ad Eleuationem Hostiæ, ne Celebrantem impediat, sine vllo osculo ipsius Planetæ, dextera verò ter campanulam eodem modo quo suprà pulsat. Primò dum genuflectit, deinde dum eam eleuat, & denique dum Celebrans eam deponit, adorãs deuotè *SS.* Sacramentum. Idemque præstat in eleuatione Calicis profundè se inclinans sicut ad Eleuationẽ hostiæ.

33. Si fortè fiat tunc Processio, aut si celebretur Missa solennis, aut aliquid aliud iuxta Altare vbi tunc Celebratur Missa, minister non pullet campanulam, deposita Hostia idem ministeret etiam Planetam deponit sine osculis, quod & facit post eleuationem Calicis.

34. Deinde statim cùm Celebrans surgit, etiam surgit & recedit ad priorem locum vbi genuflexus manet, iunctis manibus si velit, vlque ad sumptionem sanguinis, nisi danda sit pax, ibique campanulam prope se deponit, & respõdet quando opus est, & ad ea verba *Nobis quoq; peccatoribus, miserere nobis, dona nobis pacẽ*, post *Agnus Dei*, & *Domine non sum dignus*, percutit pectus, vti Celebrãs.

35. Si danda sit Pax, dicto à Celebrante *Agnus Dei*, accipit pacis instrumentum, & genuflexus ad dexteram Celebrantis, dum dicit Orationem *Domine Iesu Christe qui dixisti, &c.* tenet idem instrumentum eleuatum super Altare, quod, dicta oratione, osculandum ei præbet, cui dicente *Pax tecum*, ipse respondet, *Et cum Spiritu tuo*, adhuc genuflexus.

36. Tum si aliquis sit Prælatus, aut Princeps, vel etiam vir insignis, surgit & defert illi pacem. Non autem tenet, nec dat pacis instrumentum, nisi sint personæ aliquæ insignes, vt suprà.

37. Quan-

37. Quando facienda est Communio, postquam Celebrans sumpserit pretiosum sanguinem, & non priùs extendit linteum si anteà extensum non fuerit ante communicandos, vt in Rubricis, non illud quod extergendis manibus Celebrantis seruit, cùm id non deceat, & genuflexus manibus iunctis à latere Epistolæ dicit *Confiteor Deo*, &c. vt in Missa. Deinde communicaris vas vini & aquæ porrigit, cum altera mappula, vt se purificent.

38. *Si* non fiat Communio dum sumitur, sanguis à Celebrante surgit, & campanulam reportat ad Credentiam, & ibi accipit ampullas per manubria cum peluicula, & æqualiter eas eleuatas defert ad Altare cum ijsdem genuflexionibus, & in cornu Epistolæ deponit peluiculam super Altare, & primò extensa manu dextera ministrat vinum ex ampulla quam tenet per aurem, cum quasi osculis ampullæ, & reuerentijs debitis antè, & post, pro Celebrantis purificatione, vt suprà dictum est de offertorio, excepto quòd tenet hic ampullas per aurem, non per pedem. Tum rursus eodem modo ministrat pro digitorum ablutione, paululùm retrocedens, ex eadem ampulla vinum, eaque deposita super peluicula, vel super Altare, capit eadem dextera aliam ampullam aquæ, ex qua ministrat aquam. Infundit autem vinum & aquam paulatim in medio ipsius Calicis super pollices, & indices ipsius Celebrantis, sicut ad *lauabo*, nempè immota manu, & quo ad Celebrans, eleuatis paululum digitis, aut Calice det signum desinendi, & tunc verceolum retrahat incuruato adhuc ore, aut canaliculo ampullæ, sed priùs illam erigat, ne guttæ aliquæ super pedem Calicem aut mappæ decidãr. Deinde facta genuflexione, reponit ampullas cum peluicula super Credentiam, & eas suis operculis tegit.

39. Posteà defert Missale clausum cum cusi-

no eo modo quo suprà, ad cornu Epistolæ cum genuflexionibus, illudq; ibi repositum aperit in folio, in quo Celebrãs lecturus est communionẽ.

40. Deinde extinguit cereum vel cereos maiorem candelabrorum, & primo eum qui est à parte Euangelij, mox deponit loco congruo extinctorium, cauens ne cerei maneant fumigantes. Si tamen facienda sit communio post Missam non extinguit prædictos cereos, nisi post peractam communionem; mox redit ad cornu Euangelij, ibiq́ue genuflexus manet donec acceperit benedictionem, ad quam se signat, & respondet Celebranti ad ea quæ debet. In Quadragesima se inclinat etiam genuflexus ad orationem super populum, incipiens statim ac Celebrans incipit *Humiliate capita vestra Deo.*

41. Cùm legitur Euangelium, stat à latere Epistolæ, vbi se signat, & genuflectit cum Celebrante facie ad Altare versa, at quando non legitur Euangelium S. Ioannis (quod facilè aduertet minister ex libro, quem idcircò Celebrans relinquit apertum super Altare.) dicto *Ite Missa est*, sollicitè transfert librum ad cornu Euangelij cum solitis reuerentijs aduertens vt, si fieri potest, sit genuflexus in plano ante medium Altaris, quando Celebrans dat benedictionem, ad quam tunc non se signat.

42. Finito Euangelio, & non priùs, extinguit cereos Altaris cum instrumento incipiens à parte Euangelij, vel curat vt per alium extinguantur. Deinde ascendit per gradus collaterales Epistolæ, vt in principio, accipit Missale & biretum Celebrantis, quod nunquam superponit Altari, & vadit per planum propè medium Altaris ad dexteram Celebrantis, vbi facta debita genuflexione, & inclinatione Celebranti antè & post, porrigit illi biretum cum quasi osculo illius, tali modo, vt

Cele-

Celebrans illud capere, & capiti suo facilè imponere, atque aptare possit, Tum incedens ante illum, portansque librum, vt initio, redit eodem modo quo venerat ad Sacristiam.

43. Cùm ad Sacristiam peruenerit, sistit se, Celebranti se inclinat & expectat donec transeat. Tum procedens inclinat se imagini, quæ est in Sacristia, & iterum Celebranti à quo biretum accipit cum quasi osculo illius, illudque suo loco reponit, similiter & librum. Deinde redit ad sinistram Celebrantis, quem, dum se exuit, adiuuat hoc modo. Primò planetam eius accipit, admota manu intra eam, à parte posteriori, & extensam, non verò inuersam supra mensam collocat; Posteà stolæ ligamen soluit, si opus sit, eamque acceptam cum osculo prope crucem, etiam non inuersam super planetam extendit, & aptat, in medio Stolæ manipulum etiam cum osculo ponit eodem modo. Tum cingulum à tergo Celebrantis accipit, & duplicatum decenter superimponit, deinde Albam detrahit à brachio sinistro, & posteà à brachio dextro, quam statim aptabit, & ita recolliget, vt aliùs, commodè illam induat, & si opus sit, excutiet puluerem aliquantulùm circa eius fimbrias.

44. Deindè recepto à Sacerdote amictu, genuflexus, secundum morem quarundam Ecclesiarum, statim benedictionem à Celebrante petit dicens, *Benedicite Pater*, & prædictum amictum suo loco reponit. Si talis non sit consuetudo, Amictum recipiet, & super Albam extensum collocabit, chordulis, ne terram tangant, super eum eleuatis.

45. Si verò prædicta paramenta eo tempore quo Sacerdos exuit se, ita componere non possit, posteà ea adaptare non negligat, semper autem

cum solitis osculis, vt initio Missæ, à Celebrante ea recipiat.

40. His peractis, redit ad Altare, vbi Celebrata fuit Missa, & inde si necesse sit, ea quæ prius pro Celebrante attulerat, reportat, vel à Sacrista aut alio reportari curat, cussinumque ad latus Epistolæ transfert, si erat à parte Euangelij, tum superpelliceum deponit, & aliquantulum orationi vacat.

ANNOTATIONES.

§. 1. Non aliter quàm stans aut genuflectens ministrat, & si fortè aliquid desit, id requirat antequam Celebrans eo indigeat. Modesto, & moderato tono Celebranti respondeat Quietè semper & cum silentio omnia sua officia peragat, nec ab aliis edi strepitum patietur, maximè ab inchoato Canone, & multo magis à se ipso.

§. 2. Abstineat quantùm potest à nimia tussi & excreatione omnemque tumultum mendicantium, infantium, & canum clamorem compescat; prudenter tamen, ne vlli det offensæ occasionem, nec permittat laicis Capellæ ingressum, quantùm poterit.

§. 3. Nunquam relinquat Celebrantem solum ad Altare, & si exire cogatur substituat alium.

§. 4. Aduertat vt transiens ex vna parte Altaris ad aliam, non incedat per suppedaneum Altaris, vbi stat Celebrans, sed semper quantùm fieri potest, per planum, nec etiam in toto hoc ministerio tergavertat Crucivel Altari, quantùm possibile est.

§. 5. In hyeme, si opus sit, prunas Celebranti ministrat post lotionem manuum, antequam legatur communio, ac quoties Sacerdos innuerit, & si fortè ignitabulum super Altare deponit, laminam ferream, aut alterius materiæ illi supponat.

§. 6. Biretum tradit, & accipit cum osculo illius, & non manus, vel potiùs cum quasi osculo.

§. 7 Candelas, cùm opus fuerit, emungit, quas ad lampadem, si est iuxta Altare, accendit potiùs, quam ad Cereos Altaris, nisi aliud obstet.

§. 8. Similiter lumen ministrat Celebranti, si tempore, vel loco obscuro celebret. Præcipuè ad ea quæ rarò leguntur, videlicet ad Epistolam, Euangelium, Orationes, & alia id genus. §. 9. Trans-

§. 9. Transfert librum semper apertum ab vna parte ad alteram clausumque casu aperit iterum dum delatus est aperit, præterquàm in principio Missæ.

§. 10. Si facienda sit communio in fine Missæ, genuflectit à latere Epistolæ, & ea peragit suprà de communione præscripta. Factâ communione vasculum ad abluendos digitos præparatum semper Celebranti porrigit, deinde reddito ei bireto, ambo recedunt.

§. 11. Ne Clerici, aut scholares vel nuditate sua (quemadmodum in æstate passim semiuestitos pueros scholares, in hac Prouincia videre est) vel laceris aut immundis vestibus, sacrificio diuino aliquid decoris detrahant: vel longo superpelliceo induti sint, aut saltem honestè palliati.

§. 12. In moribus & pietate Clerici inseruitores, ita sint instituti, vt non solùm ipsi nihil faciant, quod offendere virum religiosum possit: sed & illos qui fortè irreligiosè astabunt, aut quidquam quod Christianam dedeceat pietatem agent: tanquam Angeli Dei altissimi sine vllo rubore, cum omni grauitate ac reuerentia sui officij admoneant, diligentissimè tamen cauentes, ne dum aliorum offensiones corrigunt, ipsi grauius offendant.

PARS TERTIA

RVBRICARVM,

Quæ defectibus in Celebratione occurrentibus remedia adhibet, titulis decem.

TITVLVS I.

De defectibus in Celebratione Missarum occurrentibus, in genere.

SAcerdos celebraturus, omnem adhibeat diligentiam, ne desit aliquid ex requisitis ad Sacramentum Eucharistiæ conficiendum. Potest autem defectus contingere ex parte materiæ cõsecrãdæ, & ex parte formæ adhibendæ, & ex parte ministri conficientis. Quidquid enim horum deficit, scilicet materia debita, forma cũ intentione, &

ne, & Ordo Sacerdotalis in conficiente, nõ conficitur Sacramentum. Et his existentibus, quibuscumq; alijs deficientibus, veritas adest Sacramenti. Alij verò sunt defectus, qui in Missæ Celebratione occurrentes, etsi veritatem Sacramenti non impediant, possunt tamen aut cum peccato, aut scandalo contingere.

ANNOTATIONES.

Hæc Rubrica optimè diuidit defectus in Missa occurrentes in substantiales & accidentales. Accidentales multi esse possunt, neque ad certum numerum reduci valent, substantiales in tribus contingunt, vel in materia, vel in forma, vel in intentione & potestate Ministri; Nam secundum omnium ferè Doctorum sententiam ad Sacramenai Corporis & Sanguinis Domini Iesu Christi, sicuti & omnium Sacramentorum confectionem, requiruntur essentialiter hæc tria, videlicet, Materia debita, forma quædam certa, & debitus Minister cum intentione; vno autem ex tribus deficiente, non conficitur Sacramentum; quia accedere debet verbum cum intentione ad elementum & fieri Sacramentum. Secundum illud apud omnes pervulgatum, S. Augustini testimonium.

S. Thomas 3. part. quæst. 60. art. 5. 6. & 7.

S. August. tract. 80. in Ioan.

TITVLVS II.

De defectibus materiæ.

DEfectus ex parte materiæ possunt contingere, si quid desit ex ijs, quæ ad ipsam requiruntur. Requiritur enim, vt sit panis triticeus, & vinum de vite: & vt huiusmodi materia consecranda, in actu consecrationis sit coram Sacerdote.

ANNOTATIONES.

Iuxta hanc Rubricam, alioſque Doctores; materia consecranda debet esse sacrificanti moraliter præsens, ideoque materia non consecratur, si non sit coram Sacerdote. sed à tergo, aut post interiectum parietem aut sub

S. Thomas in 4. dist. 11. q. 2. art. 1. Bonacina disp 4. q. 2. punct 6.

sub mappa, vel corporali latens, aut magno interuallo distans. Non tamen est necessarium, vt materia manibus teneatur aut sonus verborum ad eam perueniat, neque vt actu videatur; quia hostiæ in pixide clausa, in corporali tamen existente validè consecrantur, licet secundum Rubricas oporteat aperire pixidem in qua hostiæ consecrandæ sunt positæ, & cùm fit oblatio, & cum verba consecrationis proferuntur.

Ægidius Coninck q. 74. art. 2. dub. 1. Layman. theol. moral. lib 5 Tract. 4. cap 2. assert 7. VViggers de Sacram. q. 74 art. 2. dub. 2.

TITVLVS III.

De defectu panis.

1. SI panis non sit triticeus, vel si triticeus, admixtus sit granis alterius generis in tanta quantitate, vt non maneat panis triticeus, vel sit alioqui corruptus; non conficitur Sacramentum.

2. Si sit confectus de aqua rosacea, vel alterius distillationis, dubium est an conficiatur.

3. Si cœperit corrumpi, sed non sit corruptus, similiter si non sit azymus, secundum morem Ecclesiæ Latinæ conficitur, sed conficiens, grauiter peccat.

4 Si Celebrans ante consecrationem aduerterit Hostiam esse corruptam, aut non esse triticeam, remota illa Hostia, aliam ponat; & facta oblatione, saltem mente concepta, prosequatur ab eo loco, vbi desinit.

5. Si id aduerterit post Consecrationem, etiam post illius Hostiæ sumptionem, posita alia, faciat oblationem, vt suprà, & à consecratione incipiat, scilicet ab illis verbis, *Qui pridiè, quàm pateretur*, & illam priorem si non sumpsit, sumat post sumptionem Corporis & Sanguinis, vel alij sumendam tradat, vel alicubi reuerenter conseruet Si autem sumpserat, nihilominus sumat eam, quàm consecrauit: quia præceptum de perfectione Sa-

ne Sacramenti maioris est ponderis, quàm quo à ieiunis sumatur.

6. Quod si hoc contingat post sumptionem Sanguinis, apponi debet rursus nouus panis, & vinum cum aqua, & factâ priùs oblatione, vt supra, Sacerdos consecret, incipiendo ab illis verbis, *Qui pridie*, ac statim sumat vtrumque, & prosequatur Missam ne Sacramentum remaneat imperfectum, & vt debitus seruetur ordo.

7. Si Hostia consecrata dispareat, vel casu liquo vt vento, aut miraculo, vel ab aliquo animali accepta, & nequeat reperiri; tunc altera consecretur, ab eo loco incipiendo, *Qui pridiè, quàm pateretur*, facta eius priùs oblatione, vt suprà.

ANNOTATIONES.

§ 1. Panis debet esse triticeus, non tantùm ex necessitate præcepti, sed etiam ex necessitate Sacramenti, vt in alia materia facta consecratio irrita sit: ideoque panis qui conficitur ex leguminibus, vt pisis, fabis, lentibus, & alijs similibus non est idonea materia, ad consecrandum corpus Domini, sicut nec ille qui conficitur ex fructibus arborum, vt ex amygdalis, castaneis, glandibus neque etiam iste qui fit ex hordeo, oriza, milio, auena, aut panico, sed is solus qui conficitur ex puro tritico, quia non dubitatur quin Christus Dominus in pane triticeo hoc Sacramentum consecerit: deinde accedunt figuræ & vaticinia in pane triticeo fundata, aut sub eo præsignificantia hoc Sacramentum: qui panes propositionis, qui coram Domino in Altari seruabantur, & erant huius Sacramenti figuræ, debebant parari ex simila, quæ est flos albissimæ farinæ tritici, & Prophetæ sub nomine frumenti & tritici solent hoc Sacramentum prænuntiare. Accedit denique quòd triticeus panis sit conuenientissimus ad significandam huius Sacramenti efficaciam & virtutem, quia efficacissimè nutrit & reficit hominem.

S. Thomas 3. part q. 74. VViggers 3. Part. quæst. 74. art 3. Luyman. theol. moral. lib. 5. cap. 2. tract. 4. assert. 2.

§. 2. Panis confectus ex siligine harum regionum: est materia dubia Sacramenti Corporis Christi; & proinde in praxi nunquam in tali pane Sacramentum est conficiendum.

§. 3. Pa-

§. 3. Panis confectus ex amido, siue vt alij loquuntur, ex amylo non est quoque legitima seu apta materia huius Sacramenti, quia licet amylum ex tritico fiat, tamen triticum illud arte & longa in aquis maceratione soluitur in lacteum quendam humorem, & posteà vehementi calore solis aut ignis exsiccatur, sic vt perdat propriam rationem farinæ triticeæ, vt ex sapore, odore & alijs accidentibus facilè colligitur, & consequenter aptitudinem, vt ex illo panis triticeus fiat. *Bonac. disp. 4. quæst. 2. punct. 1. n. 7.*

§. 4. Panis triticeus debet esse coctus, per modum assationis, vt in furno, aut intra calidi ferrei laminas, aut simili modo: vnde cruda pasta, vel etiam frixa, aut elixa in aquis butyro, lacte, oleo, aqua rosacea vel simili non elementari, liquore subacta & tosta, non est conueniens materia huius Sacramenti: quia tales pastæ non sunt verè & propriè panis vsualis, sed aliud quoddam obsonij genus, quocumque nomine illud appelletur. *VViggers loco citato. Layman Theol. moral. lib. 5. tract. 4. cap. 2. assert. 3. Bonacina disp. 4 q 2. punct 1. n. 3*

§. 5 Quando materia est verè dubia, tum non licet eâ vti, sed potius à sacrificio est abstinendum, vnde cumque illud dubium nascitur, siue ex permixtione eorum quibus constat, siue ex corruptione. quia panis substantialiter corruptus non est apta materia ad validam consecrationem.

§. 6. Licet congruentior sit vsus Ecclesiæ latinæ consecrantis panes azymos: eo præcipuè quod Christus Dominus in azymo creditur consecrasse. non tamen id pertinet ad necessitatem Sacramenti: sed ex necessitate præcepti, quisque Sacerdos propriæ Ecclesiæ consuetudinem sequi debet: vt non solum Latinus peccet, si in fermentato consecret: sed etiam Græcus si in azymo: quamdiu intra terminos suæ Ecclesiæ commoratur: ideoque in fermentato nunquam licet apud Latinos consecrare, etiamsi vrgeat necessitas alicuius in periculo mortis. *S. Thomas 3a part. q. 74. art. 4. Layman lib. 5. Tract. 4 cap. 2. assert. 4. Bonacina disp. 4. quæst. 2. punct. 1. n. 9. Diuina part. 7. tract. 12. resol. 8. Cardinal. de Lugo de Sacram. Euch. disp. 4. sect. 1. n. 4.*

§. 7. Hostia rubea quâ litteras solemus sigillare admixta scilicet cinnabrio est materia dubia, & multorum iudicio inualida: quia per illam mixtionem alteratur notabiliter, & extrahitur à pane vsuali.

§. 8. Panis non debet esse notabiliter fractus, sed integer, magnitudinis decentis, bene rotundus, candidus, recens, à præsegminibus & micis adhærentibus accurratè expurgatus.

§. 9. Nomine hostiarum recentium tam maiorum ad Mis-

ad Missæ sacrificium, quam minorum ad populi communionem destinatarum non veniunt illæ intelligendæ, quæ toto anno in Sacristia asseruantur, vt quidam sentiunt, sed alternis saltem mensibus ex monasterij vicinis, seu locis vbi conficiuntur hostiæ recentes, & iam tunc paratæ, oblato pretio sunt comparandæ.

§. 10 Quando major hostia à Sacerdote haberi non potest, ex minoribus licet adhibere in Missa priuata & secreta, cum non inueniatur præceptum in contrarium, & quælibet parua quantitas, sensibilis possit esse materia huius Sacramenti, gratiusq; videtur esse Deo sic celebrare, quàm non celebrare, licet non sit festus dies, maximè si non sit periculum de scandalo, tunc enim id etiam vrgente causa publicè fieri nihil vetaret.

§ 11. Conveniret à Sacerdotibus Clericis, aut religiosis hostias in Missa vsurpandas confici, vt omnis error præsertim periculo admixtionis liquoris vel grani alterius obuiaretur, & cum maiore nitore & reuerentia tractarentur. Passim enim venales satis incurie tractantur & sordidè, quod est indecens in materia tanti tamque puri Sacrificij. præsertim cùm olim Sacerdotes legales, ad propositionis panes formandos, agros ipsi excolebant, seminabant, triturabant, molebant, pinsebant, Panes formabant & coquebant; eranteque de simila mundissimâ, quamuis in illis panibus sola erat figura. Heu modo aliquibus in locis panes sub quibus est veritas, id est corpus Domini nostri Iesu Christi videlicet post consecrationem pinsunt, formant, & coquunt negligentes mulieres, ex quo multi & graues committuntur errores. Vnde cùm Abbas quidam quadam die esset celebraturus Missam in quadam Ecclesia, & essent hostiæ nigerrimæ ait Campanario, de quo grano essent hostiæ illæ, respondente illo de auena, noluit celebrare valdè arguens illum; vnde vt hostiæ purissimè, sine vlla admixtione, nec non honestissimè fiant, hæc erunt singulariter obseruanda. Imprimis triticum, si fieri potest, magno studio granatim eligatur; electum in sacculo mundo & de bono panno ad hoc opus tantùm facto ponatur, atque à famulo boni studij ad molendinum deferatur. Quo delato, famulus aliud frumentum in ipso molendino moli priùs faciat, vt illud vnde hostiæ fieri debent sine aliqua sorde moli postea valeat. Reportatâ farinâ Clerici antequam incipiant manus lauent, ipsamque cribrent. Deinde unus super tabulam mundissimam ipsam

S. Thomas 3. part. q. 73. art. 1.

Bonacina disp 4. q. 2. punct. 5. n. 1.

Nouarinus lib. 5. de agno Eucharist. cap 68. & seq

ipsam farinam aquâ conspergat, & manibus fortiter compingat atque maceret, posteà in ferrum in quo coquuntur ponat & coquat aduertens vt imago Sacra Crucifixi, & non alia tam maioribus quam minoribus sit impressa; nec non vt nitidè, ac studiosè fiant, easque forcipibus ad id tantùm paratis, vel alio simili instrumento tondeat, obseruans præcipuè quod in Rubrica Missalis habetur, vt sint integræ & à fragmentis purgatæ.

§. 12. In conficiendis maioribus hostijs hoc maximè caueatur, ne tam magnæ fiant, vt vix ore Sacerdotis reuerenter consumi possint, sed tantæ, vt in eleuatione eiusdem inter digitos à populo commodissimè videri possint.

§. 13. Quando factâ oblatione Hostiæ, quocumque ex casu noua apponenda est Hostia, tunc oblatio istius Hostiæ saltem mente est concipienda, neque tunc necesse est, eam eleuare ante oculos super Patenam, neque facere cum ea, vel super eam signum Crucis, vt fecit in oblatione Hostiæ: sed eam simpliciter deponat super Corporale. *Gauantus Part. 3. Tit. 3. n. 4. lit. d.*

§ 14. Si Hostia transformetur in cruentam carnem, seu in Sanguinem apparentem non debet sumi ab eo, cui sic apparet. Nec propter hoc Sacerdos efficitur legis transgressor. Consulendum tamen esset Sacerdoti, vt iteratò corpus, & Sanguinem consecraret, & sumeret, & si perseueret in tali specie ponendum cum reliquijs, sed occultetur penitus iuxta traditionem Iuris, nec populo quomodolibet publicetur vel ostendatur ne seducetur, aut quæstuarius accursus causetur. *S. Thomas 3. parte q. 84. art. 1. & 4. sent. dist. 10. art. 4.*

TITVLVS IV.

De defectu vini.

1. SI vinum sit factum penitus acetum, vel penitus putridum, vel de vuis acerbis, seu non maturis expressum, vel ei admixtum tantùm aquæ, vt vinum sit corruptum, non conficitur Sacramentum.

2. Si vinum cœperit acescere, vel corrumpi, vel fuc-

vel fuerit aliquantum acre, vel mustum de vin
tunc expressum, vel non fuerit admixta aqua, ve
fuerit admixta aqua rosacea, seu alterius distilla-
tionis; conficitur *Sacramentum*, sed conficien
grauiter peccat.

3. *Si* celebrans ante consecrationem *Sangui-*
nis, quamuis post consecrationem corporis, ad-
uertat aut vinum, aut aquam, aut vtrumque non
esse in calice, debet statim apponere vinum cum
aqua, & facta oblatione vt suprà, consecrare, in-
cipiendo ab illis verbis, *Simili modo* &c.

4. *Si* post verba consecrationis aduertat vi-
num non fuisse positum, sed aquam; deposita a-
qua in aliquod vas, iterum vinum cum aqua po-
nat in *Calice*, & consecret, resumendo à verbis
prædictis, *Simili modo* & c.

5. *Si* hoc aduertat post sumptionem Corpo-
ris, vel huiusmodi aquæ, apponat aliam Hostiam
iterum consecrandam, & vinum cum aquain
Calice, offerat vtrumque, & consecret, & sumat;
quamuis non sit ieiunus. Vel, si *Missa* celebretur
in loco publico, vbi plures adsint, ad euitandum
scandalum poterit apponere vinum cum aqua,
& facta oblatione vt suprà, consecrare, ac statim
sumere, & prosequi cætera.

6. *Si* quis percipiat ante consecrationem, vel
post consecrationem, totum vinum esse acetum,
vel aliàs corruptum, idem seruetur quod suprà,
ac si deprehenderet non esse positum vinum, vel
solam aquam fuisse appositam in *Calice*.

7. *Si* autem Celebrans ante consecrationem
Calicis aduertat, non fuisse appositam aquam, sta-
tim ponit eam, & proferat verba consecrationis.
Si id aduertat post consecrationem Calicis, nul-
lo modo apponat, quia non est de necessitate Sa-
cramenti.

8. *Si* materia quæ esset apponenda, ratione
defe-

defectus vel panis, vel vini, non posset vllo modo haberi; si id fit ante consecrationem Corporis, vlterius procedi non debet: si post consecrationem Corporis, aut etiam vini, deprehenditur defectus alterius speciei, altera iam consecrata; tunc si nullo modo haberi possit, procedendum erit, & Missa absoluenda, ita tamen, vt prætermittantur verba & signa quæ pertinent ad speciem deficientem. Quod si expectando aliquamdiu haberi possit, expectandum erit, ne sacrificium maneat imperfectum.

ANNOTATIONES.

1 § 1. Materia Sanguinis D.N. Iesu Christi, sine qua confici non potest, est vinum naturale de vite sicuti constat ex perpetua Ecclesiæ praxi quæ Dominum Saluatorem vino in huius Sacramenti institutione vsum esse semper docuit, cùm ipse dixerit: Non bibam amodo de hoc genimine vitis vsque in diem illum. Quo in loco Chrysostomus, de genimine inquit, vitis, quæ certè vinum non aquam produxit. Quapropter liquores ex granis, fœcibus vini, aut cereuisiæ, vi ignis eliciti aut ex piris, pomis, vel fructibus alijs, quàm vuis expressi; item ex aqua & melle decocti, non est materia apta aut sufficiens Sanguinis Domini. Acetum quoque, tametsi ex vino factum fuerit, non est materia Sanguinis, quia non est vinum, sed vini corruptela. Agresta siue liquor ex vuis immaturis expressus, non est sufficiens materia, quia nondum est vinum.

S. Thom. 3a part. q. 74. art. 5.

Catechismus Rom. part. 2. c. 4 n. 14.

§ 2. Vinum illud seu potius liquor ex vuis secundo aut tertio compressis, magna aquæ copia superinfusa, & vocari solet lora, non est materia consecrationis; quia tametsi aliquem præ se ferat saporem & odorem vini, tamen ob nimiam aquam & paucitatem substantiæ vini, quæ in talibus vuis superesse potest, nullo modo credibile est habere speciem vini, sed esse, vel naturæ aqueæ, aut alicuius tertiæ substantiæ.

VViggers 3. part. q 74. art. 5. n. 41.

§. 3. Vinum melle aromatibus in magna quantitate conditum & decoctum, non est etiam sufficiens materia calicis; quia cum tali permixtione & decoctione deperditur vini substantia, modica tamen permixtio non impediret validitatem consecrationis; nullo

VViggers 3. part q. 74. art. 5 n 41.

tamen

S. Thomas 3. part. q. 74. art 5. ad 3. tamen modo facienda est propter Sacramenti reuerentiam, & Dominici Sanguinis puritatem.

Laymann lib. 5. tract. 4. cap. 2. n. 6. §. Vua non est materia valida consecrationis Sanguinis, neque liquor in vuis adhuc contentus; quia non est simpliciter vinum.

Sa verbo Missa n. 3. Vigers 3. part. q. 74. art. 5. n. 40. §. 4. Vinum congelatum tametsi non licitè, validè tamen consecratur, si per gelu non amisit naturam vini; quod in tenuioribus vinis post aliquam diuturnam constrictionem solet aliquando accidere. Ideoque grauissimè peccaret qui vinum congelatum attentaret consecrare, priusquam esset liquefactum.

S. Thomas 3. part. q. 74. art. 5. ad 3. Laymann lib. 5. tract. 4. cap. 2. n. 6. §. 6. Mustum de vuis recenter expressum: adeoque valde impurum validè quidem consecratur, sed non decenter, ac licite. Nam licet mustum substantiam vini habeat, est tamen imperfectum, & non satis decoctum, ac defecatum, quæ accidentalis imperfectio, & fæcis admixtio dedecet tanti Sacramenti dignitatem. Ideoque grauis & mortalis irreuerentia esset extra necessitatem in musto consecrare. Quamobrem si in aliqua Ecclesia consuetudo sit vt vuarum primitiæ in calicem expressæ, certo anni die consecrentur, eam corrigendam & tollendam esse rectissimè monet *Suarez d. disp.* 45 S. 1.

§. 7. Zapa, seu defrutum id est mustum vsque ad dimidiam seu tertiam partem decoctum, non est valida materia huius Sacramenti, quia non est vinum, nec potus, sed potiùs cibus.

§. 8. Valida & licita est consecratio in vino siue albo siue rubro, cùm vtrumque habeatur, & sit vinum de vite: propter Purificatoria tamen, & alia lintea, quæ subinde de casu vino asperguntur, & maculas inde concipiunt, quæ nulla amplius arte elui possunt, albo vti decentiùs & consultiùs est.

§. 9. In hisce partibus celebrare cum vino Hispanico valde periculosum est, quia vix quis certus esse potest; illud vinum quod hic pro Hispanico venditur, esse vinum ex vitis fructu expressum, experientia enim docet, liquorem ex aqua vel vino simplici & melle confectum, quem mulsum appellare solemus, pro vino Hispanico passim à mercatoribus diuendi.

Concil. Trid. sess. 22. c. 7. §. 10 Vino modicum aquæ à Sacerdote in Altari misceri debet non ob necessitatem Sacramenti. sed præcepti tantùm Ecclesiastici, sub mortali peccato obligantis, tùm quòd Christum Dominum ita fecisse credatur, tum etiam quia ex latere eius aqua simul cum

cum Sanguine exierit. Quod Sacramentum hac mixtione recolitur; & cùm in Apocalypsi B. Ioannis, aquæ dicantur populi, etiam ipsius populi fidelis cum capite Christo, vnio repræsentatur. Sed aduertendum quod parum aquæ admiscendum quia si maior pars aquæ quàm vini admisceatur, aqua convertit in se vinum, & sic non erit consecratio. Si æqualis pars sit aquæ & vini, idem erit periculum, vel ita aqua vinum extenuabit, vt speciem amittat: apponenda ergo aqua in minima quantitate, præsertim in his partibus vbi vina sunt debiliora, & plus est periculi corruptionis vini, quod maximè vitandum est: aqua autem in quacunque parua quantitate adhibeatur, sufficit ad sacras significationes, quarum gratia admisceatur.

TITVLVS V.

De defectibus formæ.

1. DEfectus ex parte formæ possunt contingere, si aliquid desit ex ijs quæ ad integritatem verborum in ipsa consecratione requiruntur. Verba autem consecrationis, quæ sunt forma huius Sacramenti, sunt hæc: *Hoc est enim Corpus meum.* Et, *Hic est enim calix Sanguinis mei, noui & æterni testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis & pro multis effundetur in remissionem peccatorũ.* Si quis autem aliquid diminueret, vel immutaret de forma consecrationis Corporis & Sanguinis, & in ipsa verborum immutatione verba idem non significarent, non conficeret Sacramentum. Si verò aliquid adderet quod significationem non mutaret, conficeret quidem, sed grauissimè peccaret.

2. Si celebrans non recordetur se dixisse ea quæ in consecratione communiter dicuntur, non debet propterea turbari. Si tamen certò ei constet, se omisisse aliquid eorum quæ sunt de ne-

cessitate Sacramenti, id est, formam consecratio nis, seu partem, resumat ipsam formam, & cætera prosequatur per ordinem. Si verò valdè probabiliter dubitat, se aliquid essentiale omisisse iteret formam, saltem sub tacita conditione. Si autem non sunt de necessitate Sacramenti, non resumat, sed procedat vlterius.

ANNOTATIONES.

§. 1. Defectu formæ Sacramentum est nullum; primo si literæ aliquæ mutentur variantes sensum, quod facile fit in initialibus, vti si quis diceret in nomine matris, milij &c. Secundo si magna fiat interruptio verborum, ita vt moraliter non videantur cohærere. Tertiò si quis diceret hic (Aduerbialiter) est corpus meum, si verò poneretur masculinum pro neutro valeret, etsi non esset secundum grammaticam. Quartò si quis diceret hoc corpus est meum, aut hic Sanguis est meus, vel ecce corpus meum, ecce Sanguis meus, siue hoc sit vel hoc sit corpus meum, ratio omnium est quia non manet idem sensus, atque fit mutatio substantialis.

VViggers 3. part quæst. 74. art. 1. 2. & 3.

§. 2. Forma valet, etsi non liceat, Primò si omittat vocem non essentialem vti *enim* quia particula *enim* non est de essentia formæ sed tantùm de præcepto: ideoque si eam quis omittat peccaret mortaliter. Secundò si Formæ quid adderetur. Tertiò si forma tantùm transponeretur, veluti hoc meum est corpus. Quartò si verba quis corrumperet, atque ex præcipitantia vel balbutiè diceret *hoc est corpus meus*. Quintò si interruptio fiat parua.

S. Thomas 3. part q. 78. art. 5. Layman. lib. 5. tract. 4. c. 3. assert. 3. VViggers q. 78. art. 1.

§. 3. In Sacrificio Missæ, formæ debent proferri in Sacerdote vt induente ac sustinente personam dicentis illa, non quidem in persona sua propria, sed quatenus ibi induit & sustinet personam Christi, non secus ac si Christus ibi loqueretur per os Sacerdotis. Ideoque omnia verba Canonis, incipiendo, à verbis *Qui pridie* &c. vsque ad *Vnde memores* &c. dicuntur à Sacerdote historicè, seu recitatiuè, sola autem verba, quæ vtrique formæ essentialia sunt, videlicet, *Hoc est corpus meum*: *Hic est Calix Sanguinis mei*, dicuntur non tantùm materialiter & recitatiuè; sed etiam formaliter, significatiuè & assertatiuè.

§. 4. In

§. 4. In forma Sanguinis omnia verba sunt de integritate & necessitate præcepti, sed ad essentiam Sacramenti sufficiunt hæc sola verba. *Hoc est Calix Sanguinis mei* sed non licet alia eiusdem formæ quæ sunt in vsu Ecclesiæ omittere sine graui sacrilegio, tum quia Ecclesia vult illa adhiberi, tum quia oportet tutissima ratione consecrare, adhibendo scilicet etiam reliqua verba eodem modo, intentionemque habendo eo modo, & per ea verba consecrandi quibus Christus instituit, & Ecclesia intendit, tum etiam quia *D Thomas 3. p. quæst. 78 art. 4.* alijque multi volunt omnia verba notata in Missali esse, de essentia formæ. *Layman lib. 5. tract. 1. cap. 3. assert. 2. Sa. verbo Missa.*

§. 5. Quando dubium oritur, & non tantùm inanis scrupulus (is enim reijci debet) an forma fuerit legitima, vel an legitimè & integrè prolata tunc etiamsi speculatiuè probabile sit formam esse legitimam, in praxi tamen interanda erit sub conditione, quia tutiùs eligendum. *Sa. verbo Missa.*

§. 6. Peccat qui verba formæ corruptè, inarticulatè, aut indeuotè pronuntiat.

§. 7. Omnia verba supràin Rubricis posita, & in Missali præscripta debent exprimi necessario necessitate præcepti, nec potest vllum sine peccato prætermitti. *VViggers 3. part q. 78. art. 2.*

§. 8. Si contingat defectus essentialis in forma, vel in materia, vel in vtraque, nempè cum mutatione sensus verborum consecrationis, iteranda est consecratio, vt perficiatur Sacrificium: & si contingat id cognosci post sumptionem corporis, vel speciei non ritè consecratæ, iteranda est item talis consecratio appositâ materiâ quæ non fuit consecrata, *iuxta Rubric. sup. tit. 4. num. 5 & tit. 3 num. 6.* quia eadem est ratio inepiæ materiæ, & materiæ sine forma. Imò etiam, si id contingat fieri ex malitia ministri mutantis formam, vel non habentis intentionem, nihilominus debet post sumptionem supplere defectum, pœnitendo de priori culpa quam commisit, & reuerenter supplendo. Quod si defectus accidat in vtrâque specie, & iam vtramque sumpsit, non est quòd suppleat; quia Sacrificium nullum est: præceptum de faciendo vero Sacrificio, & eo casu nullum est, neque de supplendo quod non est inceptum, neque ex parte, & obligat tunc aliud præceptum de non sacrificando fracto ieiunio. *Suarez. 3. disp. 85 sect. 1. Ganantus part. 3. tit. 5.*

TITVLVS VI.

De defectu ministri.

DEfectus ex parte Ministri, possunt contingere quo ad ea quæ in ipso requiruntur. Hæc autem sunt: In primis intentio, deinde dispositio animæ, dispositio corporalis, dispositio vestimentorum, dispositio in ministerio ipso, quoad ea quæ in ipso possunt occurrere.

ANNOTATIONES.

Ex supradicta Rubrica constat, quod ex parte ministri consecrantis Corpus & Sanguinem Domini nostri Iesu Christi requirantur quinque, videlicet, intentio ipsius ministri, animæ, corporis, & vestimentorum dispositio, tum dispositio in ministerio quo ad occurrentia. Defectus circa intentionem est essentialis, circa reliqua verò est accidentalis tantùm.

TITVLVS VII.

De effectu intentionis.

1. SI quis non intendit conficere, sed deluforiè aliquid agere. Si aliquæ Hostiæ ex obliuione remaneant in Altari, vel aliqua pars vini, vel aliqua Hostia lateat, cùm non intendat consecrare nisi quas videt. Item si quis habeat coram se vndecim Hostias, & intendat consecrare solùm decem, non determinans quas decem intendit: in his casibus non consecrat, quia requiritur intentio. Secùs si putans quidem esse decem, tamen omnes voluit consecrare, quas coram se habebat; tunc enim omnes erunt consecratæ; atque ideò quilibet Sacerdos talem semper intentionem habere deberet, scilicet consecrandi eas omnes, quas ante se ad consecrandum positas haber.

Si

2. Si Sacerdos putans se tenere vnam Hostiam, post consecrationem inuenerit fuisse duas simul iunctas, in sumptione sumat simul vtramque. Quod si deprehendat post sumptionem Corporis & Sanguinis, aut etiam post ablutionem, reliquias aliquas relictas consecratas, eas sumat, siue paruæ sint, siue magnæ, quia ad idem sacrificium spectant.

3. Si verò relicta sit Hostia integra consecrata, eam in tabernaculo cum alijs reponat: si hoc fieri nequit, sequenti Sacerdoti ibi celebraturo, in Altari supra Corporale decenter opertam, sumendam vnà cum altera, quam est consecraturus, relinquat: vel si neutrum horum fieri possit, in ipso calice seu patena decenter conserver, quousque vel in tabernaculo reponatur, vel ab altero sumatur: quod si non habeat quomodo honestè conservetur, potest eam ipsemet sumere.

4 Si intentio non sit actualis in ipsa consecratione propter euagationem mentis: sed virtualis, cùm accedens ad Altare intendat facere quod facit Ecclesia, conficitur Sacramentum, etsi curare debet Sacerdos, vt etiam actualem intentionem adhibeat.

ANNOTATIONES;

§. 1. Cùm ea quæ in Sacramentis geruntur diuersimodè & propter diuersa possunt agi, requiritur tam de necessitate Sacramenti quàm præcepti in Sacramentorum administratione certa intentio ministrãtis, non quidem faciendi illas externas actiones, tanquam merè physicas actiones, sed requiritur intentio faciendi illas tanquam Sacramentum, idque vel sub illo conceptu aut sub alio qui hunc includit: vt intendo facere quod Christus instituit, vel quod Ecclesia facit & servat, vel quod Christiani faciunt. *S. Thomas 3. part. quæst. 64. art. 8. Concil. Trid. sess. 7. de Sacram. in genere can. 11. VViggers de Sacram q. 64. art. 8. n. 54.*

§. 2 Intentio Ministri in conficiendo & conferendo Sacramento diuiditur communiter à Doctoribus in actualem, virtualem & habitualem.

§ 3. Intentio actualis in hoc consistit, vt Minister *S. Thomas*

loco citato. Layman. lib. 5. tract. 1. cap 5 n. 11. S. Thomas loco citato. VViggers de Sacram q. 64. art. 8. n. 52.

Sacramenti eo temporis pronuntiatur forma sibi præsens actu eliciat voluntatem faciendi Sacramentum sicut Christus instituit & Rõana Ecclesia facit & seruat.

§. 4. Virtualis est, quando quis initio actionis cùm se incipit applicare ad iaciendum Sacramentum proposuit & voluit facere Sacramentum sicut Christus instituit & Ecclesia facit ac servat, & ex vi illius voluntatis, & rationis, & mentis compos applicat se ad illud agendum, atque in actione progreditur, sed tamen distrahitur mente, sic vt non aduertat quid agat, dum profert verba formalia; vt v. g. si Sacerdos dum se induit habeat animum consecrandi & offerendi Sacrificium sicut Christus instituit, & vi illius voluntatis accingat se operi, posteà tamen mente distrahitur, & interim facit omnia necessaria ad Sacrificium; dicitur habuisse intentionem virtualem consecrandi & offerendi Sacrificium si in ipso actu consecrationis dum profert formam, nullam intentionem habuerit.

Suarez disp. 13. sect. 3. VViggers de Sacram q. 52 art. 4. n. 5. & 61. Layman loc. cit.

§. 5. Habitualis est quædam dispositio & promptitudo animi, quâ quis est inclinatus & dispositus ad aliquid faciendum, absque tamen actu, qui vel simul existat, aut eam actualiter causet, quamuis antea actus aliqui processerint, vnde illa inclinatio siue promptitudo nata sit quæ intentio non est sufficiens ad Sacramentum perficiendum, sed ad minùs requiritur virtualis, estque hæc sufficiens; Nam si semper requiretur actualis omnia plena forent scrupulis, mens enim hominis adeò lubrica est, vt cogitationem diu in vna re tenere non possit. Actualis igitur optima, decentissima & diligenti studio curanda est, licèt absolutè necessaria non sit ad Sacramenti validitatem; Virtualis sufficiens, habitualis autem insufficiens.

Layman lib. 5 c. 5. n. 11.

§. 6. Solet quoque ab aliquibus intentio diuidi hoc modò, primò in conditionatam & absolutam, quæ semper requiritur ad Sacramenti valorem, minimè verò conditionata. Deinde intentio absoluta diuiditur in actualem, virtualem, & habitualem seu interpretatiuam. Eodemque recidit, si intentio diuidatur in formalem & interpretatiuam; formalis autem subdiuidatur in actualem & virtualem. Vtraque vero, tam actualis, quàm virtualis, denuò diuidatur in explicitam & implicitam: Intentio implicita est, quæ in administratione seu confectione Sacramentorum procedit secundum generalem & confusam rationem vt v. g. volo consecrando facere quod in Ecclesia Catholica

tholica fieri solet. Explicita dicitur intentio quæ secundum specificam rationem procedit, vt volo conficere Sacramentum corporis Christi &c.

§. 7. Quando Sacerdos dubitat, an habuerit intentionem consecrandi actualem, aut virtualem debet repetere verba consecrationis cum intentione consecrandi, ratio est quia defectus intentionis est substantialis, sed in hac materia non oportet scrupulosum esse; ne via dæmoni aperiatur. *Bonac. de Sacr Euchar. disp. 4 q. vlt. punct. 10. n. 14.*

§. 8. Sacerdos nouiter ordinatus cum Episcopo in Missarum solemnijs concelebrans, seruare debet generalem intentionem proferendi verba consecrationis secundum voluntatem Ecclesiæ, quia non desunt qui existimant illos verba consecrationis non proferre formaliter, & cum intentione consecrandi, sed tantùm recitatiuè & materialiter in signum potestatis sibi concessæ. *Sylvius 3. part. q. 80. art. 2.*

§. 9. Si Sacerdos ad Altare deferat plures Hostias cum intentione eas consecrandi, aut si antequam ad Sacrificandum Sacristiam egrediatur, de consecrandis hostijs in Altari positis, vel ante Offertorium ipsi apponendis admoneatur, easdemque consecrare proponat, postea verò dum consecrat recordatur seu attendat tantùm ad illam quam manibus tenet omnes nihilominùs erunt consecratæ, quia quamuis non habeat intentionem actualem eas consecrandi, habet tamen virtualem manantem ex actuali, quam habuit consecrandi, quando illas accepit consecrandas. Quod tamen intelligendum est si in Corporali sint positæ, quia si ex obliuione intra Altare alicubi essent relictæ, aut si quis Sacerdote inscio, seu minimè aduertēte hostias consecrādas super Altari, vel etiā Corporali ponat eæ non consecrabuntur, quia ne virtualiter quidem censebitur intentio Sacerdotis se ad illas extendere. *Nauarrus in manuali cap. 25. n. 91. Layman theol. moral. lib. 5 tract. 4 cap. 2 n. 14. VViggers 3a Sacram q. 74. art. 2. dub. 2.*

§. 10. Si contingat hostias non consecratas cum hostijs consecratis confundi, seu misceri; potest ac debet totus cumulus ad Altare deferri, vt Sacerdos intendat consecrare illas tantùm, quæ non sunt consecratæ.

§. 13. Quod attinet ad consecrationem calicis, solet intentio Sacerdotis sic semper intelligi, vt non intendat consecrare vinum quod forsitan deforis adhæret Calici, vnde si quæ guttæ in pede calicis, vel alibi foris hæreant non erunt consecratæ, nisi Sacerdos expressè non sine sacrilegio, eas consecrare velit: Verisimiliùs quoque est neque guttas consecrari, quæ intra Calicē *Layman loco cit. n. 12.*

Ægidius Coninck q.

74. art. 2. dub. 3. n. 43. siue in interiore Calicis superficie à reliquo vino separatæ hærent. Nam hæc videtur esse communis & optima Ecclesiæ intentio, consecrandi omnem liquorem consecrabilem, qui per modum vnius continui in calice continetur.

Gavantus part. 5. tit. 7. num. 1. §. 12. Si quis deliberiè profert verba consecrationis, non intendens conficere, enormissimum patrat Sacrilegium; & si fictionis pœniteat ante sumptionem potest resumere formam, non ex vi præcepti perficiendi Sacrificium, quod nondum inceptum est; sed vi præcepti non fingendi falsum in hoc ministerio, & consequenter non perseverandi in fictione, nec sumendi potum & cibum per modum Sacramenti, quod non est, nec dandi alijs occasionem adorandi merum panem & vinum, post sumptionem verò ficti Sacramenti seruetur, quod dictum est suprà *ex Suarez tit. 5 §§.*

TITVLVS VIII.

De defectibus dispositionis animæ.

1. SI quis suspensus, excommunicatus, degradatus, irregularis, vel aliàs Canonicè impeditus, celebret: conficit quidem Sacramentum, sed grauissimè peccat, tam propter communionem quam indignè sumit, quàm propter executionem Ordinum, quæ sibi erat interdicta.

2. Si quis habens copiam Confessoris celebret in peccato mortali, grauiter peccat.

3. Si quis autem in casu necessitatis non habens copiam Confessoris, in peccato mortali absque contritione celebret, grauiter peccat. Secus si conteratur; debet tamen cùm primùm poterit, confiteri.

4 Si in ipsa celebratione Missæ Sacerdos recordetur se esse in peccato mortali, conteratur cum proposito confitendi, & satisfaciendi.

5. Si recordetur se esse excommunicatum, vel suspensum; similiter conteratur cum proposito petendi absolutionem. Ante consecrationem autem

tem in supradictis casibus, si non timetur scandalum, debet Missam inceptam deserere.

ANNOTATIONES.

§ 1. Si quis canonicè impeditus celebret, iuxta Rubricam superiùs n. 1. positam, conficit quidem Sacramentum, sed grauissimè peccat. Et valor ille Missæ, qui est ex parte precum Ecclesiæ, omnino perditur, quia Ecclesia non intendit orare nomine suo, ore præciforum ab ea per excommunicationem notoriam. Quod si immineat mortis, infamiæ, aut scandali periculum poterunt prædicti cum contritione celebrare. S. *Thom.* 3. *part. q.* 28. *art.* 7. *ad* 3. *Azor. lib.* 10. *c.* 31. *q.* 6

§. 2. Certissimum est tam Sacerdotem, quàm alium quemcumque, qui sibi conscius est peccati mortalis, teneri ex præcepto Ecclesiæ præmittere Confessionem Sacramentalem antequam ad communionem Sacram accedat, vti patet ex Concilio Tridentino ita loquente: *Ecclesiastica autem consuetudo declarat eam probationem necessariam esse vt nullus sibi conscius mortalis peccati quantumuis sibi contritus videatur, absque præmissa Sacramentali Confessione ad Sacram Eucharistiam accedere debeat.* & tum addit: *quod à Christianis omnibus etiam ab ipsis Sacerdotibus, quibus ex officio incumbuerit celebrare hæc Sancta Synodus perpetuò seruandum decreuit modò non desit illis copia confessoru.* Ex quo colligitur quod Sacerdos conscius sibi peccati mortalis numquam sine præuia confessione possit celebrare, nisi concurrentibus duabus his circumstantijs, cùm scilicet vrget necessitas celebrandi, & deest copia Confessarij. Sed præcipua difficultas est, quando censeatur deesse copia Confessarij, & quanta debeat esse necessitas Celebrandi. Quæ quidem res non potest certâ regulâ omninò mathematicè describi, sed attentis circumstantijs prudentum iudicio est determinanda, communiter tamen tradunt Doctores, quod censenda sit vrgens necessitas vt absque præuia Confessione, præmissâ solâ contritione, Sacerdos celebrare possit. I. Vt morituro viaticum præbeatur, si alia hostia consecrata desit. II. Si Sacerdos ex proprio suo officio teneatur celebrare, nec adsit alius, qui pro ipso faciat & Sacrificium sine graui infamia vel populi scandalo omitti non possit. III. Si Sacerdos post consecrationem recordetur peccati mortalis debet elicitâ contritione, Sacrificium prosequi. Si autem ante consecrationem mortale peccatum commit-

Concil. Trid. sess. 13. *de Sanct. Eucbar. Sacr. cap.* 7. *& can.* 11.

Laymann. theol. mora. lib. 5. *tract.* 4. *ca.* 6. *n* 5. *Nauarr. in Manual c.* 25. *n.* 76.

Suarez disp. 66. sect 4. Ægidius Coninck q. 80. art. 4. dub. 1.

committat vel antè commissi memoria incidat, videtur esse obligatus ad confitendum, si commodè, & sine vlla notæ infamiæ possit, præsertim Canone nondum cœpto Quod ad alterum attinet; Copia Confessarij tunc non habetur, si vel nullus Sacerdos adsit approbatus & expositus; ad absentem autem sine magna difficultate spectatis circumstantijs personæ & itineris accessus esse nequeat; vel si adsit quidem Confessarius iurisdictione præditus, cui tamen pœnitens sine interprete aut periculo grauis iacturæ vel scandali confiteri non possit.

Layman. lib. 5. Tract. 4. cap. 6. n. 7. VViggers q. 8. art. 5. dub. 5. Coninc. q. 8. art. 4. dub. 20.

§. 3. Ne verò Sacrificaturi habentes conscientiam peccati mortalis, passim prætextu necessitatis, & inopiæ Confessarij, non institutâ Sacrâ confessione, sed elicitâ tantùm contritione celebrent, præcipit Tridentina synodus *sess. 3 cap. 7.* vt *Sacerdos, si necessitate urgente absque prauia confessione celebrauit, quamprimùm* postea *confiteatur.* Intra quod tempus verò confiteri oporteat, vt quamprimùm quis dicatur confiteri, aliqui putant quod mox debeat confiteri quando habet copiam confessarij, alij verò putant sufficere si saltem intra triduum fiat, sed hoc certum quod confessio necessario requiratur antequam iterum celebret.

Viana part. 6 tract 6. resol. 33.

§. 4. Peccata mortalia dubia sunt necessariò confitenda siue dubium sit de substantia actionis, an fuerit facta, siue an fuerit mortalis, siue an fuerit iam illud peccatum in confessione dictum. Vnde Sacerdos ante celebrationem si dubitet, an consenserit morosæ delectationi, tenetur confiteri de tali peccato dubio, nec potest conscientiam deponere in tali casu, non adesse obligationem illud confitendi.

TITVLVS IX.

De defectibus dispositionis corporis.

1. SI quis non est ieiunus post mediam noctem, etiam post sumptionem solius aquæ, vel alterius potus, aut cibi, per modum etiam medicinæ, & in quantumcumque parua quantitate, non potest communicare nec celebrare.

2. Si autem ante mediam noctem cibum aut potum sumpserit, etiamsi postmodum non dormierit, nec sit digestus non peccat; sed ob perturbationem mentis, ex qua deuotio tollitur, consulitur aliquando abstinendum.

2. Si

3. Si reliquiæ cibi remanentes in ore transglutiantur, non impediunt Communionem, cùm non transglutiantur per modum cibi, sed per modum saliuæ Idem dicendum, si lauando os, deglutiatur stilla aquæ præter intentionem.

4. Si plures Missas in vna die celebret, vt in Natiuitate Domini in vnaquaque Missa abluat digitos in aliquo vase mundo, & in vltima tantum percipiat purificationem.

5. Si præcesserit pollutio nocturna, quæ causata fuerit ex præcedenti cogitatione quæ sit peccatum mortale, vel euenerit propter nimiam crapulam, abstinendum est à Communione & celebratione, nisi aliud Confessario videatur. Si dubium est, an in præcedenti cogitatione fuerit peccatum mortale, consulitur abstinendum extra tamen casum necessitatis. Si autem certum est, non fuisse in illa cogitatione peccatum mortale, vel nullam fuisse cogitationem, sed euenisse ex naturali causa, aut ex diabolica illusione, potest communicare & celebrare; nisi ex illa corporis commotione tanta euenerit perturbatio mentis, vt abstinendum videatur.

ANNOTATIONES.

§. 1. Præceptum est Ecclesiæ, vt quicumque velit Celebrare aut communicare ieiunus sit ieiunio naturali, hoc est sine omni cibo & potu à media nocte vsque ad communionem, vt ne quidem per modum medicinæ quicquam sumpserit. *S. Thomas 3. p. 8. art. 8. ad 4.*

§ 2. Si contingat in ablutione oris modicum aliquid aquæ commisceri saliuæ, & per modum saliuæ deglutiri per hoc non violatur ieiunium naturæ; etiamsi in saliuam non sit conuersa, non enim de conuersione illa potest facilè constare. Satis enim est, quod ita saliuæ permixta, vt non possit separari, & per modum vnius traijciatur. *S. Thomas 3. part. quæst. 80. art. 8. ad 4. Nauarr. cap. 21. n. 53.*

§. 3 Qui gustat aliquid iurulenti siue liquidi solùm vt percipiat saporem, & expuit non impedit, etiamsi quid relinqui censeatur in palato quod per modum saliuæ deglutiatur. *Layman lib. 5. Tract. 4. cap. 6.*

Coninck qu. 80 art. 8.

§. 4. Qui casu aut incogitanter traijcit aliquid reliquiarum in dentibus ex cibo cænæ præcedentis relictarum, non censetur ieiunium frangere: sed si

Diana resol. moral. tract. 4. resol. 37.

sponte, & voluntarie deglutiantur impediunt sumptionem Eucharistiæ, quia cùm de industria deglutiuntur non sumuntur per modum cibi.

Sylvester verb. Eucha. 3 quæst. 6.

§. 5. Si quis aromata aut saccarum in ore tenet vt paulatim emolliatur & traijciatur, idque duret post noctis medium censetur ille violasse ieiunium naturæ. Vnde si quis indormiret cum saccaro in ore, de quo dubitat an ante mediam noctem totum deglutierit, non poterit sequenti die celebrare, aut communicare.

S. Thomas in 4 dist. 8. q 1. § ad 4. resp ad 1. quæstiunc.

§. 6. Si quis deglutiat sanguinem aut aliquem alium humorem à capite in os descendentem ieiunus censeri debet, quidquid ab intrinseco prouenit, nec ore ab intrinseco sumitur, non verè comeditur nec soluit ieiunium naturæ; neque proinde impedit per se

VViggers de Sacram. Euchar. q. 80. art 8. n 37.

sumptionem Sacramenti Eucharistiæ.

Henriq. li. 8. c. 50. Sa. ver. Euchar. n. 2.

§. 7. Sunt aliqui casus quibus licitum est Eucharistiam sumi à non ieiunio.

Primus, à non ieiunio Eucharistia sumi potest propter necessitatem sumentis, vt si quis sit periculosè infirmus, & sit periculum mortis si sequens dies exspectetur.

S. Thomas 83. ar. 6. ad 2.

Secundus, ob integritatem sacrificij, vt si Sacerdos loco vini aquam in calicem infuderit, & id demum aduertat post aquæ sumptionem, quo casu tenebitur de nouo consecrare vinum, illudque consecratum sumere, aut, si Sacerdos aliquis post consecrationem moriatur, vel deficiat neque sit Sacerdos alius ieiunus ad perficiendum sacrificium, poterit non ieiunus missam inchoatam complere. Similiter si post consecrationem recordetur Sacerdos se aliquid comedisse aut bibisse debebit nihilominùs progredi & sacrificium perficere, quia propter reuerentiam Sacramenti & integritatem sacrificij magis obligat præceptum diuinum de perficiendo sacrificio quàm Ecclesiasticum de obseruando ieiunio.

Sa. verbo Eucharistia.

Can. nihil C. 7. quæst. 1.

Tertius casus, si post sumptam calicis ablutionem aut purificationem necesse sit reliquias in eodem sacrificio consecratas, quæ fortè inueniuntur, sumere.

Quartus, si Eucharistia nisi statim sumatur, vel incendio absumenda sit, vt in sacrilegias manus infidelium, aut hæreticorum deuentura: debet tunc à Sacerdote, vel si is non adsit à Clerico vel laico quamuis non ieiuno cum timore & reuerentia sumi.

§. 8.

§. 8. Extra casus iure permissos, & absque expressa licentia à Summo Pontifice, Episcopo Diœcesano aut eiusdem Vicario, in scriptis obtenta, nullus Sacerdos vno die duas Missas celebrare debet sub pœna peccati mortalis, nec quisquam opinetur ad duas Missas vna die celebrandas consuetudinem sine Apostolica, vel Episcopali Diœcesana facultate sibi suffragari posse, eâdemque lege Missæ siccæ, in quibus Corpus Domini nec consecratur, nec sumitur, interdicuntur ac penitus abrogantur.

C. sufficit de consecr. dist. 1. c. Consuluisti de celebr. Missarum.

§. 9. Quando per vnum eundemque Sacerdotem plures celebrantur Missæ tunc hausto diligentiùs sanguine ex calice in aliquo Scypho mundo statim abluendi sunt digiti, non autem in calice, vt vinum ablutionis fiat consecrationis materia. Cæterùm hæc ablutio digitorum, si non sumatur à Celebrante in vltima Missa, sumi debet ab alio qui sit ieiunus, vel in Sacrarium fundenda erit. Quod etiam nota pro ablutione digitorum quæ fieri debet in Communione populi extra Missam.

§. 10. Quando Hostia consecrata ex Monstrantia sumenda erit à Sacerdote, id semper in sacrificio Missæ fieri debet post sumptionem sanguinis.

TITLVS X.

De defectibus in ministerio ipso occurrentibus.

1. POssunt etiam defectus occurrere in ministerio ipso, si aliquid ex requisitis ad illud desit; vt si celebretur in loco non sacro vel non deputato ab Episcopo, vel in Altari non consecrato, vel tribus mappis non cooperto: si non adsint luminaria cerea: si non sit tempus debitum Celebrandi, quod est ab aurora vsque ad meridiem communiter: si Celebrans saltem Matutinum cum Laudibus non dixerit; si omittat aliquid ex vestibus Sacerdotalibus: si vestes Sacerdotales & mappæ non sint ab Episcopo vel ab alio hanc habente potestatem benedictæ: si non adsit

Clericus, vel alius deseruiens in Missa, vel adsit qui deseruire non debet, vt mulier : si non adsit Calix cum Patena conueniens, cuius cuppa debet esse aurea, vel argentea, vel stannea, si Corporalia non sint munda, quæ debent esse ex lino, nec serico in medio ornata, & ab Episcopo vel ab alio hanc habente potestatem benedicta, vt etiam superiùs dictum est; si celebrat capite cooperto sine dispensatione: si non adsit Missale, licet memoriter sciret Missam, quam intendit dicere.

2. Si Sacerdote Celebrante violetur Ecclesia ante Canonem, dimittatur Missa : si post Canonem, non dimittatur. *Si* timeatur incursus hostium, vel alluuionis, vel ruina loci vbi celebratur, ante consecrationem dimittatur Missa, post consecrationem verò Sacerdos accelerare poterit sumptionem Sacramenti, omissis omnibus alijs.

3. *Si* Sacerdos ante consecrationem grauiter infirmetur, vel in *Syncopen* inciderit, aut moriatur, prætermittatur Missa : si post consecrationem Corporis tantùm, ante consecrationem sanguinis, vel vtroque consecrato id accidit, Missa per alium Sacerdotem expleatur ab eo loco, vbi ille desijt, & in casu necessitatis etiam per non ieiunum. *Si* autem non obierit, sed fuerit infirmus, adeò tamen vt possit communicare, & non adsit alia Hostia consecrata, Sacerdos qui Missam supplet, diuidat Hostiam, & vnam partem præbeat infirmo, aliam ipse sumat. *Si* autem semiprolata forma Corporis obijt Sacerdos, quia non est facta consecratio, non est necesse vt Missa per alium suppleatur. Si verò obierit semiprolata forma sanguinis, tunc alter prosequatur Missam, & super eundem repetat integram formam ab eo loco *Simili modo post-*

quam

quam cœnatum est. Vel posset super alium Calicem præparatum integram formam proferre, & Hostiam primi Sacerdotis, & sanguinem à se consecratum sumere, ac deinde Calicem relictum sumi consecratum.

4. *Si* quis extra huiusmodi casus necessitatis, integra Sacramenta non sumpserit, grauissimè peccat.

5. Si musca, vel aranea, vel aliquid aliud ceciderit in Calicem ante consecrationem, proijcit vinum in locum decentem, & aliud ponat in Calice, misceat parum aquæ, offerat vt suprà, & prosequatur Missam: Si post consecrationem ceciderit musca, aut aliquid eiusmodi, & fiat nausea Sacerdoti, extrahat eam, & lauet cum vino; finita Missa comburat, & combustio ac lotio huiusmodi in Sacrarium proijciatur. *Si* autem non fuerit ei nausea, nec vllum periculum timeat, sumat cum sanguine.

6. *Si* aliquid venenosum ceciderit in Calicem, vel quod prouocaret vomitum, vinum consecratum reponendum est in alio calice, & aliud vinum cum aqua apponendum denuò consecrandum: & finita Missa sanguis repositus in panno lineo vel stuppa tamdiu seruetur, donec species vini fuerint deseccatæ, & tunc stuppa comburatur, à combustio in Sacrarium proijciatur.

7. *Si* aliquod venenatum contigerit hostiam consecratam, tunc alteram consecret, & sumat eo modo quo dictum est, & illa seruetur in tabernaculo loco separato, donec species corrumpantur, & corrupta deinde mittantur in Sacrarium.

8. *Si* sumendo sanguinem, particula remanserit in Calice, digno aq; labium Calicis eam adducat, & sumat ante purificationem vel infundat vinum & sumat.

9. Si Hostia ante consecrationem inueniatur fracta, nisi populo euidenter appareat, talis Hostia consecretur: si autem scandalum populo esse possit, alia accipiatur, & offeratur quod si illius Hostiæ iam erat facta oblatio, eam post ablutionem sumat. Quod si ante oblationem Hostia appareat confracta, accipiatur altera integra, si citra scandalum, aut longam moram fieri poterit.

10. Si propter frigus, vel negligentiam Hostia consecrata dilabatur in Calicem, propterea nihil est reiterandum, sed Sacerdos Missam prosequatur, faciendo cæremonias & signa consueta cum residua parte Hostiæ, quæ non est madefacta sanguine, si commodè potest. Si verò tota fuerit madefactâ, non extrahat eam, sed omnia dicat omittendo signa, & sumat pariter corpus & sanguinem signans se cum Calice, & dicens: *Corpus & Sanguis Domini nostri, &c.*

11. Si in hyeme Sanguis congeletur in Calice, inuoluatur Calix pannis calefactis: si id non proficeret, ponatur in feruenti aqua prope Altare, dummodo in Calicem non intret, donec liquefiat.

12. Si per negligentiam aliquid de sanguine Christi ceciderit, si quidem super terram, seu super tabulam, lingua lambatur; cinis verò in Sacrarium recondatur. Si verò super lapidem Altaris ceciderit, sorbeat Sacerdos stillam, & locus bene abluatur, & ablutio in Sacrarium proijciatur. Si super linteum Altaris, & ad aliud linteum stilla pervenerit; si vsque ad tertium; linteamina ter abluantur vbi stilla ceciderit, Calice supposito, & aqua ablutionis in Sacrarium proijciatur. Quòd si in ipso solum Corporali, aut si in vestibus ipsis Sacerdotalibus ceciderit, debet similiter ablui, & ablutio in Sacrariam proijci. Si in

subſtrato

substrato pedibus panno, vel tapeto, bene abluatur, vt suprà.

13. At si contingat totum Sanguinem post consecrationem effundi, si quidem aliquid vel parum remansit, illud sumatur, & de effuso reliquo Sanguine fiat, vt dictum est. Si verò nihil omninò remansit, ponat iterum vinum & aquam, & consecret ab eo loco. *Simili modo postquam cœnatum est*, factâ tamen priùs Calicis oblatione, vt suprà.

14. Si Sacerdos euomat Eucharistiam, si species integræ appareant, reuerenter sumantur, nisi nausea fiat; tunc enim species consecratæ cautè separentur, & in aliquo loco reponantur, donec corrumpantur, & postea in Sacrarium projciantur. Quod si species non appareant, comburatur vomitus & cineres in Sacrarium mittantur.

15. Si Hostia consecrata, vel aliqua eius particula dilabatur in terram, reuerenter accipiatur, & locus vbi cecidit, mundetur, & aliquantum abradatur, & puluis seu abrasio huiusmodi in Sacrarium immittatur, si ceciderit extra Corporale in mappam, seu alio quouis modo in aliquod linteum, mappa vel linteum huiusmodi diligenter lauetur, & lotio ipsa in Sacrarium effundetur.

16. Possunt etiam defectus in ministerio ipso occurrere, si Sacerdos ignoret ritus & Cæremonias ipsas in eo seruandas: de quibus omnibus in superioribus Rubricis copiosè dictum est.

ANNOTATIONES.

§. 1. Numerantur in hac Rubrica, numero primo, quatuordecim casus grauiores in quibus, vt plurimùm accidit peccatum mortale si fiat contra regulas, hoc loco positas, nisi excuset ignorantia vel obliuio Ratio est, quia Consilium Tridentinum *sess.* 22. & Pius V. initio Missalis hoc tradit, vt secundum ritum, normam

Azor. lib. 10 *cap.* 26. *q.* 6.

normam & modum à se traditum Missam decantent omnes, ac legant. Vnde non licet mutare hunc ordinem Missæ omittendo aliquid quod pertineat ad integrum Missæ ritum, multo vero minùs addere licet quidquam, quod expressiùs cautum est in Concilio Tridentino & prædicta Bulla Pij quinti.

Azor lib. 10 cap. 17. q. 12.

§. 2. De rebus an sint benedictæ, necne, non tenetur semper omnis Sacerdos interrogare, sed quando probabiliter dubitatur, vel sit superior loci. Paramenta quæ non possunt esse amplius vsui Ecclasiasticis rebus cõburenda sunt, minimè ad profanos vsus applicanda.

Suarez. disp. 85. sect. 7.

§. 3. Si dubitatur de consecratione Hostiæ, incipitur à Canone, & sub conditione mente retentâ consecretur, vel aliam (quod melius est) consecret Hostiam, & priorem sumat post sumptionem Sanguinis. Quod si Sacerdos obierit post sumptionem Hostiæ tantum, tunc alter sumat tantùm Sanguinem qui remansit.

Henriq. lib. 9. cap. 41.

§. 4. Species à fulmine tactæ venenatæ censentur, & ideò licet, earum sumptionem omittere, & alias consecrare earum loco.

§. 5. Si aliquid de Christi Sanguine ceciderit, primò seruentur quæ Rubrica præscribit hoc titulo numero 12. Secundò aduertendum est, multa esse antiquata per hanc Rubricam, ex ijs quæ S. Pius hac de re statuerat; cuiusmodi sunt abscissio vestium, & combustio; intra Altare combustorum repositio, sumptio lotionis. Pænæ quoque non sunt in vsu, sed imponendæ sunt à superiore, nec vllam tenetur Sacerdos subire, nisi impositam. Tertiò, aliqua adduntur in Rubrica de quibus Pius non meminit, vt quando cadit super vestes Sacerdotis pannum, & tapete substratum, nempè quod hæc debeant ablui, & lotio in Sacrarium proijci. Quod si cadat Sanguis super barbam, barba debet pluries ablui, & lotio in Sacrarium proijci.

Bonac. tom. 1. fol. 151. n. 10.

§. 6. In casu dubio hostiæ consecratæ, quæ reperitur apud veneficum, seu Sacrilegium, aut circa Altare vbi proximè fuit celebratum: aut quando particula patenæ parti posteriori ita fixè hæret, vt subeat suspicio de consecratis in præcedenti Missa particulis eam vnam esse posse; in his casibus nulla solemnitas est adhibenda luminarium, sed huiusmodi hostia adoranda erit sub conditione, reseruanda & sumenda in aliqua Missa ante Calicis ablutionem. Quod si fortè talis sit vt nauseam pariat, seruanda est decen-

Gauantus part 3. tit. 10 num. 25.

ter,

ter, donec corrumpantur species, & comburantur.

§.7. Sacrarium, de quo sæpiùs in Rubriris fit mentio, est piscina Sacra seu locus in quo aquæ lotionis rerum Sacrarum, aliaque fundenda sunt; ideoque in omnibus Ecclesijs habendum; in quibus verò necdum habetur necessario construendum esset; quia vix aliqua Ecclesia illo carere potest.

§ 8 Si Sacerdos omittit aliquid de rubricis primi ordinis vt *Gloria in excelsis, Credo, Commemorationē de Sancto, & eiusmodi*, & recordetur in progressu Missæ, non debet repetere, nec regredi; commemorationē autem de Sancto debet addere inter Orationes secretas, & post Communionem, licet inter Collectas eam omiserit, si opportunè recordetur, inter vltimas non est dicenda si neq; inter secretas dicta; sed in Sacristia post depositas vestes supplenda. Si verò aliquid omittat de Rubricis secundi generis quæ respiciunt ritum seruandum in Celebratione Missæ de suo genere mortale est omittere, quia Concilium Tridentinum *sess. 22.* & Pius quintus in Bul a Missalis expresse præcipiunt, obseruari etiam ritus secundi ordinis; ex lenitate tamen materiæ, vel inaduertentia, vel obliuione, posset esse veniale, si quid omitti.ur. Graniùs autem est, si quid addatur, quàm si omittatur.

Silues. verb. Missa 1. q. 5. §. 4. & 5.

Gauantus part. 3. tit. 10. num. 16.

Suarez disp. 24. sect. 2.

§ 9. Non tamen addit ille contra Rubricas, qui officium recitans aliud, Missam deinde celebrat more Ecclesiæ in qua celebrat; vbi fortè dicitur *Credo*, vel, *Gloria in excelsis* quæ non diruntur extra eam, imò tenetur celebrare ibidem pro ratione festi, alioquin esset aliis admirationi, si festo non inseruiret in propria Ecclesia pro qualitate Festi; quod tamen intelligendum de Missa pro omnibus approbata.

Gauantus part. 3. tit. 10. num. 16.

§. 10. Quod si quis adderet, vel detraheret ex Cæremonijs, etiam deuotionis causa, præsumens id esse melius, tunc peccaret mortaliter: quia in Bulla Pij quinti dicitur *ne præsumant* quod sub mortali obligare videtur.

Molina in instruct. Sacerdot. tract. 3. c. 11. §. vlt.

§. 11. Missa potest interrumpi, & discontinuari, ob aliquam causam, puta concionem, preces petendas pro defunctis, publicationes edictorum vel ad confessionem audiendam moribundi, custoditâ si opus est, interim ab alio Eucharistiâ, vel ad vngendum infirmum, cui nullum aliud Sacramentum ministrari potest.

Nauarr. de Hor. Canon. c. 16. nu. 69. Henriq. lib. 9 c. 30 n. 4. Bonacina de Euch disp. 4. q vlt. pun. 2. num. 6.

PARS

PARS QVARTA

De actibus solennibus.

TITVLVS I.

De Missa solemni in genere ex Rubricis Missalis.

Rubr. genr. Missal. part. 2. tit. 2. n. 5.

1. IN Missa solenni Missale erit apertum super Altare, Calix verò & alia necessaria præparentur in Credentia cooperta linteo, antequàm Sacerdos veniat ad Altare. Ipse autem procedit cum Diacono & Subdiacono, qui capite cooperto, simul cum eo tenent manus iunctas ante pectus; Acolythi verò ante eos deferunt candelabra cum candelis accensis, quæ deinde collocantur super Credentia: & cum peruenerit ad infimum gradum Altaris, ibi medius inter Diaconum à dextris, & Subdiaconum à sinistris, antequam ascendat ad Altare, facit cum ipsis (vt infrà) Confessionem.

Rubr. loco cit. n. 6.

2. In Missa Pontificali omnia seruentur, vt in Cæremoniali, ordinatur; cuius ordinem Episcopus nunquam prætermittat, quandocunque cum Diacono & Subdiacono paratis celebrat.

Rub. part. 2. tit. 4. n. 4.

3. Si Solemniter celebrat coram Summo Pontifice, aut alio ex Prælatis prædictis in Ecclehjs eorum iurisdictionis, stans à sinistris Prælati facit cum eo confessionem, & alia seruat, vt in Cæremoniali ordinatur.

4. In Missa solemni Sacerdos factâ confessione ascendit cum ministris ad medium Altaris vbi dicto *Oramus te Domine*, & osculato Altari, ponit incensum in thuribulum, ministrante Diacono nauiculam & Thuriferario Thuribulum; Diaconus

conus parum inclinatus versus Celebrantem dicit: *Benedicite Pater Reuerende*: & osculatur Cochlear & manum Celebrantis antè & pòst Celebrans ter incensum ponit in Thuribulum dicens interim, *Ab illo benedicaris*. Et depositro cochleari producens manu dextra signum Crucis super thus in Thuribulo, illud benedicit. Posteà Diaconus dimissa nauicula, accipit Thuribulum & dat Celebranti, osculata prius cantenularum summitate, & manu illius dextra. Qui facta Cruci profunda reuerentia, eam ter incensat, nihil dicens, & facta iterum Cruci reuerentia, incensat Altare, ter ducens Thuribulum æquali distantia, prout distribuuntur candelabra, à medio eius vsque ad cornu Epistolæ: vbi demissa manu, thurificat illius postremam partem inferiorem, mox superiorem bis ducto Thuribulo: & conuersus ad Altare, eleuans manum incensat eius planitiem, seu mensam in parte anteriori, ter ducens Thuribulum vsque ad medium, vbi facta Cruci reuerentia, procedendo thurificat aliud latus Altaris triplici ductu vsque ad cornu Euangelij & pariter incensata inferiori & superiori parte ipsius cornu Euangelij duplici ductu, adhuc stans ibidem, eleuat Thuribulum, & ter incensat superiorem tabulæ partem versus mediũ Altaris, vt fecit in cornu Epistolæ: deinde manu aliquantulùm demissa, incensat anteriorem eius partem, seu frontem, ter ducens Thuribulum dum procedit à cornu Euangelij vsque ad medium Altaris: & facta Cruci reuerentia incensat similiter triplici ductu reliquam partem anteriorem vsque ad cornu Epistolæ: vbi reddito Thuribulo ipsi Diacono, ab eo ipse solus incensatur.

5. Si verò in Altari fuerint Reliquiæ, seu Imagines Sanctorum, incensata Cruce, & facta ei reuerentia, antequam discedat à medio Altaris, primùm

primùm incensat eas quæ à dextris sunt, id est parte Euangelij propè Crucem, bis ducens Thuribulum, & iterum factâ Cruci reuerentiâ, similiter incensat bis alias quæ sunt à sinistris, hoc est à parte Epistolæ: deinde prosequitur incensationem Altaris, vt suprà, ter ducens Thuribulum in vnoquoque latere, etiamsi in eo essent plures Reliquiæ & Imagines, seu etiam plura & parciora candelabra.

6. Si in Altari fuerit Tabernaculum Sanctissimi Sacramenti, accepto Thuribulo antequàm incipiat incensationem genuflectit, quod item facit quotiescunque transit ante medium Altaris.

7. Diaconus & Subdiaconus hinc inde assistunt Celebranti dum incensat, & cum transeunt ante Crucem, semper genuflectunt. Deinde Celebrans, Diacono à dextris eius, Subdiacono à dextris Diaconi stantibus in cornu Epistolæ, legit, *Introitum*, & *Kyrie eleison*. Cùm verò intonat Hymnum *Gloria in excelsis Deo*, Diaconus & Subdiaconus, vnus post alium stant à tergo Celebrantis: posteà ascendunt ad Altare, & hinc inde, Diaconus à dextris, & Subdiaconus à sinistris cum Celebrante Hymnum submissâ voce prosequuntur vsque ad finem. Quod etiam seruatur cum dicitur *Credo*; & cùm dicitur *Dominus vobiscum*, *Oratio*, *Præfatio*, & *Pater noster*, Diaconus & Subdiaconus similiter stant vnus post alterum à tergo Celebrantis.

8. Cùm dicitur, *Dominus vobiscum*, & *Oratio*, Diaconus, & Subdiaconus stant retrò post Celebrantem. *Flectamus genua* dicitur à Diacono, à Subdiacono verò, *Leuate*, illo primùm genuflectente, hoc primùm surgente, Celebrans verò non genuflectit.

9. In Missa solemni Subdiaconus circa finem vltimæ

vltimæ orationis accipit ambabus manibus librum Epistolarum, deferens illum supra pectus, & factâ Altari genuflexione in medio, vadit ad partem Epistolæ contra Altare, & cantat Epistolam, quam etiam Celebrans interim submissa voce legit, assistente sibi Diacono à dextris, & item Graduale, Tractum, &c. vsque ad *Munda cor meum*. Epistola cantata Subdiaconus facit iterum genuflexionem Altari in medio, ac redit ad Celebrantem, & genuflectens, osculatur eius manum, & ab eo benedicitur, præterquam in Missis defunctorum.

10. Posteà item Subdiaconus accipit Missale Celebrantis, defert ad cornu Euangelij in Altari, & ibi ministrat Celebranti qui in medio Altaris submissa voce dicto, *Munda cor meum, &c.* & deinde lecto Euangelio, quod in fine non osculatur, delato etiam per Diaconum libro Euangeliorum ad Altare, imponit incensum in Thuribulum. Posteà Diaconus genuflexus ante Altare dicit, *Munda cor meum*, & accipiens librum Euangeliorum de Altari, petit benedictionem à Celebrante similiter genuflexus in superiori gradu Altaris, & osculata illius manu, præcedentibus Thuriferario & duobus Acolythis cum candelabris accensis de Credentia sumptis, vadit cum Subdiacono à sinistris ad locum Euangelij contra Altare versus populum, vbi Subdiacono librum tenente medio inter duos Acolythos tenentes candelabra accensa, dicit, *Dominus vobiscum*, iunctis manibus. Cùm dicit, *Sequentia, &c.* signat librum in principio Euangelij, frõtem, os, & pectus: posteà ter librum incensat, hoc est, in medio, à dextris, & à sinistris, & prosequitur Euangelium iunctis manibus. Interim Celebrans post datam Diacono benedictionẽ retrahẽs se ad cornu Epistolæ, ibi stat iũctis manib. Et cùm Diaconus

conus dicit, *Sequentia Sancti Euangelij*, Sacerdos etiam signat se, & cùm nominatur *Iesus*, caput inclinat versus Altare.

11. Finito Euangelio Sacerdos osculatur librum à Subdiacono sibi delatum, dicens, *Per Euangelica dicta, &c.* & à Diacono ter incensatur. Si sit coram Prælato in sua residentia, liber defertur ad Prælatum, vt suprà, & ille incensatur, vti in Cæremoniali. Postea stans in medio Altaris versus ad Crucem, incipit, si dicendum sit, *Credo*, stantibus, post eum Diacono & Subdiacono: deinde ad Altare accedentibus, & cum eo prosequentibus, vt dictum est ad *Gloria in excelsis*. Si autem sit prædicandum, Concionator finito Euangelio prædicet, & sermone siue concione expleta, dicatur *Credo*, vel si non dicendum, cantetur *Offertorium*.

12. Cùm verò in Symbolo cantatum fuerit, *Et incarnatus est*, Diaconus accepta bursa de Credentia, ambabus manibus eam defert eleuatam cum solitis reuerentijs ad medium Altaris, in quo explicat Corporale, & reuertitur ad Celebrantem. Cùm non dicitur *Credo*, Subdiaconus defert bursam simul cum calice, vt infrà dicetur.

13. Si quandoque Celebrans cantat Missam sine Diacono & Subdiacono, *Epistolam* cantat in loco consueto aliquis lector superpelliceo indutus, qui in fine non osculatur manum Celebrantis; *Euangelium* autem cantat ipse Celebrans ad Cornu Euangelij, qui in fine Missæ cantat. *Ite Missa est*; vel, *Benedicamus Domino*, aut, *Requiescant in pace*, pro temporis diuersitate.

14. Dicto *Oremus* Diaconus & Subdiaconus accedunt ad Altare in cornu Epistolæ, Diaconus amouet Calicem, si est in Altari, vel, si est in credentia, vt magis decet, accipit eum de manu Subdiaconi, qui illum cum Patena & Hostia, coopertum

pertum palla & velo à collo sibi pendente, manu sinistrâ tenens, & alteram manum superponens, velo, ne aliquid decidat, de Credentia detulit, comitatus ab Acolytho ampullas vini & aquæ portante: ipse Diaconus Calicem detegit & dat Patenam cum Hostia Celebranti, osculando eius manum; Subdiaconus extergit Calicem Purificatorio, Diaconus acceptâ ampulla vini de manu Subdiaconi imponit vinum in Calice, Subdiaconus interim ampullam aquæ ostendens Celebranti dicit, *Benedicite Pater Reuerende*, qui facto versus eam signo Crucis, dicit orationem, *Deus qui humanæ, &c.* Interim Subdiaconus infundit paulùm aquæ in Calicem, Diaconus illum Celebranti dat, & pedem Calicis tangens, seu brachium dextrum Celebrantis sustentans, cum eo dicit. *Offerimus tibi Domine, &c.* quem posteà positum in Altari vt suprà, palla cooperit. Subdiacono deinde stanti in cornu Epistolæ ponit in dextera manu Patenam, quam cooperit extremitate veli ab eius humero pendentis; qui vadit post Celebrantem ante medium Altaris, & facta genuflexione ibi stat sustinens eam eleuatam vsque ad finem Orationis Dominicæ, vt dicetur. In Missis autem defunctorum, & in feria sexta Parasceues Patena non tenetur à Subdiacono.

15 Dicto, *Veni Sanctificator*, vt suprà, Celebrans ministrante Diacono nauiculam, & dicente, *Benedicite Pater Reuerende*, ponit incensum in Thuribulum, dicens, *Per interc essionem, &c.* vt in ordine Missæ. Deinde accepto Thuribulo per manum Diaconi, nullam tunc faciens Cruci reuerentiam, incensat oblata, ter ducens Thuribulum super Calicem & Hostiam simul in modum Crucis, & ter circum Calicem & Hostiam, scilicet bis à dextra ad sinistram, & semel à sinistra ad

dextram (Diacono interim pedem Calicis tenente manu dextra) dispensans verba in qualibet incensatione hoc modo. In prima incensatione *Incensum istud*, in secunda, *à te benedictum*, in tertia, *ascendat ad te Domine* In quarta, *& descendat super nos*. In quinta & sexta, *misericordia tua*. Deinde facta reuerentia, incensat Crucem & Altare, vt dictum est suprà, assistente eodem Diacono, interim dicens, *Dirigatur Domine oratio mea, &c.* & cùm incensatur Crux, Diaconus amouet Calicem ad partem Epistolæ, & incensata Cruce reponit in loco suo. Cùm reddit Thuribulum Diacono, dicit, *Accendat in nobis, &c.* Et incensatur ab eo: deinde Diaconus incensat Chorum, & postremò Subdiaconum tenentem Patenam, & ipse Diaconus incensatur à Thuriferario, & Thuriferarius posteà incensat Acolythos & populum. Celebrans postquàm incensatus fuerit, lauat manus, ministrantibus Acolythis ampullam aquæ cùm peluicula & manutergio.

16. Cùm dicitur Præfatio Diaconus, & Subdiaconus stant retrò post Celebrantem: & paulò antequam dicatur *Sanctus*, accedunt ad Altare, vbi cum Celebrante hinc inde dicunt *Sanctus*, & quæ sequuntur vsque Canonem. Deinde Diaconus accedit ad sinistram Celebrantis, et assistens dum dicitur *Canon*, nisi alius Sacerdos assistat, quia tunc ipse staret ad dexteram aliquantùm post Celebrantem. Subdiaconus verò tunc stat post Celebrantem.

17. Ad finem Præfationis accenduntur duo saltem intorticia ab Acolythis, quæ extinguuntur post eleuationem Calicis, nisi aliqui sint communicandi, & tunc extinguuntur post Communionem. In diebus etiam ieiuniorum, & in Missis prædefunctis, tenentur accensa vsque ad Communionem. Dùm autem Celebrans dicit, *Quàm oblatio-*

oblationem, &c. Diaconus accedit ad eius dexteram, & ibi in superiori gradu Altaris genuflexus, cùm Sacramentum eleuatur, fimbrias Planetæ eleuat, & quando opus est, se erigens, Calicem discooperit & cooperit, &, cum Celebrante genuflectit. Subdiaconus genuflectit in loco suo. Thuriferarius genuflexus in cornu Epistolæ ter incensat Hostiam, cùm eleuatur, & similiter Calicem, posito incenso in Thuribulum absque benedictione. Repositio Calice, Diaconus redit ad librum, nisi alius assistat. Cæteri surgunt, & stant in locis suis.

18. Cùm Celebrans dicit, *Per quem hæc omnia, &c.* Diaconus factâ Sacramento genuflexione, accedit ad dexteram Celebrantis, & quando opus est, discooperit Calicem, & cum Celebrante adorat: similiter cooperit, & iterum genuflectit. Cùm incipit, *Pater noster*, idem vadit retrò post Celebrantem, facta priùs Sacramento genuflexione, vbi stat, dum dicitur oratio Dominica.

19. Diaconus stans retrò post Celebrantem, cùm in oratione Dominica dicitur, *Et dimitte nobis debita nostra*, facta ibidem genuflexione vadit ad dexteram Celebrantis, & Subdiaconus circa finem orationis Dominicæ, facta item genuflexione reuertitur ad Altare, & stans in Cornu Epistolæ porrigit Patenam Diacono, qui eam discooperit, & purificatorio abstergens dat Celebranti, illius manum osculando, & quando opus est discooperit, & cooperit Calicem, & cum Celebrante adorat. Subdiaconus reddita Patena, & deposito velo, quod ab humeris eius pendebat, genuflectit, & discendit retrò post Celebrantem: & cùm dicitur *Pax Domini*, iterùm genuflectens accedit ad sinistram Celebrantis, & simul dicunt, *Agnus Dei*: Deinde

facta ibidem Sacramento genuflexione, redit post Celebrantem. Diaconus verò à dextris genuflexus expectat pacem: & cùm Celebrans osculatur Altare, ipse se erigens simul osculatur illud extra corporale, & à Celebrante dicente, *Pax tecum*, complexus accipit pacem sinistris genis sibi inuicem appropinquantibus, & ei respondet *Et cum spiritu tuo*. Posteà iterum Sacramento in Altari adorato vertit se ad Subdiaconum retrò post Celebrantem; & similiter dat ei pacem. Subdiaconus accepta pace à Diacono, & facta Altari genuflexione, comitatus ab Acolytho vadit ad Chorum, & dat pacem primo cuiusque ordinis, dignioribus priùs, deinde minùs dignis, & reuersus ad Altare, facta genuflexione dat pacem Acolytho, qui ipsum comitauerat, qui & alijs Acolythis circa Altare dat pacem: deinde Subdiaconus vadit ad dexteram Celebrantis, & quando opus est, discooperit Calicem, accipit ampullam vini & infundit quando Celebrans vult purificare; Diaconus post datam pacem Subdiacono vadit ad librum, & dum Celebrans se communicat, stant, ipse & Subdiaconus profundè inclinati versus Altare.

20. In Missa Pontificali, assistens accipit & defert pacem, vt in Ceremoniali habetur. Si in Missa solemni fiat communio, omnia seruentur vt suprà, sed priùs communicet Diaconum & Subdiaconum, deinde alios per ordinem: & Diaconus purificationem eis ministret. Interim à Choro cantatur Antiphona, quæ dicitur, Communio.

21. In Missa solemni Diaconus defert librum Missalis ad cornu Epistolæ, deinde vadit retrò post Celebrantem: Subdiaconus verò vadit retrò ad cornu Euangelij, vbi calicem mundat, aptat cum purificatorio, Patena & palla cooperit, plicat,

plicat Corporale, reponit in bursam, & illam ponit super Calicem coopertum velo, quem collocat in Altari, vel super Credentia vt priùs: postea redit ad locum suum retrò post Diaconum: qui cùm dicit, *Ite Missa est*, cum Celebrante vertit se ad populum: & in Quadragesima dicto per Celebrantem *Oremus*, Diaconus in cornu Epistolæ vertens se ad populum: iunctis manibus dicit vt suprà, *Humiliate, &c.* quo dicto vertit se versus Altare à tergo Celebrantis, & Celebrans dicit orationem super populum.

22. In Missa solemni Celebrans eadem voce & modo quo in Missis priuatis, semel tantùm benedicit populo, nisi sit Episcopus: & dicto Euangelio secundum Ioannem, vel alio vt suprà ministrante Subdiacono librum, si opus est, discedit cum ministris ordine & modo quo venerat.

23. Episcopus autem ter benedicit populo, etiam in Missis priuatis, vt in Ceremoniali habetur.

RITVS ET CEREMONIAE IN *MISSA SOlemni seruandæ parciùs in Rubricis superiùs sunt descriptæ. Quare, ne quid in hoc Compendio Sacrorum Rituum desit, fusiùs de officio Sacerdotis Missam solemnem Celebrantis, aliorumq; ministrorum in eadem seruientium sequentibus titulis tractabitur.*

TITVLVS II.

De ipsa Missa solemni in specie.

1. MIssa solemnis, principalis & conuentualis est eadem, & dicitur illa quæ maiore

quàm Missa priuata celebritate, cum Ministris sacris infrascriptis celebratur, quæ in Ecclesijs Cathedralibus, Collegiatis & Religiosorum quotidiè, in alijs verò saltem diebus festis celebrari debet: eius tanta erat antiquitùs celebritas, vt nullo modo reliquis Sacerdotibus liceret priuatas Missas ante Tertiam celebrare, ne scilicet populus à publico & solemni sacro distraheretur, sed vt omnes Sacerdotes & vniuersus populus ad publica Missarum solemnia, & prædicationem verbi Dei conuenirent.

Castaldus Praxi Cære. lib. 1. sect. 9. num. 1.

2. Sed alia est solemnis: alia minùs solemnis, solemnis est ea quæ in festis solemnioribus cantatur, in qua nihil à Rubricis præscriptum omittitur, quòd ad solemnitatem indicandum spectat: minùs solemnis dicitur illa quæ in ferijs & festis non solemnibus cum ministris quidem cantatur, sed in ea omittitur incensatio Altaris & Chori, osculum pacis, aliæque solennitates secundum vniuscuiusque Ecclesiæ proprios mores & laudabiles consuetudines, Rubricis tamen non repugnantes. Quæ quidem à Rubricis non præscribuntur; tolerantur tamen, vt inter festa & profesta appareat differentia; hic autem, Missa minùs solemni in alium titulum reiecta, tractabitur de ipsa solemni.

Gauantus comment in Rubri. Part. 2. Tit. 2 n. 5.

3. Huiusmodi Missa solemnis iuxta Rubricas generales in Duplicibus, & semiduplicibus, in Dominicis, & infra octauas, dicta in Choro Hora Tertia. In festis simplicibus, & ferijs per annum, dicta sexta. In aduentu, Quadragesima, Quatuor Temporibus, etiam infra octauam Pentecostes, & vigilijs quæ ieiunantur, quamuis sint dies solemnes, Missa de tempore cantari debet post Nonam.

Rubr. gener. Miss. tit. 15. num. 2.

4. Missæ votiuæ, quia non respondent officio, si solemniter celebrentur pro re graui, vel publica

Rubr. gener. Missal. tit. 9. num. 5.

publica Ecclesiæ causa, cum populi frequentia, cantantur post Nonam.

5. Excipiuntur ab hoc ordine dicendi Missam conuentualem, Missæ in Natiuitate Domini quarum prima dicitur post mediam noctem, finito *Te Deum laudamus* in Matutino, secunda in Aurora, dictis laudibus & Prima, tertia verò in die post Tertiam, vel vbi aliter ex dispensatione Apostolica disponatur. *Rubr. gener. Miss tit. 15. num. 4.*

6. In Missa solemni clara voce à Celebrante dicuntur, quando intonatur *Gloria in excelsis*, & *Dominus vobiscum*, *Oremus*, ante orationes, & Offertorium, Præfatio, *Pater noster*, *Pax Domini*, & orationes ante Epistolam, & post Communionem. Alia quæ in Missa priuata dicuntur clara voce, in Missa solemni à Celebrante dicuntur submissa voce, audientibus tamen ministris sacris. *Rubr. gener. Miss. tit. 16. num. 3.*

7. In eadem Missa solemni Celebrans genuflectit ad omnia vt in Missa priuata, præterquam ad *flectamus genua*: & tunc ipse solus stat. Diaconus verò & Subdiaconus, & omnes alij genuflectunt. Ad versum verò. *Adiuuanos Deus &c.* & ad Versum *Veni Sancte Spiritus, &c.* genuflectit vtroque genu in medio Altaris, vsque ad finem. Item genuflectit in die Annuntiationis Beatæ Mariæ, & in tribus Missis Natiuitatis Domini, etiam quando cantatur in Choro *Et incarnatus est, &c.* Alijs diebus, si sedent cùm cantantur ea verba, non genuflectit, sed caput tantùm profundè inclinat: si non sedet genuflectit in superioris Altaris gradu. *Rubr gener. Missal tit. 17. v. 3.* *Gauantus in Rubr. Miss Part. 1 Tit. 17. n. 3. lit. p.*

8. Itaque pro Missarum solemnium celebratione, tempore conuenienti, Sacrista in Sacristia super mensam oblongam præparat omnia paramenta necessaria pro Celebrante & ministris,

ſcilicet tres Amictus, Albas, & cingula totidem, tres manipulos, duas ſtolas, Dalmaticam, & Tunicellam pro Diacono & Subdiacono ſi eis vtantur, alias duas planetas plicatas, quando eis indui debent, vt *part. 1. Tit. 19. n. 6.* dictum eſt. Item Planetam ſeu Caſulam pro Celebrante, ita vt illius paramenta ſint in medio, illa Diaconi à dextris, & Subdiaconi à ſiniſtris, & coloris conuenientis, atque Pluuiale pro Presbytero aſſiſtente, ſi eo vti poſſit, & alia pluuialia pro aſſiſtentibus aut cantoribus in Choro.

9. Præparetur pro Miſſa ſolemni Abacus, ſeu Menſa, quam credentiam vocant à latere Epiſtolæ in plano Presbyterij ſine vllis gradibus, erit autem breuis demiſſa, & ſimplex, linteo mundo vſque ad terram vndequaque pendente cooperta, eius tamen menſuræ, vt omnia neceſſaria in Miſſa ſuper eam poni poſſint videlicet duo candelabra cum cereis albis, Miſſale vnum ſeu duo, pro Epiſtola & Euangelio cantandis, in ipſius medio Calix cum Patena, Palla, Purificatorio, & Burſa corporale continens, atque ibi proximè capſa hoſtiarum cum Hoſtijs, & pelucula cum Ampullis vini & aquæ. Item Campanula ad elevationem SS. Sacramenti pulſanda, eaque omnia cooperientur velo coloris conuenientis, quo vtetur Subdiaconus cùm Patenam tenebit. Ac reliqua omnia quæ vſui eſſe poſſunt, iuxta ſolemnitates & functiones, quas exercere oportet, nec alio apparatu, ſeu pompa vaſorum ornabitur, niſi Celebrante Epiſcopo, & maximè celebrante aliquo S. R. E. Cardinale quibus credentia ſolemni apparatu vaſis argenteis referta debetur. Sed neque Crux, neque Sanctorum Imagines, aut Reliquiæ in ea ponendæ ſunt, niſi fortè aliqua tabella, aut Imago quam populus oſculetur ad oblationem, ſi facienda ſit, ſecundum conſuetudinem locorum,

Gauantus comment. in Rubr. Miſſ. part 2. tit. 2. n. 5 lit. x & y

Carem Epiſ. lib. 2. c. 8.

locorum, alias nulla prorsus apponi debet.

10. Præparetur Missale apertum in cornu Epistolæ super Altare, antequàm Celebrans veniat ad Altare.

11. Præterea in latere Epistolæ in plano paretur sedes vel scamnum oblongum panno decenti viridi opertum, super quo Celebrans & ministri sedeant, vt infrà, dum modo SS. Sacramentum non sit expositum, tunc enim videtur superfluum, cùm Celebrans sedere non soleat ad huiusmodi Missam, nisi vrgente magna necessitate, & tunc posset parari.

12. Si Euangelium legatur in pulpito, & Epistola in alio pulpito, aut ambone, parari etiam debent pannis pretiosis, sed præcipuè pulpitum Euangelij coloris Missæ conuenientis, vt infrà.

13. Hæc omnia parata esse debent, si fieri potest, ante aduentum Celebrantis in Sacristiam, ita vt nihil prorsus desit eorum quæ sunt necessaria quando aduenerit.

TITVLVS III.

De officio Sacerdotis Missam solennem celebrantis.

1. HOra competenti, & assignata de more, omnes tam Celebrans quàm Ministri in Sacristiam conueniunt; ibique ministris paratis Celebrans facta oratione lauat & tergit manus, tum accedit ad Paramenta quibus adiuuantibus ministris induitur dicens ad singula Orationes in Missali assignatas.

2. Celebrans omnibus paramentis, vt in Missa priuata indutus, omnesque ministri cum eo, Ceroferarij scilicet cum candelabris & cereis accensis hinc inde omnium postremi, Diaconus à dex-

tris, & Subdiaconus à siniſtris Celebrantis, & Thuriferarius à dextris Diaconi, ita vt Celebrans sit in medio, firmant se quasi rectam efficientes, si fieri potest, lineam, ante imaginem quæ est in Sacristia nudo capite; & tunc ministrante Diacono nauiculam, & Thuriferario thuribulum, imponit, & benedicit incensum in thuribulum eodem prorsus modo, vt infrà. *n.* 13. præscribitur.

Gauantus comment. in Rubr. Miss part. 2. Tit. 2. n. 5. lit. Z.

3. Deinde Celebrans, & omnes alij nudis adhuc capitibus ibidem imagini principali profundam faciunt reuerentiam, & postea Ministri salutant Celebrantem, qui etiam eis aliquantulum se inclinabit recto capite: & statim procedunt ad Altare ad quod Missa debet Celebrari, hoc ordine.

4. Præcedit Thuriferarius thuribulum dextra, Nauiculam siniſtra tenens. Sequuntur duo Acolythi deferentes candelabra cum cereis accensis, Postea Cæremoniarius, si adsit, manibus iunctis sine bireto. Deinde Subdiaconus solus, & post eum Diaconus, vltimò Celebrans, & hi tres, recto capite & manibus iunctis. Si verò Celebrans aliquando vtitur Pluuiali, aut sola alba vt in benedictione candelarum, & aspersione aquæ benedictæ & alijs huiusmodi, hi tres procedunt quasi pares, eleuantibus ministris Pluuiale Celebrantis. Si Sacristia sit post Altare, omnes egrediuntur per portam quæ est à latere Euangelij & regrediuntur per portam Epistolæ, si duæ sint, post finem Missæ.

Gauantus loco cit. lit. Z. & a.

5. Si procedendo transeunt ante Altare maius ad quod Missa non sit Celebranda, modò ibi sit SS Sacramentum in Tabernaculo, omnes nudo capite genuflectunt, si verò non adsit omnes excepto Celebrante etiam genuflectunt Cruci. Si ibi sit expositum, aut in Altari sit propter Missam, quæ forte ibi celebratur vtrumque

Gauantus loco cit. sub lit. b.

flectunt

flectunt genu; à lateribus Celebrantis, & si eleuatur non surgunt, donec repositum sit super Altare, Ministri quidem sacri à lateribus Celebrantis, alij in locis suis habentes Thuriferarium medium. Ante alia Altaria nulla fit reuerentia.

6. Cùm Celebrans peruenerit ante infimum gradum Altaris deposito bireto ad manum Diaconi, Altari, seu imagini Crucifixi desuper positæ profundam facit reuerentiam simul cum ministris, vel si in eo asseruetur SS. Sacramentum genuflectit vno genu in plana terra, & medius inter Diaconum à dextris & Subdiaconum à sinistris stans erectus manibus iunctis incipit Missam vt in Ordinario Missæ, & dicens *In nomine Patris, &c.* se signat, & cum in Confessione dicit. *Vobis fratres*, & *Vos fratres* aliquantulum se inclinat ad ministros stantes, incipiens primò a parte Epistolæ versus Diaconum, dum dicit *vobis*, & posteà versus Subdiaconum dum dicit *vos fratres*. Idem facit dicens *Misereatur vestri, &c.*

Gauantus loc cit. litt. c.

Rubr gener. Miss. tit. 2 n. 5. Carem. Epise tit. 2 c. 8. Gauantus part. 2. tit. 2. n. 5. li. b. &c

7. Factâ Confessione ascendit cum Ministris ad medium Altaris, & postquàm illud osculatus est, stans in medio illius conuertit faciem suam ad cornu Epistolæ, atque accepto cochleari de manu Diaconi sinistram tenens infrà pectus positam, ter è nauicula thus accipit eodem cochleari, & ter immittit in Thuribulum tribus distinctis vicibus dicens *Ab illo benedicaris in cuius honore cremaberis. Amen.* Quæ verba sic dispensat, vt in prima thuris impositione dicat *Ab illo benedicaris*, in secunda, *in cuius honore*, in tertia *cremaberis. Amen.* Et statim reddit Diacono cochlear. Deinde dextrâ manu apertâ, signum Crucis super thus in Thuribulo adhuc aperto producens, benedicit nihil dicendo.


Rubr. gener. Miss. tit. 4. num. 4. Gauanti. ibid lit. y. & z Car Epis. lib. 3. cap 23.

Rubr. gen. Miss part. I. tit. 4. n. 4. Cerem. Epis. lib. 1. cap. 23.

8. Mox accipit de manu Diaconi thuribulum, & ad Altare conuersus profundè se inclinat Cruci, sed tabernaculo SS. Sacramenti, si adsit, genu flectit, extremitatibus manuum super Altari positis vt faciliùs genu flectere & surgere valeat. Eleuato deinde Thuribulo, ter incensat Crucem in medio tantùm æquali ductu, ita vt ad vnumquemque ictum tantillum quiescat, & tractim ducat thuribulum, nihil dicens, ac iterum facta debita reuerentia Altari, si erunt super Altari Reliquiæ aut Imagines Sanctorum, hinc inde à lateribus Crucis, thurificabit primò Reliquias, seu imaginem à dextris, scilicet à latere Euangelij existentes duplici ductu; & deinde facta prius debita reuerentia Cruci, aut tabernaculo imaginem seu Reliquias à sinistris pariter duplici ductu. Procedit deinde, ab eadem parte sinistra seu cornu Epistolæ, & thurificabit alias Reliquias seu imagines ab eodem latere sinistro crucis existentes, ter thuribulum ducens eundo versus cornu Epistolæ, etiam si plures essent Reliquiæ, aut imagines, quàm tres ab eo latere; vel etiam si nullæ sint Reliquiæ aut imagines thurificabit earum loco Altare, ter thuribulum ducens æquali distantia, prout distribuuntur candelabra, &, cùm erit in cornu Epistolæ, demissa manu, illud primùm inferiùs, bis ducto thuribulo, thurificabit: mox conuersus ad Altare, eleuans manum, incensat eius planitiem, seu mensam in parte anteriori ter ducens thuribulum vsq; ad medium: vbi iterum facta Cruci aut tabernaculo debita reuerentia, procedet thurificando alias Reliquias seu imagines, aut earum loco Altare, prout in latere dicto Epistolæ fecit; & pariter incensat inferiori & superiori parte ipsius cornu Euangelij duplici ductu, adhuc stans ibidem eleuans thuribulum, ter incensat superiorem tabulæ partem

versus

ORDO INCENSATIONIS ALTARIS.



fol. 229.





versus medium Altaris vt fecit in cornu Epistolæ; deinde manu aliquantùlùm demissa incensat anteriorem eius partem, seu frontem, ter ducens Thurihulum dum procedit à cornu Euangelij vsque ad medium Altaris: vbi denuò facta Cruci reuerentia, incensat similirer triplici ductu reliquam partem anteriorem Altaris vsque ad cornu Epistolæ, vbi firmat se reddens thuribulum Diacono, à quo ipse solus triplici ductu thurificatur. Stans erectus iunctis manibus ne modicum quidem caput inclinando.

9. Si in Altari fuerit Tabernaculum *SS.* Sacramenti accepto thuribulo antequam incipiat incensationem genuflectit, quod item facit, quotiescunque transit ante medium Altaris.

10. Si Sanctissimum Sacramentum sit palenter expositum, ea facienda erunt quæ præscribuntur infra, Tit. 4. n. 5. *Vt Sacerdos modum thurificandi Altare tam in Vesperis quàm Missa hic descriptum facilius intelligere atque practicare possit, hanc imaginem thurificationis placuit hoc loco apponere.*

11. Post incensationem ipsi à Diacono factam Celebrans conuersus ad librum in eodem cornu Epistolæ legit solus. *Introitum* submissa voce, sed tam intelligibili, vt à ministris audiatur signans se signo crucis vt in Missis priuatis, & ibidem *Kyrie eleison* cum ministris alternatim absoluit. *Rubr. gener. Missal. tit. 4. n. 7. Gauantus part. 2. tit. 4. num 7. lit. i.*

12. Quo dicto, nisi Sanctissimum Sacramentum sit expositum, Celebrans facta Cruci inclinatione seu genuflexione (si in Altari fuerit Tabernaculum *SS.* Sacramenti) descendendo per breuiorem viam à latere Epistolæ cooperto capite medius inter Diaconum & Subdiaconum in scamno oblongo, & decenter vestito in plano, à latere Epistolæ parato, potest sedere donec idem *Kyrie eleison* à Choro absoluatur. *Gauantus part. 2. tit. 4. nu. 7. lit n.*

13. Dum in choro cantatur vltimum *Kyrie eleison* Celebrans si sederit, præcedentibus Diacono & Subdiacono accedit manibus iunctis ante infimum gradum Altaris in medio, ibique facta genuflexione, aut inclinatione, vt supra, ascendit ad medium Altaris atque ibidem, dicendum sit, cantat clara & sonora voce *Gloria in excelsis Deo*, & submissa prosequitur vna cum ipso Diacono à dextris & Subdiacono à sinistris astantibus, quo dicto sedet, vt prius, si velit.

Gauantus part. 2. tit. 4. n. 7. sub lit. n.

Gauantus part. 2. tit. 4. n. 7. lit. n.

14 Dum in Choro sub dicto hymno *Gloria in excelsis*, cantantur verba ad quæ secundum Rubricas inclinandum est, sedens deposito bireto ad similia verba inclinat, stans autem apud Altare, similiter inclinat.

15. Finito per chorum Hymno *Gloria in excelsis, &c.* vel si non dicendum sit, finito vltimo *Kyrie eleison.* Celebrans adhuc sedens dat biretum suum Diacono & surgens per gradus anteriores Altaris ministris præcedentibus procedit ad Altare; factaque ei in infimo gradu debita reuerentia ascendit ad Altare, quo osculato in medio ad populum se conuertens dicit. *Dominus vobiscum.* *Oremus* seu orationes sub vno & eodem tono.

Rubr. gener. Missal tit. 6. num 4.

16. Finitis *orationibus*, submissa voce legit *Epistolam*, interea dum Subdiaconus eam cantat, item *Graduale*, *Tractum* & alia vsque ad *Munda cor meum*, exclusiuè.

Rubr. gener. Miss. loco cit.

17. Cantata Epistola à Subdiacono vertens se parùm ad cornu Epistolæ versus Subdiaconum, offert ei coram se genuflexo, manum dextram exteriùs deosculandam, sinistra super Altari retenta, & facit super eundem signum crucis nihil dicens.

18. Tum accedens ad medium Altaris, dicit ibi, *Munda cor meum, &c. Iube Domine benedicere*

Dominus

Dominus sit in corde meo, &c. deinde vertens se ad librum in cornu Euangelij, Subdiacono assistente à sinistris eius, dicit submissa voce, *Dominus vobiscum* & legens titulum Euangelij seipsum, & textum more consueto signat, mox Euangelium vsque ad finem prosequitur in cuius fine Minister assistens respondebit *Laus tibi Christe*, Celebrans verò non osculatur librum, neque dicit *Per Euangelica dicta, &c.* *Rubr. gener. Miss. tit. 6. num. 5.*

19. Deinde reuersus ad medium Altaris, ibique manet stans donec Ministrante Diacono Nauiculam & Thuriferario thuribulum, imponit & benedicit thus, vt suprà ante introitum n. 14. præscriptum. Posteà Diacono cum Euangeliorum libro veniente & genuflexo in superiori gradu Altaris benedictionem petenti, ad illum conuersus, benedicit dicens. *Dominus sit in corde tuo, & labijs tuis vt dignè & competenter annunties Euangelium suum*, & cùm dicit *In nomine Patris & Filij & Spiritus Sancti Amen*, faciens super eum signum Crucis dextra manu, quam deinde illi deosculandum offert, sinistrā infra pectus tenendo. *Rubr. gener. Miss. tit. 6. num. 5.* *Gauantus part. 2 tit. 6. num. 5. lit. c.*

20. Post datam Diacono benedictionem, statim facta Cruci reuerentia retrahit se ad cornu Epistolæ, & dum Diaconus incipit *Dominus vobiscum*, vertit se ad eum iunctis manibus antè pectus, dum verò canitur *sequentia* vel *Initium Sancti Euangelij, &c.* signat se iterum in fronte, ore, pectore, & dum profertur à Diacono nomen ad quod est inclinandum inclinat se, ad nomen tamen *Iesu*, versus Crucē & similiter versus Altare genuflectit, dū sub Euangelio genuflectendū est. *Rubr. gener. Missal. tit. 5. num. 5.*

21. Cantato Euangelio per Diaconum, adhuc stans eodem loco, librum sibi à Subdiacono oblatum, ambabus manibus hinc inde accipit, & parùm inclinatus, osculatur principium Euangelij cantati dicens,

Per

Per Euangelica dicta deleantur nostra delicta.

Deinde iunctis adhuc manibus, vt priùs, Diacono triplici thurificatur ductu.

22. Celebrans postquam incensatus fuerit stans in medio Altaris versus Crucem incipit, dicendum sit, *Credo*, vt in Missali. Dum dicit *Credo* extendit & eleuat manus; dicens *in vnum* iungit eas ante pectus: dicens denique *Deum* caput Cruci inclinat, & omnes Ministri cum eo. Quod prosequitur submissa voce cum Diacono & Subdiacono sibi hinc inde astantibus. Cum dicit *Et incarnatus est*, vsque ad, *Et homo factus est* inclusiuè cum ministris astantibus genuflectit.

Rubr. gener. Miss. tit. 17. num. 3. & 6. Gauantus part 1. tit. 17 n. 3. lit. h. & seq.

23. Lecto Symbolo potest sedere vt dictum est ad *Kyrie eleison* & *Gloria in excelsis*; & dum cantatur à Choro versiculus. *Et incarnatus est de Spiritu Sancto* vsque ad versiculum *Crucifixus* exclusiuè, si non sedet, in superiori Altaris gradu genuflectit; si autem sedet, cum Diacono & Subdiacono profundè inclinat capite aperto. *Praeterquàm* in die Annuntiationis B. Mariæ, & in tribus Missis Natiuitatis Domini, in quibus si sedeat, ad dictum versiculum iterum genuflectit apud scamnum, aut sedem, vbi sederit.

Carem. Epis. lib. 1. c.

24. Si sit prædicandum Concionator finito Euangelio prædicet, & sermone sine concione expleta, dicitur *Credo* vel si non sit dicendum, canterur *Dominus vobiscum* cum Offertorio.

25. Finito per Chorum *Symbolo* vel si non sit dicendum, eo omisso, osculato Altari in medio & ad populum conuersus cantat *Dominus vobiscum*, & iterum ad Altare conuersus *Oremus*; ac lecto submissa voce Offertorio, accipit de manu Diaconi patenam cum Hostia, quam offert vt in Missis priuatis.

Rubr. gener. Miss. t. 7. n. 6.

26. Po-

26. Posita hostia super Corporali, & patena subtus corporale, dictoque per Subdiaconum *Benedicite Pater Reuerende*, Celebrans iunctis manibus incipit. *Deus qui humanæ*, &c. & dum dicit. *Da nobis per huius aquæ & vini mysterium*, dextrâ facit signum Crucis versus aquam in calice miscendam sinistrâ super altare positâ. *Carem Episc. lib. 2. c. 8.*

27. Absoluta hac oratione accipit à Diacono Calicem ambabus manibus, dextrâ scilicet nodum, infra cuppam, sinistra pedem illius tenens, illumque offert dicens simul cum Diacono orationem *Offerimus tibi Domine, &c.* Deinde collato super Altare caliee prosequitur orationes solitas scilicet. *In spiritu humilitatis, &c.* & *Veni sanctificator, &c.* cum cæremonijs, vt in Missa priuata.

28. Dicto à celebrante *Veni sanctificator*, Diacono ministrante Nauiculam & Thuriferario thuribulum vt initio Missæ, Celebrans ter imponens thus in thuribulum dicit. *Per intercessionem Sancti Michaelis Archangeli stantis à dextris Altaris incensi, & omnium electorum suorum, incensum istud dignetur Dominus ✠ benedicere, & in odorem suauitatis accipere. Per Christum Dominum nostrum. Amen.* *Rubr. gener. Miss. t. 7. n. 10.*

Dum dicit, *benedicere* reddito Diacono cochleari producit manu dextra signum crucis super thuribulum fumigans. *Gauantus part. 2. tit. 7. n. 10. lit. v.*

29. Deinde accepto thuribulo per manus eiusdem Diaconi; nullam faciens reuerentiam (licet expositum sit sanctissimum Sacramentum) absolutè thurificat oblata, ter ducens thuribulum super Hostiam & Calicem simul, in modum crucis in recta linea, non autem quatuor puncta designando, & ter circum Calicem & Hostiam, scilicet bis à dextra sua ad sinistram transiens priùs inter Crucem & Calicem & semel sinistra ad dextram, *Car. Episc. lib. 2 c. 28. pag. 115.*

tram, dispensans verba in qualibet thurificatione hoc modo: in prima. *Incensum istud*. In secunda, *à te benedictum*. In tertia *ascendat ad te Domine* In quarta *& descendat super nos*. In quinta & sexta *misericordia tua*.

30. Tum facta Altari debita reuerentia, thurificat Crucem, deinde Reliquias seu imagines, & Altare vt supra n. 8. ante Introitum præscriptum est, dicens interim: *Dirigatur Domine oratio mea, sicut incensum in conspectu tuo: eleuatio manuum mearum sacrificium vespertinum: Pone Domine custodiam ori meo, & ostium circumstantiæ labijs meis: vt non declinet cor meum in verba malitiæ, ad excusandas excusationes in peccatis.* Quæ verba tractim dicta, distinguit, & ita dispensat, vt eodem tempore cum thurificatione finiat.

Rubr gener. Miss tit. 7. num. 80.

31. Completa incensatione altaris Celebrans reddit thuribulum Diacono in cornu Epistolæ dicens. *Accendat in nobis Dominus ignem sui amoris, & flammam æternæ charitatis Amen.* & incensatur à Diacono triplici ductu, excipiendo incensum iunctis manibus, versus incensantem nulla capitis inclinatione facta.

Rubr. gener. Miss. tit. 7. num. 10.

Compen. Cæremon. cap. 16. num. 7.

32. Quo facto lauat manus, id est, extremitates digitorum pollicis & indicis dicens Psalmum, *Lauabo inter innocentes manus meas, &c.* aliaq; facit & obseruat prout in Missis priuatis vsque ad Orationem Dominicam: sed cantanda canit in cantu competenti, & non discooperit aut cooperit Calicem, aut etiam Missalis folia vertit, nisi in defectu Diaconi & Subdiaconi.

Rubr. gener. Miss. tit. 10 n. 8

33. Finita oratione Dominica Celebrans accipit de manu Diaconi Patenam inter indicem & medium digitos, pollice & indice non disiunctis.

Rubr gener. Miss. tit. 10. num. 8.

34. Si pacem dare, Missæ conueniat, Celebrans dicta oratione *Domine Iesu Christe qui dixisti, &c.* osculetur Altare & Diaconum ad dextrum latus

expectan-

expectantem complectitur, ac sinistram genam suæ sinistræ eius appropinquans, dat illi pacem dicens *Pax tecum*. Quo facto prosequitur alias orationes.

35. Sumpta ablutione & abstersо ore ad Purificatorium, vadit ad cornu Epistolæ, vbi lecta à se & à Choro cantata communione vadit ad mediũ Altaris, dicit *Dominus vobiscum* & Post communiones vti orationes initio Missæ. Quibus dictis relinquens librum apertum redit ad medium Altaris, vbi de more dicit *Dominus vobiscum* versus populum, & responso à Choro *Et cum Spiritu tuo* dicit submissa voce *Ite missa est* & sic manet stans versus populum donec Diaconus *Ite missa est* cantando absolucrit.

Rubr gener. Miss. t. 11. n. 3

Gauantus part. 2. tit. 11. num 3. lit. I.

Carem. Epis. lib. 2. cap. 8. sub fin.

36. Posteà dicto secretò *Placeat tibi, &c.* osculatoque Altari eâdem voce & modo, id est, clarâ voce vt in Missis priuatis, semel tantùm benedicit populum.

Rubr gener. Miss t. 12. n. 7

37. Dicto in cornu Euangelij more solito Euangelio secundum Ioannem, vel alio quod conuenit, facta ante infimum gradum simul cum ministris Altari debita reuerentia ordine & modo quo venerat redit ad Sacristiam, pro gratiarum actione dicens Antiph. *Trium puerorum*, & Canticum, *Benedicite, &c.*

Rubr. gener. Miss. tit. 12. num. 7.

ANNOTATIONES

in Missam solemnem.

§. 1. Missa tam solemnis quàm minùs solemnis in ijs Ecclesijs in quibus Horæ canonicæ cantari solent, semper dici debet post aliquam Horam in Choro cantatam etiam nocte Natiuitatis Domini, vt Horæ canonicæ sint quasi quædam ad Missam præparatio.

Gauantus comment. in Rubr. Miss. part. 1. ti. 15. num. 2.

§. 2. Si

§. 2. Si propter terræ frigiditatem populus ve
Gauantus loc. cit. lit. a. tardiùs ad Ecclesiam pro Missa solemni, præstat d
ferri tempus recitandi Horam Tertiam, quàm cant
re Missam de Festo, seu Dominica post Sextam ; it
censuit Sacra Rituum Congregatio referente Alcoc
in suo Cæremoniali.

§. 3. Errant qui Ampullas, librum Euangeliorum
seu Epistolarum, aliaque imponenda Credentiæ, Alta
ri imponunt.

Gauantus loc cit. par. 2. tit. 2. num. 5. lit. a. §. 4. Missale apertum super Altare per Cæremonia-
rum, Acolythum, aut Sacristam poni debet, antequàm
Celebrans incipiat Confessionem, si minùs, ante-
quàm veniat ad Altare, collocatum fuerit: quia etiam
in Missa priuata aperitur Missale ante Confessionem.

§. 5. Celebrans dum se induit poterit appendere
cingulo suo à parte dextra sub ipsa Planeta Sudario-
lum, si opus sit, vel Diaconus secum portare, vt illud
Celebranti ministret prout opus erit.

§. 6. Si dicenda sit hora Tertia solemniter secun-
dum consuetudinem locorum, Celebrans paratus
cum Alba, Stola, & Pluuiali procedit in chorum, &
dum dicuntur Psalmi, ministri Sacri parant se in Sa-
cristia, atque finitâ Tertiâ illi ministrant porrigendo
illi manipulum & Planetam.

Gauantus par. 2. tit. 2. n. 5. sub lit. c. §. 7. Progrediens Sacerdos ad celebrandam Missam
solemnem cùm non gestat Calicem, ad quamuis re-
uerentiam cuiuis faciendam, denudat caput.

§ 8. Quod si Altare ita situm sit, vt Celebrans ad il-
lius medium non possit accedere quin priùs transeat
per partem Euangelij, aut Epistolæ, v. g. quando Sacri-
stia est retro post Altare aut alio modo, tunc ministri
illius partis parùm retrocedere debent, vt Celebranti
transitum facilem præbeant, cui illi tunc se inclinant
videlicet Diaconus & primus Ceroferarius si transeat
per latus Epistolæ, & vice versâ Subdiaconus & secun-
dus Ceroferarius per latus Euangelij.

§. 9. Si autem rectâ pergant ad Altare, dum ad il-
lud accedunt Diaconus, Thuriferarius, & primus Ce-
roferarius recedunt ad partem Epistolæ, Subdiaconus
verò & secundus Ceroferarius, ad partem Euangelij.

§. 10. Dum Celebrans ex Sacristia venit ad Altare
dat Diacono biretum suum, quod, sicut & ministro-
rum bireta, deponuntur à Cæremoniario aut Acoly-
tho extra Credentiam super aliquod scamnum ; puta
vbi sunt sessuri, vel in alio loco decenti : nunquam ta-
men

men in Altari, quod & in priuatis Missis obseruandum.

§. 11. Si antequàm Celebrans incipiat Missam, videlicet ante *In nomine Patrù*, eleuetur SS. Sacramentum ad altare ipsi propinquum, Celebrans & ministri debent omnes genuflectere; si post signum Crucis aduertant, non, nisi fortè id accidat dum sedent, quia tunc debent genuflectere, sicut dum sunt in via, sed in hoc casu Minister abstineat à pulsatione campanulæ, hoc tamen intelligendum est quando altaria in quibus eleuatur SS. Sacramentum sunt valde proxima, & in conspectu Celebrantis. Sed quantùm fieri potest, abstineatur à celebratione Missæ priuatæ in Altaribus conspectui Missam solemnem celebrantis obiectis, tempore Missæ solennis.

§. 12. Priusquàm Celebrans incipit *In nomine Patrù, &c.* genuflectit si in Altari est tabernaculum SS. Sacramenti, vel si non sit, caput profunde inclinat Cruci. Ministri verò tam Diaconus quam Subdiaconus atque alij Cruci quæ in Altari est genuflectunt per totam Missam quando contingit eos ante illam transire. *Rubr. gener. part. 1. tit. 4. num. 7.*

§. 13. Celebrans postquam inceperit Missam atque dixerit *In nomine Patrù, &c.* nec ipse, nec ministri aduertere debent ad quemquam in alio Altari Celebrantem, manusque ita teneant iunctas ante pectus, vt ipsi, si fieri potest, Planetam, aut Dalmaticam, aut Tunicellam non tangant, neque eis prorsus submittant.

§. 14. Aduertat etiam Celebrans, vt ita moderate se gerat in iis, quæ sui sunt muneris, vt à ministris omnia modestè & tempestiuè fiant, ne nimiâ festinatione peragere debeant, quæ eis incumbunt.

§. 15. Quàm primùm Celebrans incipit *In nomine Patrù &c.* cantatur Introitus in Choro, deinde *Kyrie eleison*, Ideò Celebrans non debet exspectare in Sacristia donec dicatur *Kyrie eleison* vt procedat ad Altare, sed semper inchoare debet Missam dum cantores incipiunt Introitum. *Carem. Epis. lib. 2. cap. 8.*

§. 16. Dum Celebrans ante Introitum thurificat Altare nihil ab ipso dicendum est. Materies quæ ad hibetur pro incenso debet esse solum & purum thus boni odoris, vel si aliqua addantur aromata, aduertatur vt quantitas thuris, longè superet: illudque thus non sit omnino contusum, ne repente euanescat, aut nimis solidum, ne omninò cremari possit *Carem. Epis. lib. 1. cap. 23.*

§. 17. Celebrans dum capit de manu Diaconi thuribulum,

bulum, sinistrà catenulas quibus thuribulum sustinetur, in earum summitate; dextrâ verò easdem catenulas iunctas prope thuribulum teneat, ac thuribulum sustineat; ita vt illud commodè ducere versus Crucem & imagines prædictas, & ad se retrahere possit: quod fit, si ipse Celebrans, accepto thuribulo, teneat dextram, quoad fieri potest, proximiorē ipsi thuribulo, ita vt parum catenularum spatium remanet inter ipsius manum dextram & thuribulum, præsertim cùm thurificantur oblata, nam si nimis thuribulum pendeat, nec commodè, nec securè, nec cum decore illam actionem expedire potest.

Carem. Epis. lib. 2. cap. 28.

§. 18. Dum autem Celebrans Altaris thurificationem facit, aduertat, vt se in ea grauiter & cum decore gerat, non personam, aut caput, dum thuribulum decit, reducitque mouens; sinistram quæ summitatem catenularum retinet, firmam stabilemque teneat; dextram verò manum, ac brachium commodè ac tractim cum thuribulo versus personam aut rem thurificandam moueat, ita vt cùm thuribulum ad se retrahit illud sub brachio leuiter, & competenti mora reducat; & dum procedit thurificando Altare eundo, & redeundo semper illum pedem priùs moueat, qui proximior est Altari, totque omninò faciat passus, quot thuribuli tractus, vt manus pedesque in mora decenter concordent.

Carem. Epis. loco citato.

§. 19. Notandum pro faciliori intelligentia eorum quæ seruari debent in incensatione quod Altare bifariam diuidatur nempè in planitiem seu mensam & frontem, seu faciem: planities est pars superior illi est tabula Altaris; frons verò, anterior pars. Planities diuiditur in partem anteriorem, & posteriorem; frons verò non diuiditur sed vocatur anterior pars simpliciter. Quælibet harum partium tam anterior quàm posterior planitiei & frons Altaris incensari debet triplici ductu vt clariùs patet, & præ oculis exhibetur in imagine suprà pag. 285. posita.

§. 20. Nota obiter, quod vbi Rubricæ Missalis præcipiunt tit. 4 n. 6. vt Celebrans genuflectat dum transit ante Tabernaculum SS. Sacramenti, id tantùm intelligendum esse de solo transitu in ipso thurificationis actu, non autem de quouis alio transitu tempore Missæ, in alio enim non debet genuflectere nisi SS. Sacramentum patenter sit expositum.

§. 21. Si super Altari fuerint insignes Reliquiæ inclusi

clusæ capsulis, vel imagines maiores argenteæ, aut aliæ sculptæ inter candelabra, aliæ tamen ab ijs quæ aliquando in tabellulis depictæ, vel etiam circa Tabernaculum sculptæ sunt, seruentur quæ in Rubricis notantur; sed obseruandum quod ijs non inclinetur caput ad differentiam Crucis.

§. 22. Quod si pauciora sint, quàm sex candelabra in Altari, nihilominùs triplici ductu thuribuli, incensatur vnum quodque Altaris latus.

§. 23 Solus Celebrans legit *Introitum* non ministri cum eo, qui tamen respondent & dicunt cum eo alternatim nouies *Kyrie eleison*, in eodem cornu Epistolæ, non in medio Altaris vt plurimi facere solent. *Gauantus part. 2. tit. 4 num. 7. lit. i.*

§. 24. Offendit Sacerdos solemniter Celebrans qui sub Missa in Altari eo tempore quo in Choro cantatur *Kyrie eleison, Gloria in excelsis*, *Graduale*, aut *Sequentia* horas Canonicas, orationes præparatorias, aut alias preces ex libro Missalis aut alio legit, magis si ab Altari in Sacristiam redeat allaturus quippiam, vel nuntius mittatur, aut sublatâ veste Sacrâ, aliquid ex sacculo accipiat.

§. 25. Celebrans in Missa solemni sedere potest inter Diaconum & Subdiaconum cùm in Choro cantatur *Kyrie eleison.* Hymnus *Gloria in excelsis*, *Graduale. Allelvia,* aut *Sequentia*, atque *Credo*: illis enim à se in Altari lectis, statim factâ Altari debitâ reuerentia, & à ministris genuflexione, per breuiorem viam, id est per latus Epistolæ, vnus post alium, præcedente Subdiacono procedunt ad Sedem præparatam seu scamnum oblongum, honestè panno decenti ornatum in plano, vt suprà diximus, vbi Celebrans sedet, eleuantibus ministris posteriorem Planetæ partem, & caput operit porrigente ei Diacono biretum cùm quasi osculo illius, Diaconus quoque ad eius dexteram, Subdiaconus ad sinistram sedent, sic sedentes manus super genua hinc inde expansas aliquantulum à se inuicem distantes, digitis tamen iunctis inter se teneant, talemque ordinem seruant in sedendo, & surgendo, vt aliquantulum priùs Celebrans, quàm ministri sedeat, & caput tegat, ministri verò contrà priùs surgant & caput detegãt, quàm ille, quod ab omnibus alijs ministris obseruari debet, vt priùs se inclinent Celebranti quàm sedeant. Præcedant autem ita tempestiuè ad sedem vt non sint in via dum cantatur in Choro *Adoramus te* aut quid aliud, ad quod inclinandum est, *Gauantus loco cit. part. 2. tit. 4 n. 7a litt. n.*

est, ne cogantur se sistere, vel si id eueniat inclinent se ad Altare.

Gauantus ibidem.

§. 26. Dum Celebrans sedet, & Chorus cantat verba ad quæ fieri debet inclinatio, annuente Cæremoniario ipse, & ministri caput nudum inclinent, & postea legant sicut cæteri de Choro.

§. 27. Circa finem vltimi *Kyrie eleison*, *Hymni Angelici*. *Gradualis*. *Tractus Alleluia. aut Sequentia & Symbolis* inuitati à Cæremoniario, Celebrans adhuc sedens dat biretum suum Diacono quod acceptum cum quasi osculis deponit in loco suo, sicut & suum; ac statim vnus post alium longiori via per gradus anteriores Altaris, & per Planum Capellæ ad Altare procedunt; caueant autem ne sint in via dum in Choro cantatur *Iesu Christe*, sed vel anticipent vel expectent prout longior vel breuior via fuerit: Si dum sedent eleuetur SS. Sacramentum ante eos aut deferatur, nudo capite & flexis genibus illud adorent; non verò quando sunt in via.

§. 28. Celebrans reuersus ad Altare illud osculatur; quod semper facit quoties accedit de sede ad Altare, nisi statim illud osculari debeat ex Rubricis, sufficit enim illud semel osculari, tunc tempore præscripto.

§. 29. Celebrans cantat hymnum *Gloria in excelsis Deo*, non alio modo quam in Missali describitur. Dum dicit *Gloria* disiungit manus quas ante pectus iunctas habebat, non super Altare expansas, vt quidam, dicens *in excelsis* eas disiunctas eleuat vsque ad humeros, dicens *Deo* eas iterum iungit ante pectus, non eleuant oculos, sed tantùm caput inclinat. Ministri verò caput inclinant ad verbum *Deo*.

Cæsem Epis. lib. 1. c. 8.


§. 30. Notandum est, errare eos, qui primam collectam canunt in tono festiuo, reliquas verò commemorationes si sint de simplici vel feria cantant in tono feriali. Debent enim cani in festis Duplicibus & Semiduplicibus æqualiter omnes orationes & commemorationes tam in Vesperis, Laudibus quàm Missis in eodem tono festiuo, aliæ verò orationes omnes quæ extra laudes matutinales, Missas, & Vesperas in alijs officijs diuinis, quibuscumque sunt canendæ etiam solemnibus diebus cantantur tono simplici ac feriali, non autem festiuo: vti multi faciunt in Completorio, vel Laudibus vespertinis, B. M. V. & alijs officijs diuinis superiùs non specificatis.

Cærim. Epis. lib. 1. c. 27.

§. 31. Ad benè cantandas orationes in Missa solemni

sciendum

sciendum est duos esse orationum tonos alterum solemnem siue festiuum, alterum simplicem seu ferialem, & tono quidem solemni vtimur in Missis de festis duplicibus & semiduplicibus sicut etiam in Laudibus & Vesperis eorum festorum, altero verò simplici in ferialibus, & festis simplicibus, ac pro defunctis, & in alijs quæ occurrunt extra Matutinum, Missas, & Vesperas etiam si in diebus solemnibus recitantur vt in cæteris horis canonicis, in benedictionibus Candelarum, Palmarum, & similibus Differentia autem inter solemnem & simplicem tonum est iuxta antiquum ritum & obseruantiam Capellæ Papalis, quia solemnis duas tantùm habet variationes, & regulariter prima variatio fit per duas notas descendendo & redeundo ad eundem tonum, videlicet,



& prima clausula orationis, quæ habet verbum videlicet in fine dicto clausulæ, quæ gemino puncto à sequenti clausula solet designari secundum rectam ortographiam ; quemadmodum apparet ex præpositæ orationis modulatione.



De us qui in ter ca te ra po ten ti æ




tu a mi ra cula et iam in sexu fragi li



vi cto ri am mar tyri i con tu li sti

Secunda vero variatio fit per vnam notam descendendo videlicet in fine clausulæ sequentis



quæ pariter, vel gemino puncto, vel puncto, & commate constat.



vt qui beatæ Catharinæ virginis &



martyris tuæ natalitia colimus per



eius ad te exempla gaudiemur,

Conclusiones etiam earundem orationum in tono solemni diuersimodè variantur, prout ipsæ conclusiones diuerso modo sunt conceptæ. Aut enim dicitur *Per Dominum nostrum &c.* aut *Qui viuis & regnas, &c.* Primo casu fit variatio per vnicam notam in fine primæ clausulæ sine verbo, videlicet.



Per Dominum nostrum Iesum Christum



filium tuum

In secunda verò clausula per duas notas videlicet.



Qui tecum viuit & regnat in vnitate



Spiritus Sancti Deus.

In tertia verò, & vltima nulla fit variatio, prout d
oratione dictum eſt, nimirum

Pa



Per omnia sæcula sæculorum,

Secundo casu, cùm dicitur. Qui vivis, & regnas, &c. in qua sunt duæ tantùm clausulæ, prima variatur per duas notas, videlicet.



Qui vivis & regnas cum Deo Patre



in vnitate Spiritus Sancti Deus

Secunda & finalis non variatur.
Tonus simplex, & ferialis nullam habet variationem, sed cùm eo vtimur, vniformi tono, & voce proferimus orationes à principio vsque ad finem & pari modo in eorum conclusionibus vt in hoc modulationis exemplo.



Deus qui inter Apostolicos Sacerdotes



famulum tuum Pontificali fecisti



dignitate vigere Præsta quæsumus



Vt eorum quoque per petuo



aggregetur consortio. Per Dominum

Excipiuntur etiam ab hac regula orationes & versiculi qui cantantur pro defunctis extra Missas, vt in vesperis, & Matutinis, & aliis officijs: in quibus in fine orationum, & versiculorum deprimitur vox per totam, hoc est à Fa & Re in vltimis syllabis, vt hoc exemplo constat.



Per Christum Dominum nostrum

Regulare autem est, vt in vtroque tono voce graui, & competenti interposita aliqua mora in fine cuiuslibet clausulæ, & præsertim in clausula finali, accum decoro, & grauiter recitentur orationes.

§. 32. Si fortè Celebrans, sedeat dum Subdiaconus cantat Epistolam, circa finem illius redit ad cornu Epistolæ, vt ibi Subdiaconum benedicat, sed conuenientiùs est nunquam sedere sub Epistola, sed expectare donec Epistola per Subdiaconum decantata fuerit.

§. 33. Postquàm Celebrans legerit Euangelium, aliquantulùm recedit à cornu Euangelij, & accedit ferè ad medium Altaris, ita vt sit inter medium Altaris & cornu Euangelij ante librum; vbi semper stat donec Diacono dederit benedictionem, nisi fortè propter Sequentiam sedeat, circa cuius finem redit ad prædictum locum; vt ibi thus, & Diaconum benedicat.

Gauantus Part. 2. Tit. 5. n. 5. litt. d.

§. 34. Celebrans non debet interrumpere Euangelium quod legit vt præstet quæ circa Diaconum sunt peragenda sed hic expectat finem, & Celebrans lecto Euangelio à se non osculatur librum, neque dicit *per Euangelica dicta &c.* sed post Euangelium solemniter à Diacono cantatum & per Subdiaconum ei osculandum delatum, idem osculatur atque dicit *per Euangelica dicta, &c.*

§. 35. Chorus ita cantum demetiatur, vt Diaconus omnia suo tempore peragere possit, & non fileat, quin ipse Diaconus peruenerit ad locum Euangelij.

§. 36. *Cele-*

§. 36. *Credo* in Missa solemni à Choro totum dicendum, non verò ad illa verba *Et iterum venturus, &c.* vt in multis Ecclesijs breuitatis causa, fieri consueuit, abbreuiandum est, neque alternatim organo cantandum.

§ 37. In eadem Missa, Introitus, Graduale, Alleluia, Offertorium, & id generis alia canantur quæ Ecclesiæ instituto ad eam sacrificij actionem, quæ fit propriè accommodata sint, & non ea quæ sunt ad libitum musicorum.

§. 38. Tolerari potest illa consuetudo, qua defertur liber Prælato, continuante Celebrante Symbolum: quia antiquitùs dum Symbolum cantabatur, Euangelium dabatur osculandum toti populo, non autem placet altera, qua Prælatus osculatur librum dicto offertorio, quando non dicitur *Credo* abusus est, ad breuitatem Missæ introductus. Et Minister deferet librum sine reuerentia ad Prælatum; sed postquam illum fuerit osculatus, libro statim clauso, reuerentiam illi debitam faciet; illi verò tantùm, qui librum osculatur dicere debet, *Per Euangelica dicta, &c* sunt enim verba osculantis propria, quæ omisso propterea osculo omittuntur. Alia circa delationem & osculum libri Euangeliorum seruentur quæ in Rubricis & Annotationibus Missæ priuatæ part. 2. tit. 6. pag 126. §. 8. & seq. dicta sunt, *Gauantus part. 2. tit. 6. n. 2. litt. f.*

§. 39. Si facienda sit oblatio à populo, fiat statim post dictum à Celebrante Offertorium, non verò post oblationem Hostiæ & Calicis, & tunc Celebrans aliquantulùm retrahit se à medio Altaris, & si opus sit ad infimum gradum Altaris descendit, vel etiam si opus sit, procedit ad cancellos, & medius inter Diaconum & Subdiaconum qui colligit oblationes, si sit consuetudo. In fine non datur benedictio populo vllo modo, nec Celebrans quicquam dicere debet; decet autem vt populus osculetur rem offerendam, & posteà manum Celebrantis iuxta Pontificalis Romani in multis actibus solennibus præscriptum Nihilominùs cessare debent oscula in Missis defunctorum, cum in eâdem oscula à Rubricis prohibeantur; minimè autem à Sacra Congregatione Rituum probatur vius eorum qui Patenam tradunt osculandam populo. Potest tamen Crux aut aliqua imago sacra dari osculanda ex more multarum Ecclesiarum. Qui missas nouas celebrant non possunt Ecclesias, vt oblationes recipiant, circuire *Gauantus part. 2. tit. 7. num. 5.* *Concil. Trid. sess. 2.*

cuire ex decreto S. Congregationis. Si oblatio fi
longior possunt aliqua cantari vt Psalmi & Hymni
conuenientes.

Gauantus part. 2. tit. 5. n. 5. litt. h.

§. 39. Diaconus & Subdiaconus non tenentur ad
Celebranti submissâ voce respondere, quibus Cho
rus respondet, satis enim est, quòd à Choro respon
deatur Celebranti.

Gauantus loco cit. part. 2. tit 7 n. 10. litt. c.

§. 40. Ad *Orate fratres* Subdiaconus respondet *Sus
piat Dominus sacrificium*, &c. & Celebrans tacitè
dicat orationes secretas, vt Diaconus opportunè tem
pore redire queat ad dicendum *Sanctus*, &c. cui
eodem.

§. 41. Cùm corpus Domini nostri Iesu Christi
Missa Conuentuali eleuatur, tum signum sono cam
panæ maioris dandum, cuius soni significatione fide
les qui Missæ sacrificio tunc non interfunt admone
tur; ad tanti tamque magni mysterij ac beneficij re
cordationem animum excitare menteque supplici reli
giosas preces ad Deum piè fundere.

Rubr. gener. Miss. par. 1. tit. 17. n. 5. Carem. Epis. lib. 2. cap 8.

§. 42. In choro post finem *Sanctus* vel paulò ante
quam fiat consecratio omnes genuflectunt vsque ad
eleuationem Calicis inclusiuè, quâ factâ surgunt &
prosequuntur, *Benedictus qui venit, &c.*

Gauantus part. 2. tit. 10 n. 8. litt. y.

§. 43. Qui dat pacem quantumuis supremo Prin
cipi etiam si esset Imperator aut Rex nemini inclinat
aut vllam facit reuerentiam cui dat pacem, nisi post
quam dederit, qui accipit pacem caput inclinat dan
ti, antè & postquam acceperit; Item qui dat pacem
dicit *Pax tecum* qui recipit respondet. *Et cum Spiri
tuo*, amplectunturque se inuicem. In vnoquoque de
de ordine primùs dat pacem alteri subsequenti, &
ille alteri, & sic deinceps vsque ad vltimum eiusdem
ordinis non præmissis inuitationibus, quæ in incen
sationе tantùm fiunt: & non nisi stanti pax datur, ea
scilicet per osculum præbetur.

Gauantus loco citato.

§. 44. Laicis datur pax per instrumentum oscu
latum ab eo qui pacem à celebrante immediatè ac
cepit.

Gauantus part. 2. tit. 11. n. 3. litt. q.

§. 45. Celebrans dictis orationibus omninò cum
suis conclusionibus relinquit librum apertum, & non
claudit, sicut à principio non aperuit: & qui apertum
inuenit, apertum relinquit.

§. 46. *Communio* à Choro cantari debet immediatè
post *Agnus Dei*; nisi fiat populi communio, ad quam
ea cantari

ea cantatur Gauantus in Rubr. Miss. part 1. tit. 13. num. 1. Litt. h. *Gauantus loco citato litt. r.*

§. 47. Cantato à Diacono *Ite Missa est* vel *Benedicamus Domino*, Celebrans & Diaconus simul vertunt se per latus Epistolæ ad Altare, ipseque Celebrans dicit *Placeat tibi Trinitas*, vt in Missali: Cantato à Choro prius *Deo gratias*.

§. 48. Dum datur benedictio à Celebrante nihil debet cantari à Choro, vt omnes sint attentiores ac benedictionem.

TITVLVS III.

De Communione generali, vel particulari in Missa solemni.

1. SI facienda sit communio generalis, vel particularis in Missa, tum pro pretioso Sanguine à Celebrante, & nondum vino in Calicem infuso pro purificatione ipsius Celebrantis, Subdiaconus palla tegit Calicem, & eum vltra medium Corporalis à parte Euangelij non extra ipsum collocat propter Sacras species vini adhuc in eius fundo relictas, & statim Diaconus accedit ad dextram Celebrantis cum debitis genuflexionibus, & Subdiaconus per planum ad sinistram ipsius Celebrantis qui etiam debitas facit genuflexiones in accessu & recessu eo tempore quo Diaconus. Tum ipse Diaconus pyxidem opertam in qua sunt Hostiæ consecratæ, ponit in medio Corporalis cum genuflexione debita, qua posita, eam discooperit & genuflectit, Celebrante interim & Subdiacono aliquantulum in cornu Euangelij, & alijs circum altare genuflexis.

Carem Epis. lib. 2. c. 20. 2. Tunc qui communicandi sunt, accedunt ad Altare cum debitis genuflexionibus, ibique ita manent, alijs de Clero semper stantibus.

3. Apertâ Pyxide, & factâ genuflexione, Diaconus in planum descendit ad cornu Epistolæ, ibique profundè inclinatus versus Celebrantem dicit manibus iunctis *Confiteor* alta voce, vel cantando, absoluit.

4. Celebrans verò, pyxide aperta, surgit, & genuflectens retrahit se ad cornu Euangelij *Carem. Epis. loco cit.* ibique Subdiacono stante post ipsum, facit ad altare conuersa, expectat finem confessionis. Quâ factâ ipse genuflectit & conuertens se ad Diaconum inclinatum dicit stans non cantando, sed intelligibili voce *Misereatur vestri, &c. & Indulgentiam absolutionem & remissionem peccatorum vestrorum, &c.* licet communicandus sit vnicus, producens manu dextra signum Crucis super communicandos, cui Diaconus, adhuc inclinatus, Resp. *Amen.*

5. Si Diaconus & Subdiaconus communionem sunt accepturi, ille facta genuflexione post datam absolutionem, accedit ad partem epistolæ, vbi genuflexus super gradum secundum altaris expectat communionem, Subdiaconus verò ante Confessionem accedit ad partem Euangelij vbi etiam genuflexus expectat. Tum, vel etiam citius, Acolythi, qui non tenent faces, vel alij ministri extendunt linteum mundum, & genuflexi facie ad se inuicem versa, sustinent illud hinc inde, ambabus manibus per quatuor angulos, quasi iacens quousque perfecta sit Communio Clericorum & non aliorum, quia Laici, Communionem ad cancellos accipere debent, super quibus debet extendi linteum, si sint cancelli ad hoc conuenientes

6. Deinde Celebrans acceptâ pyxide cum genu-

genuflexione solita priùs, præmissis verbis *Ecce Agnus Dei &c.* & ter *Domine non sum dignus* clara voce & integrè prolatis præbet communionem primò Diacono & Subdiacono ante linteum prædictum genuflexis ante prædictum linteum. Deinde alijs Clericis præbet communionem, etiam Acolythis sibi ipsis linteum tenentibus. Si autem communicandi sunt Acolythi faces tenentes, substituant sibi alios donec communionem acceperint.

7. Si qui Prælati interiores Episcopo, Sacerdotali tamen charactere insigniti, sint communicandi, aut alij etiam Sacerdotes, accedunt post ministros Sacros cum habitu chorali & stola de collo pendente eisque Diaconus in cornu Epistolæ stans, alijsque de Choro præbebit purificationem in aliquo Calice, si sint in Sacris Prælati tamen insignes communicari debent ante ministros Sacros.

8. Diaconus & Subdiaconus sumpta communione, statim se purificant ad Credentiam cum Calice ad id præparato, quo facto Subdiaconus vadit ad sinistram Celebrantis, quem communionem distribuentem comitatur manibus iunctis, Diaconus verò in cornu Epistolæ purificationem cum Calice ministrat ijs scilicet qui de Clero sunt, non laicis quibus purificationem debet alter de Clero cum alio vase vini & aquæ præbere. Eo verò casu Diaconus ad dextram Celebrantis accedit.

9. Facta communione Clericorum, Celebrans descendit ad cancellos, vbi laicos communicat, ante quos Acolythi extendunt linteum, nisi iam sit appositum.

10. Facta communione Celebrans redit ad altare tenens digitos super Pyxidem, nisi dicens, & dum ascendit, ministri hinc inde eleuant fim-

brias anteriores vestium suarum, ibi deponi Pyxidem super Corporale, genuflectit & aduertit diligenter, si aliquod fragmentum digitis adhæreat, quod in pyxidem excutit: Diaconus eandem operit cum debitis genuflexionibus, & reponit in Tabernaculum cum debitis iteratis genuflexionibus Celebrante & Subdiacono genuflexis aliquantulum ad latus Euangelij, ac aliis ministris in locis suis: quibus deinde erectis Tabernaculum claudit, & reposito calice in medio Altaris fiant alia pro purificatione Celebrantis.

ANNOTATIONES

§. 1. Si Diaconus & Subdiaconus non accipient communionem, quia videlicet sunt Sacerdotes & volunt Celebrare Missam aut alia de causâ datâ absolutione à Celebrante, statim hinc inde assistunt ad latera ipsius: vbi conuersi ad sanctissimum Sacramentum illi profundè se inclinant, dum Celebrans dicit, *Domine non sum dignus.* Decet tamen vt semper Dominicis diebus & saltem festis communicent nisi sint Sacerdotes & velint celebrare.

Carem. Epis. lib 2 c. 31.

Gauantus part 2. tit. 10. n. 9. lit. C.

§. 2. Diaconus non tenet Patenam sub mento communicantium, quia hoc tantùm spectat ad Episcopalem dignitatem: quod tamen in primitijs multas ob causas concedendum videtur.

§. 3. Aduertant Acolythi deferentes faces, vt neminem impediant in communione, imò genuflexi maneant ad laterales gradus altaris, facie ad se inuicem conuersa.

§. 4. Vt communio honestiùs fiat duplex debet adhiberi mappa ad quodlibet Altare, vbi fit communio, vna pro ministro aut ministerio, altera pro communicandis: nec honestum ac decens est vt manu tergium Celebrantis ad id deseruiat, nec prorsus purificatorium, aut velum Calicis.

Gauantus part. 4. tit. 2. n. 7.

§. 5. Aduertant Sacerdotes communicandi vt stolam habeant decollo pendentem, non tamen in modum Crucis, & communionem accipere semper debent intra Presbyterium, Laici vero extra illud.

§. 6. Inte-

§.6. Interim dum fit communio tam Clericorum quam Laicorum, possunt conuenienter decantari aliqui psalmi, aut hymni, siue Cantica de SS. Sacramento secundum morem locorum, vel pulsari Organa.

§ 7 Celebrans vel Diaconus in fine Communionis cum Ciborio seu pyxide nullam dare debet benedictionem, sed Celebrans in fine Missæ solùm more solito benedicit.

§. 8. Si post Missam rationabili de causa facienda sit communio generalis per Celebrantem, tunc Celebrans adhuc indutus planeta, eadem agit, quæ superiùs præscripta sunt, & eo casu faces ab Acolythis etiam accendendæ sunt. *Rit. Rom. tit. de comm.*

§. 9. Pyxides in quibus sacræ hostiæ asseruari solent, sicut & vascula pro sacris oleis conseruandis priùs sunt benedicendæ quam ad eum vsum admodum sacrum adhibeantur: & colligitur ex regulis Missalis de ingressu Sacerdotis ad Altare vbi expressè habetur hostias consecrandas debere vel super corporali, vel in Calice, vel in alio vase mundo consecrato poni. Materia huius vasculi pro sacris hostijs asseruandis de conuenienti debet esse argentea atque deaurata, sed propter Ecclesiæ paupertatem adhiberi poterit aliud alterius materiæ modo sit tale in quo fideliter & absque periculo irreuerentiæ corpus Domini asseruari possit. *Durandus lib. 1. de ritibus Ecclesiæ cap. 16.* *VViggers part. 3. q. 83. dub. 16. n. 76.*

TITVLVS IV.

De Missa solemni & priuata quæ coram SS. Sacramento patenter exposito celebratur.

1. Cùm Eucharistia sit præcipuum & maximum Dei donum & longè Sacratissimum Sacramentum, quo nihil habet Ecclesia admirabiliùs, nihil dignius, nihil sanctiùs, & nihil salubriùs, ipsum omnis boni ac gratiæ fontem & auctorem continens, illi non potest à nobis condignus honor impendi; vnde congrua est, *Carem. Epis. lib. 1. c. 12.*

& ab antiquis SS. Patribus tradita consuetudo (sicut & Cæremoniale Episcopum optimè monet) vt in Altari, vbi expositum est diuinissimum hoc Sacramentum, nunquam, vel raro Sacrum Missæ sacrificium celebretur, nisi id exigat necessitas, vel alia iusta causa, vtpote infra Octauam Corporis Christi, & tempore publicæ orationis 40. aut 10. Horarum, quo casu omninò laborandum est, vt in eo exactissimè debitæ genuflexiones, ac reuerentiam tanti Sacramenti spectant, varijsque in libris Ritualibus præscripti, & sparsim hoc loco collecti sunt, obseruentur.

Gauantus comment. in Rubr. Miss. part 2. tit. 14. n 1.

4. Sacerdos itaque celebraturus coram sanctissimo Sacramento patenter expositio inductus paramentis in Sacristia, impositio ac benedicto ibidem thure in thuribulo, cum Ministris sacris, vt in alijs Missis solemnibus, procedit ad Altare.

3. Cùm Celebrans & Ministri Sacri Presbyterium, seu Capellam, in quo SS. Sacramentum expositum est, ingressi fuerint, caput statim nudant, & cùm ante infimum Altaris gradum peruenerint, genuflectunt omnes simul vtroque genu in plana terra, addita capitis etiam profunda inclinatione; mox surgentes, Celebrans facit Confessionem; vt in alijs Missis.

Gauantus loco citato num. 5.

4. Facta Confessione, Altare ascendens priùs cum Ministris ante SS. Sacramentum vnico flectit genu (quod per totam Missam obseruatur vt expeditior sit) mox dicens *Oramus te Domine, &c.* more solito osculatur Altare, & incensum thuribulo imponit, illudque more solito benedicit, Diaconus verò Nauiculam ministrat atque thuribulum porrigit sine osculis.

Carem. Epis. lib 1 c. 23.

5. Celebrans accepto à Diacono thuribulo super Altiorem Altaris gradum genuflexus, omnibus quoque ministris genuflectentibus incensat

Carem. Epis. lib. 1. c. 23.

incensat SS. Sacramentum triplici ductu, inclinans caput suum ante & post incensationem SS. Sacramenti; Deinde surgens incensat Sanctorum Reliquias, seu Imagines, & Altare more solito, & quoties transit SS. Sacramentum, aut recedit ab eo, toties genuflectit dextro genu vsque ad terram. *Gauantus part. 2. tit. 14. n. 6.*

6. Finita incensatione redditoque Diacono thuribulo in cornu Epistolæ, vti moris est, descendit in planum versus cornu Epistolæ, & sistit se versa facie ad populum, aduertens, ne dum mouet se vertat terga SS. Sacramento, atque ibidem stans iunctis manibus à Diacono è contrà stante in plano Capellæ, thurificatur triplici ductu; Mox ad librum Missalis conuersus, legit Introitum. *Gauantus loco citato num. 7.*

7. In hac Missa quoties Celebrans accedit ad medium Altaris, aut ab eodem medio recedit, vel transit ante illud, toties genuflectit, quod item faciunt Ministri omnes respectiuè vnico flectentes genu. *Rubr. Miss. de officio cœna Domini. Carem. Episc. lib. 2. c. 23.*

8. Celebrans se conuertens ad populum dicturus *Dominus vobiscum* osculato priùs Altari, genuflectit; deinde surgit, & sistit se renibus ad cornu Euangelij semiuersis, tum facta genuflexione iterum in medio, accedit ad cornu Epistolæ, vt dicat orationes. *Rub. loco cit. Carem Episc. loco cit. Castaldus praxi Carem. lib. 3. sect. 10. cap. 3 n. 2.*

9. Finitis orationibus Subdiaconus præmissa genuflexione in medio Altaris in loco consueto Epistolam cantet, & rursus facta, vt anteà, SS. Sacramento genuflexione osculatur more solito Celebrantis manum. *Gauantus loco cit. n. 10.*

10. Dum Diaconus ante Euangelium petit benedictionem, Celebrans præmissa genuflexione, vertens tergum ad cornu Epistolæ, eundem more solito benedicit, qui obtenta benedictione manum Celebrantis (vt aliàs) osculatur. *Gauantus loc. cit. n. 20.*

Celebrans verò ibidem expectat donec idem Diaconus cantando absoluerit Euangelium illudque per *Subdiaconum* sibi delatum osculatus, atque etiam à *Diacono* more solito incensatus fuerit; Deinde conuersus ad medium præmissa genuflexione de more cantat si dicendum sit) *Credo*.

Gauantus ibidem n. 11. 11. Si concionandum est à Celebrante, fiat ab eo stante in cornu Euangelij, & aperto capite Ministri ad eius dextram stabunt extra cornu Euangelij.

12. Incensaturus oblata statim benedictione facta thuris, eadem more solito incensat non priùs genuflectens, sed ijs incensatis genuflexus super altiorem gradum, vt suprà ter incensat SS. Sacramentum, & tunc Diaconus non amouet Calicem, quia non est periculum effusionis eius. Deinde incensat Altare more solito dicens *Dirigatur Domine, &c.*

13. Incensato Altari Celebrans reddito thuribulo retrahit se extra cornu Epistolæ versa facie ad populum, ibique incensatur, lauat manus, atque tergit.

14. Deinde reuersus ad medium Altaris genuflectit, & aliquantulum inclinatus dicit *Suscipe Sancta Trinitas*, &c. quo dicto iursus genuflectit in medio, & conuertens se vt dicat *Orate fratres*, &c. sistit se renibus ad cornu Euangelij semiuersis quo dicto, circulum non perficiens iterum genuflectit in medio Altaris; Reliqua peragit vsque ad Communionem, vt in alijs Missis.

15. Post purificationem Celebrans ante ablutionem digitorum genuflectit, accipit Calicem & de more capit ablutionem in cornu Epistolæ & non extra Altare: reuersus deinde ad medium genuflectit, sumit ablutionem, & iterum genu-

genuflectens redit ad librum vbi dicit *Communionem*.

16. Dicta Communione redit ad medium Altaris genuflectit in medio, & dum vertit se ad populum dicturus *Dominus vobiscum* non vtique in medio Altaris vertit renes sanctissimo Sacramento, sed sicut in initio Missæ versus latus Euangelij, & iterum facta genuflexione redit ad cornu Epistolæ perficiens complenda. *Carem Epis. lib. 2. c. 23.*

17. Diaconus dicturus *Ite Missa est* genuflectit antè & pòst, & stat versus populum, renes vertens ad cornu Euangelij, sicut Celebrans; Subdiaconus verò non se mouet.

18. In benedictione populo danda, dicto, *Benedicat vos omnipotens Deus*, &c genuflectit Celebrans, & in latere Euangelij benedicit non perficiens circulum, nec postea redit ad medium, vt genuflectat, sed statim ad idem latus Euangelij conuersus circulum non faciens dicit *Dominus vobiscum* & cum dicit *Initium* vel *Sequentia sancti Euangelij*, &c. signat librum seu tabellam Euangelij, sed nullo modo Altare, quamuis sanctissimum Sacramentum esset altius, aut in calice seu pyxide; est enim ac si esset in Altari. *Carem Epis. lib. 2. c. 23.* *Gauantus loco citato num. 15.*

19. Cum in fine Euangelij dicit *Et verbum caro factum est* genuflectit Celebrans cum ministris paulò versus SS. Sacramentum. *Gauantus part. 4. tit. 8. num. 8.*

20. Finito Euangelio redit ad medium Altaris, vbi genuflectit, & descendit in planum, vbi iterùm vtrumque genuflectit in plano cum ministris, & sumptis biretis capita non tegunt, nisi extra presbyterium.

21. Si autem facienda sit processio pro Oratione publica, aut alia de causa rationabili, facta in medio suppedanei Altaris genuflexione, descendit per gradus laterales Epistolæ in planum, vbi depositis Planeta & manipulo, & ijsdem à Mini-

à Miniſtris : Celebrans induit pluuiale, & cætera facit quæ ad proceſſionem ſpectant, vt infrà præſcribetur.

22. Ad maiorem tamen ſupradictarum Cæremoniarum intelligentiam, conueniens eſſe exiſtimatur annotare diſtinctè, & ſpeciatim genuflexiones, & alias reuerentias, quæ fieri debent tam in Miſſis priuatis, quam ſolemnibus, vt ſpecialiùs annotatæ ad amuſſim faciliùs obſeruari poſſint.

23. Celebrans ergo ad Altare in quo SS. Sacramentum eſt expoſitum hæc perficere debet.

I. Statim ac Presbyterium ſeu Capellam dicti Altaris ingreditur, caput detegit, & cùm egreditur etiam caput tegit ibidem.

II. Ad medium Altaris genuflectit in plano, vtroque genu, vt ſuprà, & caput deuotè inclinat profundè in plana terra.

III. Poſito calice in cornu Euangelij antequàm extrahat Corporale de burſa genuflectit, & aptato Corporali, atque poſito calice deſuper genuflectit iterum, & accedit ad cornu Epiſtolæ, & rediens ad medium iterùm genuflectit, & aliquantulum retrahens ſe ad cornu Euangelij, deſcendit in planum Altaris, ibique vnicum genuflectit, & caput inclinat & erectus incipit Miſſam.

IV. Poſtquàm aſcendit ad Altare antequàm incipiat *Oramus te Domine*, & poſtquàm illud dixerit, genuflectit.

V. Ante *Kyrie eleyſon* in medio Altaris, vel in Miſſa ſolemni antequàm dicat *Gloria in excelſis.*

VI. Antequàm ſe vertat ad populum dicturus *Dominus vobiſcum* in cornu Euangelij, oſculato priùs Altari, quod ſemper fit quando conuertere ſe debet

se debet ad populum, & antequam reuersus ad cornu Epistolæ dicturus *Oremus* genuflectit.

VII. Ante & post *Munda cor meum, &c.* genuflectit in medio Altaris.

VIII. Ante *Credo*, vel ante *Dominus vobiscum* ante Offertorium genuflectit.

IX. Versus Altare genuflectit antequàm dicit *Oremus* ante Offertorium.

X. Antequàm accedat ad cornu Epistolæ, vt vinum capiat, & iterum reuersus ad medium Altaris

XI. Ante & post lotionem manuum, quæ fit extra cornu Epistolæ, in plano versa facie, vt suprà, ad populum, vel vt alij practicant versa facie ad ipsum cornu.

XII. Ante & post *Orate fratres* dicens illud in cornu Euangelij, vt suprà, & non perficit circulum, sed illud dicit eo modo quo *Dominus vobiscum*.

XIII. Post sumptam purificationem scilicet ante & post ablutionem digitorum in Calice.

XIV. Antequàm discedat à medio Altaris: vt legat Communionem.

XV. Ante & post *Dominus vobiscum* eo modo quo post *Gloria in excelsis*.

XVI Post orationes ante & post *Dominus vobiscum*, & *Ite Missa est* si verò dicat *Benedicamus Domino* genuflectit priùs conuersus ad Altare.

XVII. Ante benedictionem, qua data non perficit circulum, sed facit vt suprà præscriptum.

XVIII Non signat Altare, sed librum, si eo vtatur tantùm aut tabellam.

XIX Dicens *Et verbum caro factum est*, genuflectit aliquantulùm versus *SS* Sacramentum, & ad alia similia.

XX. Antequàm capiat Calicem in medio

Altaris

Altaris genuflectit, & iterùm postquam descen derit vltimum gradum Altaris vtroque genu i plana terra.

ANNOTATIONES.

Carem. Epis. lib. 1. cap. 12. §. 1. Quamuis moneamur ex antiquorum tradi tione, & Cærem. Episc vt abstineamus à Missa coram SS. Sacramento celebranda, licèt in Tabernaculo si incluſum: imò si aliquis sit celebraturus in eo Altari solemniter SS. Sacramentum in aliud omninò trans ferendum esse doceat. Quia tamen aliquando potes contingere & vrgere necessitas, vel etiam consuetudo in plerisque locis à longo tempore seruata, vel etiam dies infra octauam Corporis Christi, Oratio quadra ginta horarum aut alia huiusmodi, in quibus Missæ solemnes vel priuatæ celebrari debent. Ideoque tunc omnes genuflexiones & actus reuerentiales superiùs notati diligentissimè obseruandi sunt.

Carem. Epis. lib. 1. c. 12. §. 2. Minimè probatur illa consuetudo, quæ inualuit piurimis in locis exponendi SS. Sacramentum in maioribus festiuitatibus Sanctorum, imò singulis diebus Dominicis, & ferè festis omnibus. Mos enim iste aduersatur Cæremoniali Episcoporum, alijsque ritualibus, libris & statutis Synodalibus quàm plerimis. Et certè attendendum esset, ne ob nimiam exponendi ipsius SS. Sacramenti frequentiam cultus ei debitus, & honor minuatur, quod ex frequentissima hac expositione sæpè euenit; dum sine sufficienti Clericorum numero, absque vlla thurificatione, Cantu, alijsque Cæremonijs, nec sufficientibus adhibitis luminaribus, in Altari ad hoc non satis decenter ornato, perfunctoriè exponitur; ac coram eo sic exposito indifferenter celebratur, concionatur, communio distribuitur, transitur, tergum indecorè vertitur, aliaque exigua cum reuerentia fiunt. Ideoque prohibenda huiusmodi expositio esset, quæ fit absque ordinariorum Diœcesanorum expressa speciali ad id licentia, vt sentiunt multi, & præcipua id prohibent Acta Mediolanensis Ecclesiæ, & nisi necessitas publica, & grauis Ecclesia causa id exposcat. Festiuitates enim Sanctorum, & festa Patronorum Ecclesiæ aliam solemnitatem requirunt, & expositio Sacramenti diuersam postulat & sibi peculiarem solemnitatem. Nam præsente Domino summo, cessant debet

debet honor, qui seruo exhibendus esset, & præsente Solealia omnia astra splendorem amittunt, & ea de causa iam multi Episcopi hunc morem iustè abrogarunt; certosque dies & casus exponendi SS. Sacramentum præscripserunt sicut præscribit. Concilij Prouincialis Colonienſis sub Nicolao Cusano S. R. E. Cardinale ac de latere Legato habiti constitutio: cuius verbi lubet hic adscribere: *ad maiorem* inquiens *honorem Sanctissimi Sacramenti statuimus quod deinceps ipsum Sanctissimum Sacramentum, nullatenus visibiliter in quibuscumque Monstrantijs ponatur aut deferatur, nisi in Sanctissimo festo Corporis Christi cum sua Octaua & extra huiusmodi festum cũ sua Octaua semel in anno, in qualibet Ciuitate aut oppido, seu Parochia, vel ex singulari indulto Ordinarij aut aliàs pro pace, vel alia necessitate imminente, ex indispositione Rempublicam pragrauante: & tunc cum magna reuerentia atque deuotione: in præmissis tamen laudabilibus consuetudinibus huius Metropolitanæ & Cathedralium Ecclesiarum Suffraganeorum eiusdem semper saluis.*

Concil. Prouinc. Colon. sub Nicolao Cusano pag. 251. § item ad maiorem honorem &c.

§ 3 Maximè curandum est, vt Sacrosancto Corpori Domini nostri Iesu Christi omnium Sacramentorum fonti, locus præcellentissimus ac nobilissimus omnium semper in Ecclesia præparetur & assignetur. *Carem. Epis. lib. 1. cap. 12.*

§ 4. Altare in quo augustissimum Eucharistiæ Sacramentum exponitur, quàm poterit venustissimè ornandum est & in eodem Altari quamdiu Sacratissimum hoc Sacramentum patens & apertum est expositum, octo, sex, aut quatuor cerei, vel ad minùs duo cõtinenter ardere debent; minimè autem tantùm vnus.

§ 5 In dicto Altari quo tempore expositum est hoc ter Maximum Sacramentum Crux ordinaria in medio Altaris posita, adesse non debet. *Gauantus part 2. tit. 14. num. 6. Carem. Epis. lib. 2. c. 12.*

§. 6. Valdè oportunum & decens est vt SS. Sacramentum non collocetur in maiori, vel in alio Altari, in quo Episcopus, vel alius solemniter est Missam celebraturus, aut communio distribuenda est: ne frequens transitus celebrantis ac ministrorum irreuerentiam minimè leuem causent.

§ 7. Monstrantia aut Ciborum cum SS. Sacramento nusquam reponenda, nisi locus ille subſtratus sit corporali, aut saltem pallâ benedictâ, & mundâ. *Gauantus part. 4. tit. 12 num 7.*

§. 8. Ex Altari, in quo patenter expositum est augustissimum Sacramentum nunquam Celebrans capere debet paramenta, neque ibidem ea reponere, licet sit Episcopus, ob apertam præsentiam SS. Sacramenti, *Gauantus part 4 tit. 8. n. 9 litt. l.*

sed

sed in Sacristia, aut alio loco remoto & separato Presbyterio

Carem. Epis. lib 1. c. 12.

§. 9. Apud idem Altare nunquam licet Celebranti sub Missæ sacrificio sedere, sed semper stare detecto capite.

Gauantus part. 2. tit. 14 n. 51.

§. 10. Quando contingit fieri concionem coram SS. Sacramento super Altari patenter expositio, idipsum velo albi coloris interim cooperiendum est, nisi Concionator sit ad Altare, & stans in cornu Euangelij & tunc aperto capite concionabitur, sicut & auditores auscultare debent; Ministri autem parati stabunt ad eius dextram in cornu Euangelij.

Carem. Epis. lib. 2. c. 23.

§. 11. Coram SS. Sacramento nihil quod tradendum est Celebranti, osculari debet, neque eius manus in rerum traditione, ob apertam præsentiam SS. Sacramenti.

Carem. Epis. lib. 2. c. 12.

§. 12. Genuflectere debet coram SS. Sacramento patenter expositio Celebrans cum ministris dextro genu vsque ad terram toties quoties accedit medium Altaris, & inde recedit, nec non ante & postquam se vertit, flectere debet.

Carem. Epis. lib. 2. c. 23.

§. 13. Nunquam tergum vertendum est SS. Sacramento, nec vnquam perficiendus est circulus coram eodem SS. Sacramento.

Carem. Epis. lib. 1. c. 12. & lib. 2. cap. 2. 26 & 33. & Missal. fer. 5. & 6. maioris hebdom.

§. 14. Quotiescumque SS. Sacramentum patenter expositum; thurificandum est, semper thurificatur genuflexus triplici ductu; cumque ipsum solum est thurificandum nunquam thus debet benedici, sed simpliciter imponi thuribulo; & cochlear ac thuribulum porrigi & recipi sine osculis; sed si thurificandum est Altare simul super quod impositum est SS. Sacramentum apertum tunc benedicitur thus, sed thurificatio Sacramenti fit cum genuflexione, & quoties ante illud in thurificatione transit Celebrans toties genuflectit

§. 15 Notandum præterea SS. Sacramentum incensandum esse in loco vbi est positum, antequàm ab eo loco in quo est, super Altare deponatur, vel Celebranti tradatur. Item postquam vepositum est super Altare, post finem Processionis, vel alterius orationis, priùs super Altare debet incensari, quàm in alio loco ponatur, nec postea debet ampliùs incensari; scilicet postquam ibi collocatum fuerit.

§. 16. SS. Sacramentum, aut Altare in quo patenter expositum est, nunquam aspergitur, ea ratione qua non

non signatur Altare initio Euangelij in fine Missæ, quamuis in Rubricis aliquorum Missalium contrarium reperiatur

§. 17. Si cantantur Vesperæ aut aliæ horæ Canonicæ coram SS. Sacramento in Altari expositio, conuenit vt omnes stent aperto capite, & nunquam sedeant, quod si sedeant caput minimè tegant; obseruandum quoque ne intra cancellos cooperiatur caput. *Gauantus part. 4. tit. 12. num. 11. part. 281.*

§. 18. Dum Sacerdos exponendo aut reponendo Monstrantiam cum SS. Sacramento benedicturus est populum facie hostiæ ad eundem populum conuersâ semel tantùm in modum Crucis nihil dicens & circulum perficiens benedicit; solus enim Episcopus & alij vsum paramentorum Pontificalium habentes sicut in Missa, ita cum Monstrantia SS Sacramenti ter benedicunt populum; à qua trina benedictione reliqui omnes, tum Sacerdotes, tum Prælati vsum mitræ non habentes, abstinere omninò debent. *Gauantus part 4. tit. 12. num 8. Carem Epis. lib. 2 c. 33.*

§. 19. Locus Altaris in quo exponi debet SS. Sacramentum ita disponi debet, vt super locum Reliquiarum totus superemineat, nec debet esse ita altus & eminens, vt Diaconus, aut alij cogantur ascendere super Altare & ei pedes super ponere cum ibidem SS. Sacramentum collocandum, vt adoretur, vel inde remouendum, cùm hoc indecens omninò videatur. & indecorum, vel si non aliter fieri possit, consternatur scabellum quod aliquot gradus contineat sufficientes, vt ad illum locum facilis sit ascensus, citra indecentiam.

§. 20. Nunquam Monstrantia cum SS. Sacramento pro adoratione populi exponenda, aut exposita reponenda, nisi thurificatio in Rubricis Missalis sæpiùs præscripta, nec non luminaria sufficientia adhibeantur: ne actibus hisce reuerentialibus, ac cæremonijs ipsi Sancto Sanctorum à Rubricis, multis in locis præscriptis negligenter omissis, cultus, honor, ac veneratio eiusdem irreuerenter minuatur. *Missal fer. 5. & 6 maioris hebdom.*

§. 21. Quando Sacerdos in Missa priuata consecraturus est Hostiam in Monstrantia pro adoratione populi ponendam, tunc ante Missam super Patenam ponit duas Hostias, atque ipsam Monstrantiam ante Missam super Altare inter Candelabra ad cornu Epistolæ collocari facit: atque vtramque Hostiam offert, ac more solito consecrat, illam tamen solùm eleuat quam sumere intendit, alteram verò aptat in lunula

Monstran-

Monſtrantiæ ſtatim ſumpto ſanguine; & ipſam Mon-
ſtrantiam cum SS. Sacramento velo coopertam an
Purificationem includit Tabernaculo. Quod ſi ver
Tabernaculum non ſit in ſummo aut illo altari i
quo Sacerdos celebrat eo caſu nihilominùs antequa
ſumat purificationem collocat, vt ſuprà, Hoſtiam i
lunula Monſtrantiæ. Deinde ponit ipſam Monſtra
tiam cum SS. Sacramento in medio Corporalis illar
que paruo tegit velo, deponitque Calicem ſuum
parte Euangelij poſt ablutionem digitorum ſu
rum, demum genuflexiones & reuerentias obſerua
vt ſuprà annotauimus; ipſamque Monſtrantiam
cum *SS.* Sacramento finitâ Miſsâ debitis cum Cæ-
monijs defert ad Tabernaculum.

§. 22. Conſueuit nonnunquam ratione feſti al-
cuius Eccleſiæ *SS.* Sacramentum mane, vel tantùm
ante ſummum Sacrum, aut Veſperas, ſiue Complето-
rium de expreſſa licentia Diœceſanorum Epiſcopo-
rum exponi, iisque abſolutis officijs ſtatim reponi a
recludi, nullo certo horarum numero ſeruato, ſe
tantùm habitâ ratione ſacri, Veſperarum, vel Com-
pletorij, & tunc in expoſitione, & repoſitione omn
ea fiant quæ tam circa preces 40 Horarum, quam ci
ca Miſſam ſeruandam coram SS. Sacramento, pra
ſcribuntur.

§. 23. Notandum quòd in genuflexionibus ſupr
ſcriptis decenter faciendis, pes primùm ſiniſter ab
quantulùm ſit ab infima parte altaris ſemouendus, d
poſtmodùm dexter, manus ſuper Altare hinc inde a
corporalis vtramque extremitatem, vel potiùs a
corporis proprij latitudinem diſpoſitis, vn co ge
dextro flectendum eſt: ita enim & maiori cum decen
tia, & grauitate fiet neque quod ſæpè fit, impingetu
genu ſiniſtro in ipſum altaris antipendium.

§. 24 Item notandum pro conuerſione ad populu
cùm dicendum eſt *Dominus vobiſcum* vt pedem ſi
ſtrum cùm Altare oſculatur amoueat pauliſper ab i
fima parte Altaris, illicque figat illum, dum ſe inu
tit ſequatur & dexter: ſicque inuerſus paulul
aberit ab antipendio, vt nec illud, nec planetam
confricatione, aut complicatione atte-
rat, aut corrumpat.

* * *

TITVLV

TITVLVS V.

De Ritibus & Cæremonijs obseruandis per Sacerdotem deportantem Monstrantiam cum SS. Sacramento in Processionibus eiusdem.

1. SI statim finito Sacro coram SS. Sacramento patenter exposito, celebrato; facienda est processio cum SS. Sacramento, Celebrans finita Missa statim facta genuflexione in medio super suppedaneum altaris descendens per gradus laterales retrahit se extra cornu Epistolæ, ibique in plano deponit Planetam & manipulum accipit pluuiale album adiuuantibus Diacono & Subdiacono, qui etiam ibidem suos manipulos deponunt. *Gauantus comment. in Rubr. Miss. Part. 2. Tit. 14. n. 16 & pag 4. tit. 12. num. 3.*

2. Tum per planum inter Ministros sacros eleuantes pluuiale eius, si commodè fieri potest, accedit ad medium altaris, vbi cum eis in plana terra vtroque flectit genu, & se profundè inclinat antè & pòst; deinde surgit & genuflectit superinfimum gradum Altaris, vbi aliquantulum orat cum ipsis Ministris.

3. Facta oratione à Celebrante, ipse surgit & accepto cochleari ac Diacono Nauiculam thuris porrigente ter imponit incensum duobus thuribulis sine benedictione: mox genuflexus in medio supremi Altaris gradus, accepto altero ex thuribulis, atque facta inclinatione, triplici ductu incensat SS. Sacramentum in tabernaculo ostensorio positum, Ministris eleuantibus partes anteriores Pluuialis, & se inclinantibus simul cum Celebrante antè & pòst. *Gauantus part. 4. tit. 12. n. 3.*

4. Deinde

Carem. Epis. lib. 2 33.

4. Deinde Celebrans reddit Thuribulum Diacono à dextris genuflexo. Tum Ministri Sacri accepto velo oblongo sericeo albo de manu Cæremoniarij illud ita extendunt super humeros Celebrantis adhuc genuflectentis & aciculis firmant, adiuuante etiam Cæremoniario, vt æqualiter fluat super brachia & manus eius.

Gauantus part. 4. tit. 12. num. 4.

5. Mox Diaconus accedit ad Altare, vbi facta genuflexione capit Monstrantiam cum ter Maximo Sacramento, quam Celebranti adhuc genuflectenti sine vlla reuerentia tradit, qui illam capit dextrâ nudâ per nodum, sinistrâ vero nuda per pedem: ita vt imago Christi quæ est in Hostia respiciat populum. Quo facto manus Celebrantis Diaconus tegit extremitatibus veli oblongi, ita vt nullo modo appareant sed tantum SS. Sacramentum pateat in Monstrantia; quo facto statim genuflectit.

6. Mox Celebrans cum Monstrantia, SS. Sacramenti surgit, & ad planum supremi gradus ascendit, atque Sacramentum ante faciem tenens ibi ad populum se conuertit, & interim Diaconus & Subdiaconus, mutant loca sua vt ille in processione incedat à dextris, & ille à sinistris Celebrantis hinc inde, & ambo sic assistentes fimbrias anteriores Pluuialis, & cum opus est, brachia eius subleuantes.

7. Postquam Celebrans conuerterit se cum Monstrantia SS. Sacramenti ad populum, tunc & non priùs Cantores adhuc genuflexi intonant deuotè Hymnum *Pange lingua, &c.* atque statim omnes surgunt, & Chorus Hymnum grauiter & deuotè prosequitur.

8. Deinde si ordo Processionis ad Celebrantem venit ipse medius inter Diaconum & Subdiaconum descendit sub vmbellam tenens Monstrantiam

strantiam cum SS. Sacramento ferè ob oculos, quos in eandem semper piè defixos habebit.

9. Per viam Processionis Celebrans submissa voce recitat aliquos Psalmos vel Hymnos respondentibus Diacono & Subdiacono sibi assistentibus; non enim conuenit quidquam cum alijs cantare, nisi fortè essent pauci admodum Clerici, & necessitas maxima ad id cogat. *Carem. Epis. lib. 2. c. 33.*

10. Quando via processionis longior fuerit, poterit Celebrans in locis, aut altaribus ad hoc decentissimè ornatis deponere *SS.* Sacramentum super Corporale priùs explicatum, ibi autem Diaconus genuflectit, accipit SS. Sacramentum, illud ponit super Corporale, ministrat incensum Celebranti de more: Celebrans genuflexus illud ter incensat, interim & non priùs Cantores, dum inchoat incensationem Celebrãs, cantant Vers. *Tantum ergo Sacramentum*, vel *O Salutaris Hostia*, vel *Panis Angelicus fit panis hominum* ex hymnis festi SS. Sacramenti, aut aliud. Quo facto duo Cantores subdunt versum *Panem de cœlo*, &c. Chorus verò respondet *omne delectamentum* &c. Tum Celebrans surgit, & dicit *Dominus vobiscum*, & Orationem *Deus qui nobis*, &c. ex libro quem Diaconus & Subdiaconus genuflexi sustinent hinc inde ante eum. Responso à Choro *Amen*, Celebrans nihil addens, ascendit ad altare, genuflectit, & sine alterius ministerio accipit velatis manibus, vt priùs, Monstrantiam cum SS. Sacramento, & vertens se ad populum prosequitur Processionem. Hoc tamen passim non fiat ad singula altaria, vel loca ornata in vijs, sed semel tantùm ac iterum arbitrio Celebrantis; frequentes enim stationes videntur importunæ, & sæpè ordinem Processionis peruertunt. *Carem. Epis. lib. 2. cap. 33.*

11. Quando plures sunt Sacerdotes qui in via

Processionis per vices deportaturi sunt SS. Sacramentum, tunc quando peruentum fuerit ad altare primæ stationis primus Sacerdos deportans, posità in ipso Altari Monstrantia cum SS. Sacramento genuflectit, atque statim surgens imponit thus alteri thuribulo sine benedictione deinde in supremo Altaris gradu genuflexus SS. Sacramentum reuerenter thurificabit triplici ductu, Cantoribus interim canentibus Responsorium, Antiphonam, aut partem Hymni de eodem SS. Sacramento aut Patrono istius Ecclesiæ cum versiculo paruo & Responsorio. Quo dicto primus Sacerdos stans ex libro quem Ministri Sacri hinc inde genuflexi tenebunt cantabit Collectam conuenientem. Quâ finitâ idem primus Sacerdos præuiâ genuflexione accipiet Monstrantiam cum SS. Sacramento, & vertens se ad populum super eum, semel signum crucis facit nihil dicens, atque eandem Monstrantiam reuerenter tradit sequenti Sacerdoti ibidem genuflectenti, & statim atque illam in manibus illius reliquerit, genuflectit & surgit cum eodem Sacerdote, qui cum ipsa Monstrantia SS. Sacramenti in supremo altaris gradu vertens se ad populum sine vlla benedictione prosequitur Processionem ad stationem sequentem: hæc multis in locis ita practicantur, sed tamen saniori iudicio submittuntur.

12. In fine Processionis postquàm Sacerdos ascenderit secundum Altaris gradũ, deponit SS. Sacramentum in manus Diaconi genuflexi in plano suppedanei ad cornu Epistolæ quasi vertentes renes eidem cornu, & hic surgit & reuerenter illud collocat super medium Corporalis extensi super Altare, non omninò renes vertens Celebranti ob eius reuerentiam, nec statim illud postquàm reliquerit super altare, sed tantillum expectat vt Celebrant

brans illud adoret. Sic autem illud ponit vt imago Christi in Hostia Sacra expressa populum respiciat, tum Diaconus genuflectit & accedit erectus ad dexteram Celebrantis, cuius velum non adhuc remouetur ab humeris eius, quia infrà daturus est benedictionem.

13. Postquàm Celebrans dederit SS. Sacramentum Diacono statim genuflectit, & illo deposito super altare ab eodem Diacono, ibidem stans ponit thus in alterum thuribulum, ministrante Diacono nauiculam & genuflexus ss. Sacramentum ter, de more incensat. *Carem Epis. lib. 2 cap. 31.*

14. Interim Cantores statim ac Celebrans incipit incensationem, & non priùs incipiunt versum *Tantum ergò* & prosequuntur eundem cum sequenti versu *Genitori Genitoque, &c.* *Rit. Rom de procss SS Sacramenti.*

15. Dicto versu *Genitori* cantatur versus *Panem de cœlo, &c.* à duobus Cantoribus genuflexis, Chorus verò respondet, *Omne delectamentum, &c.* Tum Celebrans surgit & dicit *Dominus vobiscum*, & orationem *Deus qui nobis, &c.* ex libro quem Sacri Ministri genuflexi sustinent hinc inde ante eum. In fine Orationis dicitur tantùm breuis conclusio *Qui viuis & regnas. Per omnia sæcula sæculorum*, vt in Rituali Romano & non adhibetur longior, quia tantùm additur ad Missam & Horas. *Rit. Rom. loco citat.*

16. Responso à Choro *Amen*, Celebrans nihil addens ascendit ad Altare, genuflectit, & sine alterius ministerio accipit velatis manibus, vt priùs, Monstrantiam cum SS. Sacramento, & vertens se ad populum per latus suam dextrum, tenens manu dextra nodum, similtrà verò pedem Monstrantiæ, vt priùs, ante pectus benedicit populum semel tantùm nihil dicens, in modum crucis, facie Hostiæ ad eundem versa, & gyrum perficiens, Monstrantiam cum SS. Sacramento collocat super altare. *Gauantus par. 4 tit. 12 num. 7.*

17. Interim dum Celebrans benedicit, Ministri hinc inde genuflexi, & inclinati facie versa ad SS. Sacramentum, eleuant partes anteriores Pluuialis illius.

Gauantus part 4. tit. 12. num. 8.

18 Depositò SS Sacramento à Celebrante super Altare, ipse statim, genuflexione facta, descendit ad secundum gradum, vt priùs, id est genuflectens in primo gradu, ibique amoto ab eo per Subdiaconum aut Cæremoniarum velo, manet cum alijs ministris genuflexus donec Monstrantia cum SS. Sacramento per Diaconum intra Tabernaculum maius aut super altiorem altaris locum, si expositum manebit, reponatur: & amplius, non incensaturiuxta Rit. Rom. & Cærem. Episc. sufficit enim vnica incensatio statim post reditum processionis vt suprà, contra multos qui multoties absque ratione valida illud incensant.

Cærem. Epis. lib. 2 cap. 33. Rit. Rom. tit de Proces. SS. Sacramenti.

19. Diaconus postquàm reposuerit SS. Sacramentum, facta genuflexione, descendit ad dextram Celebrantis, vbi genuflectit; mox omnes surgentes, acceptis biretis recedunt in Sacristiam, Thuriferarijs præcedentibus, & Subdiacono cum Cruce, quam priùs recepit de loco suo in medio Ceroferariorum, quos sequuntur Cæremoniarius, Ministri sacri & Celebrans.

20. Si SS. Sacramentum maneat expositum, eo casu, nec Celebrans, nec ministri, nec alij regunt capita intra Presbyterium, sed extra tantum, nec candelæ extinguuntur, nisi etiam extra illud. At si includatur, Celebrans & ministri eo incluso acceptis biretis regunt capita sua ante Altare, & tunc omnes extinguunt candelas.

ANNOTATIONES.

§. 1. Publicæ, Sacræque Processiones, seu Supplicationes, quibus ex antiquissimo SS. Patrum instituto, Catholica Ecclesia, vel ad excitandum fidelium pietatem,

tatem, vel ad commemoranda Dei beneficia, eique gratias agendas, vel ad diuinum auxilium implorandum vti consueuit, qua par est religione celebrari debent, continent enim magna, ac diuina mysteria & salutares Christianæ pietatis fructus eas piè exequentes à Deo consequuntur, de quibus fideles præmonere, & erudire, quo tempore magis opportunum, fuerit, Parochorum officium est. *Rit. Rom. tit. De Processs.*

§. 2. Processiones quædam sunt ordinariæ, quæ fiunt certis diebus per annum, vt in festo Purificationis Beatæ Mariæ semper Virginis, & in Dominica Palmarum, & in Litanijs maioribus in festo Sancti Marci, & in minoribus Rogationum triduo ante Ascensionem Domini, & in festo Corporis Christi, vel alijs etiam diebus pro consuetudine Ecclesiarum. *Rit. Rom. loco cit.*

§. 3. Quædam verò sunt extraordinariæ, quæ varijs ac publicis Ecclesiæ de causis in dies indicuntur ex Episcoporum Diœcesanorum iussu, decreto; vel cum expresso eorum consensu.

§. 4. Vt Processio SS. Sacramenti secundum debitas ceremonias, in honorem tanti Sacramenti fiat, & ad remouendas omnes contentiones, & lites, quæ fortè causâ præcedentiæ oriri possent. & in ipso actu maximam indecentia, & scandalo Processionem ipsam turbare, cura eius erit ad quem pertinet, vt omnia decenter, & diligenter præparentur, & præuideantur. *Carem Episc. lib. 2 c. 33.*

§. 5. Imprimis vt plateæ omnes, quas transitura est Processio, mundentur, & obstacula remoueantur, ipsæque Ecclesiæ & viarum parietes tapetibus, aulæis, arboribus, frondibus, floribus, gramine, & sacris imaginibus, quoad fieri poterit & locus patietur, decentur ornentur; figuris quibuscumque vanis aut tali hospite indignis, procul amotis. *Car. Episc. loco citat Rit. Rom. de proces. in festo SS. Corp. Christi in princ.*

§. 6. Item fiat rotulus, in quo describantur per ordinem omnes tam laicorum Confraternitates, Religiosi, & Clerus, quàm etiam alij quicumque, qui Processioni interesse consueuerunt, vel debent, vt secundum debitum ordinem absque aliqua contentione procedatur.

§. 7. Quod si quæ præcedentiæ lis inter Religiosos, & Confraternitates seu laicos pendeat, quæ non tam de facile terminari valeat, poterunt absque præiudicio iurium ambarum partium in assignato Processionis procedere vel omnino ab huiusmodi processione abstinere donec lis fuerit determinata.

§. 8. Ipsâ processionis die summo manè præparandum est per Sacristam vel alios ministros baldachinum pulchrum super SS. Sacramentum deferendum nec non personæ qualificatæ pro deportatione eiusdem designandæ,

§. 9. item duo thuribula, cum nauiculis & thure,

§. 10. Velum quoque sericeum amplum album, aut ratum, seu perpulchrè ornatum ponendum super humeros Sacerdotis deportaturi SS. Sacramentum.

§. 11. Item funalia, seu candelæ ex cera albâ in numero sufficienti. Omnes enim tam Clerici Sæculares quàm Religiosi & laici deberent, si fieri posset, in hac processione, si non funalia, saltem candelas cantabas accensas manibus portare, & præsertim Clerici aptatis ad easdem candelas, si opus sit, vasculis quibusdam ad modum extinctoriorum inuersorum, vt in ijs recipiatur cera effluens ex candelis ne vestes & paramenta eorum inficiantur cerâ effluente. *Carem. Epis. lib. 2. c. 33.*

§. 12. Super altare in quo SS. Sacramentum exponi debet, erigatur aliquis locus eminentior seu Tabernaculum aliquod pulchrum & altum, in quo ponidebet Corporale, seu palla benedicta paulò amplior superponenda SS. Sacramento.

§. 13. Parantur insuper per vias aut alia loca per quas transeundum est, vna, aut duæ, vel ad summum tres mensæ in modum Altarium quæ decentissimè cum luminibus & pretiosis paramentis, ac mappis mundâ contegantur, cum palla aut Corporali desuper in eius medio, nisi forte bursa cum Corporali defertur ab aliquo, vt inseruiat, prout opus erit, & non est necessarium, vt super eadem mensa ponatur Altare portatile contra quosdam. *Carem. Epis. lib. 2. c. 33.*

§. 14. Eleuato SS. Sacramento, ac etiam antè, si opus erit, processio secundum ordinem in rotulo descriptum dirigitur, & procedit hoc videlicet ordine.

§. 15. Primùm occupant locum catecheticæ lectiones puerorum ac puellarum, si quæ sint, vexillis proprijs distinctæ, ac suauibus melodijs Deum laudantes.

§. 16. Deinde præcedunt Confraternitates laicorum, ante quamlibet sodalitatem Crux deferri debet cum proprio item vexillo prope summitatem hastæ appenso, ipsâ cruce quæ mediocris formæ esse debet superpositâ, velum illud coloris sit Sodalitatis propriæ *Rit. Rom. tit. de Proces.*

priæ cum Imagine Sancti, aut mysterij sub quo quæque Sodalitas militat. Sed vexillum militari, seu triangulari forma, nequaquam factum esse debet.

§. 17. Tum sequuntur secundum ordinem antiquitatis, vel dignitatis, Religiosi, modo & ordine vt infrà præscribetur de Clero sæculari. Quilibet post suam Crucem cum velo in quo erit figura atriarchæ illius ordinis vel Sancti Titularis. Crux enim à Regularibus deferri debet cum velo pendente, seu pallio, ex Decreto Sacræ Rituum Congregationis 14 *Ianuarij* 1617. ad indicandam subiectionem & inferioritatem Cleri sæcularis; eâdem ratione, quâ Baculo Abbatiali appenditur velum, seu sudarium nodo eiusdem, ad differentiam Baculi Episcopalis. *Gauantus part. 1. tit. 19. n. 5. lit. c.* *Carem. Epis. lib. 2. c. 33.*

§. 18. Postmodùm Curiales, & Officiales portantes intortitia accensa, inter quos vltimo loco ibunt nobiliores, & magistratus.

§. 19. Deinde Clerus sæcularis, hoc est, primò minister portans Crucem Ecclesiæ Cathedralis medius inter duos Ceroferarios cum candelabris & cereis accensis; propè enim Crucem semper hinc inde Acolythi Ceroferarij, candelabra cum cereis accensis deferre debent, ex antiquissima Patrum institutione sicut enim cùm in Choro diuina celebrantur officia, semper in altari Crux media inter duo candelabra cum cereis accensis adesse debet, ita cùm è Choro Ecclesiastici per Ecclesiam, vel extra procedunt Crucem ipsam inter duos cereos in candelabris accensos deferre debent. *Carem. Epis. loc. cit.* *Cassaldus in praxi cer. ac proces.*

§. 20. Crucem sequuntur Clerici seminarij, si aderunt, & post eos Curati Ecclesiarum, tum Ecclesiæ Collegiatæ, singulæ deferentes suam Crucem cum hasta. *Carem. Epis. loc. cit.*

§. 21. Clerici sæculares sicut, & Religiosi, omnes bini non absque mysterio, vt notat S. Bernardus incedere debent, iuniores præcedunt, sequuntur seniores, quilibet suo ordine, & loco, pari passu, æquali inter se seruatâ, distantiâ, atque proportione trium videlicet, vel quatuor passuum, inuicem si opus fuerit se expectantes, ne fortè disgregentur & modestè eos qui sequantur, obseruantes, nulloque sibilo vel strepitu procedentium silentium perturbantes. Omnes penè compositi, demissis ad terrâ oculis, corpore tamen erecto, grauiter ac modestè precibus aut cãtui intẽti procedunt: remoto risu, mutuoque colloquio, ioco, vago *Rit. Rom. tit. de Proc.*

oculorum aspectu, vel quauis alia dissolutione seu irreuerentia, vt nemini dantes illam offensionem vitaperationibus obloquentium non sint obnoxij. Ab his enim tantò religiosiùs à Religiosis ali, sque ecclesiasticis personis est abstinendum quantò à reliquis Christianis altiorem in locum sublati conspiciuntur, vt in eos tanquam in speculum Laici oculos coniciunt ex ijsque sumant modestiæ ac pietatis exemplum quod imitentur. Grauissimum enim scandalum illud crimen est, quod ad blasphemandum nomen Domini, & exprobrandum castris de Israel veræ fidei & Catholicæ religionis hostibus ab his datur, qui fidei & Catholicæ religionis præcipui debebãt esse defensores; & in omni Christiani populi supplicatione seu processione non solùm non vel leuiter quidem offendere, sed pro culpis & offensionibus suis & aliorum omnium, sua contritione & eminente pietate seu Deo irascenti murum opponere, eiusque furorem Sanctis orationibus gemitibus, lachrymis atque suspiriis suis placare.

Concil. Treuirense Colonien. sub Hermanno. 3. part. 5. ca. 28. & 29.

Carem. Epis. lib. 2 cap. 33.

§. 22. Vltimo loco incedit ecclesiæ cathedralis Clerus, qui omnes parati esse deberent paramentis albis sibi competentibus, incipiendo à iunioribus & inferioribus Ordine, videlicet primo Subdiacono & Diacono cum dalmaticis & tunicellis, deinde presbyteri cum planetis, vltimo loco dignitates cum pluuialibus.

§. 23. Si Clerici deferant candelas accensas aut ramos cum libris processionalibus, qui incedent à dextris ramos aut candelas dextrâ deferant, sinistri librum; qui verò à sinistris sinistrâ accensum cereum elatum, æquali portione cum suo collaterali deferant alteram manùm pectori admouentes vel eâdem librum tenentes.

Carem Epis. lib. 2. cap. 13.

§ 24. Post Clerum sequi debent alij quidam superpelliceis induti faces deferentes quas accendere debuerunt ante eleuationem Sanctissimi Sacramenti. Hos insequuntur duo thuriferarij cum duobus thuribulis & nauiculis thure repletis, continuò per viam processionis Sanctissimum Sacramentum incensantes.

Carem. Epis. loco citato.

§. 25 Post hos sequitur vmbella sub qua Sacerdos portans monstrantiam cum Sanctissimo Sacramento capite directo incedit medius inter Diaconum & Subdiaconum paratos; si verò ij haberi non possunt duo primarij viri id præstare, & fimbrias anteriores pluuialis eundo eleuare possunt.

§ 26. Ab

§. 26. Ab vtraquè vmbellæ parte aliqui Clerici superpelliceis induti, aut aliqui viri honesti decenter vestiti cum facibus accensis. *Carem. Epis. lib. 2. cap. 33.*

§. 27. Post vmbellam Cæremoniarius cum socio vel vnus aut duo Clerici superpelliceis induti, pro Sacerdotis circumgestantis Sanctissimum Sacramentum, & Processionis occurrente necessitate.

§. 28. Tandem Magistratus, & alij Ciues, plebei, bini & bini inter quos primum locum obtinent Principes aut Gubernatores, omnes detectis capitibus cum intortitijs accensis deuotè orantes, quæ non antè extinguunt, quàm sub finem Processionis in Ecclesia cum Sanctissimo Sacramento fuerit data benedictio.

§. 29. In principio Processionis omnes primùm Altari deinde Episcopo, si adsit, reuerentiam faciunt, pariter transeuntes ante Altare in quo Sanctissimum Sacramentum asseruatur, vel sacra hostia eleuatur omnes genuflectunt bini suo ordine, exceptis deferente Crucem cum ceroferarijs, qui nunquam genuflectere debent. Per angustiorem locum transeundo iunior præcedit, subsequitur senior, statimque dum angustiam loci transierint, eodem modo, quo priùs, se iungunt & vbi procedentium numerus dispar fuerit duo vltimi medium habent seniorem, qui etiam poterit solus, maximè si fuerit Prælatus aut loci superior, post alios incedere. *Castaldus de Processionibus.*

§. 30. In omnibus Processionibus Sanctissimi Sacramenti, dum Sacerdos portans SS. Sacramentum discedit ab Altari, Clerus vel Sacerdos dictus incipit Hymnum *Pange lingua, &c.*

§. 31. Per viam Processionis cantantur Antiphonæ, Psalmi, Hymni, vel Litaniæ, iuxta præscriptum Ritualis Romani aliorumque Processionalium librorum. Antiphonæ quidem à Cantoribus incipiuntur, reliquis omnibus simul prosequentibus, Psalmi vero & Hymni ab ijsdem Cantoribus inchoantur, cæteris alternatim prosequentibus, videlicet à medio, & infra seniores primum versum, à medio & supra iuniores secundum versum; & sic deinceps alternatim vsque ad finem æquali disciplina prosequuntur. Si cantandæ erunt Litaniæ Cantores in medio Processionis ipsas inchoant, reliqui omnes simul vel respondent, vel si solemniter cantantur eadem repetendo pariter cantant, interim qui silent, ad ea quæ ab alijs cantan-

tur attendant, cauentes maximè ne inuicem tempus colloquantur & alios perturbent.

§. 32. In Processionibus Sanctissimi Sacramenti totam viam omnes debent esse aperto capite. In aliis autem dum per Ecclesiam proceditur erunt aperto Capite: extra Ecclesiam verò (si non deferantur Sanctorum Reliquiæ) caput tegunt: cùm ante imagines Sanctorum transeunt caput detegunt, & ante altaria per viam Constructa detecto & inclinato capite eidem reuerentiam faciunt.

§. 33. Si in via Processionis ad aliquam Ecclesiam diuertendum erit, illius loci Clerus super pelliceis, vel si fuerint Regulares, habitu sui ordinis indutus, vsque ad Ecclesiæ suæ ianuam obuiam procedere, atque suffitu thuris excipere debent, & si cantentur Litaniæ vel aliud. Cantores ianuam Ecclesiæ ingressi desistunt, à cantu & ibi sono campanarum atque Organorum excipiuntur; & vbi ante Altare ad hoc præparatum Celebrans peruenerit: Cantores incipiunt altiori & solemniori tono Antiphonam Titularis illius Ecclesiæ, deinde subdunt versum, & Celebrans dicit Orationem.

Carem. Epis. lib. 2. c. 33.

§. 34. Cauendum ne in Processionibus actus scenici, vel ludicri, & indecori intermisceantur, sed omnia cum grauitate & deuotione fiant ac procedant.

Act. Prouinc. S Caroli Borromæi lib. 2. de Proces. SS. Sacrament. Carem Epis. lib. 2. c. 33.

§. 35. Nullæ statuæ, imagines, aut Reliquiæ Sanctorum siue Sanctarum in Processionibus SS. Sacramenti deferendæ essent, sed solùm Sanctissimum Sacramentum, vt veteris instituti, Ecclesiæque Romanæ matris consuetudinis est, pio, religioso que apparatu ferendum esset; Si verò contingat aliquam statuam piæ alicui Confraternitati præferri (cui tamen iuxta Cæremoniale Episcoporum potiùs vexillum præferendum esset) ea deferri debet per Clericos Sacris initiatos & linteatos seu in corum defectu non à contemptibilibus, sed honestis ac spectatis viris pallcatis, quoad fieri potest, & aperto capite omni cum reuerentia & deuotione. Nunquam verò capsulæ quantumcunque pretiosæ in quibus nullæ sunt approbatæ reliquiæ venerationis causa in processionibus deferendæ, aut in Ecclesijs ipsis populo exhibendæ sunt.

§. 36. Non tam ex consuetudine aliqua pia quàm detestabili abusu introductum conspicitur, quod plerisque

risque in locis puellæ nubiles, sæculariter comptæ, procis cinctæ, risui, ioco, alijsque leuitatibus indulgentes in Processionibus seu supplicationibus præeunt; atque Crucem, Reliquias, vel statuas Sanctorum parua cum reuerentia & ædificatione gestant ac deferunt.

§. 37. Præterea cauendum ne Beatissimæ Mariæ Virginis aut cuiusuis Sancti vel Sanctæ plures quàm vna, cuiusuis mysterij statua modo supradicto in supplicationibus deferatur, vti ex hoc decreto constat.

Nihil prope tam Sanctum est, quod sæcularium hominum vanitas non trahat in abusum: Ecclesia de thesauro corporis Christi exultans, circumfert longis Processionibus, etiam extra Sacras ædes. Hostiam illam salutarem, videlicet simul repræsentans itineris Christi historiam qui dum quæreret salutem nostram in medio populi versatus est, & vniuersam Iudeam circumambulauit docens & agrotos sanans, discipulis comitantibus: quamobrem & Sanctorum reliquias & imagines eorum, qui vestigia eius secuti sunt simul circumferimus, significantes illos nunc cum ipso regnare & triumphare in cœlis: Quæ memoria debet pijs esse iucunda & lata. Verum huc sæcularis stultorum vanitas irrepsit, & adhibentur etiam ludi prophani & scurriles magno strepitu, ac quasi ad bellum procedendum esset tympana pulsantur, & ociosa spectacula eduntur rebus istis non congruentia, quibus populus delectatus à rebus quæ processione aguntur, auocatur. Mandamus idcirco, vt iuxta Cæsareæ Maiestatis reformationem, quicquid non valet ad deuotionẽ excitãdã ex processionibus remaneat. Sed sint processiones cõpositæ graues & modestæ, absint risus, ioci, & confabulationes & orent homines, aut suauiter corde ac voce modulentur, nec B. Virginis aut alterius cuiuslibet S. plures quàm imago vna vniuscuiusq; circũferatur ne videatur magnas & paruas cultas & incultas statuas inspicere & non sursum mente in cœlum subducta rem significatam potius cogitare: at vbi populus vanus noluerit hũc abusum corrigere & insolentiam prohibere, mandamus & præcipimus Sacerdotibus & Clero ne talibus Processionibus intersint vbi iram Dei non verò misericordiam, in nos prouocamus.

Statuta Adolphi 3. Archiepiscopi Colonien. pag. 451.

§. 38. Processio quoque cum SS. Sacramento non tam longi itineris circuitu instituai debet; ne aut populi deuotio langueſcat, aut compotationibus alijsque factis indecoris & irreligiosis occasio præbeatur, vel etiam populi deuotio langueſcat. Quod enim sacræ processiones per agros & campos magno itineris circuitu certis anni temporibus peraguntur, rationẽ quidem habet, nempe quod populus oret, vt segetes

Concil prouinc Colonien. sub Hermanno 5. part 9. c 8

ac fruges terræ à Domino conseruentur. Verùm vt alia plurima, ita & hic mos hominum malitia depraua tus est, quod per occasionem talis deambulationis, quæ Deo placando erat instituta, pleraque scelera committantur. Quamobrem satiùs videtur, vt hæ, aliæque supplicationes ac processiones, cum consensu Episcopi Diœcesani ita contrahantur & abbreuientur, vt omnis scandali & irreuerentiæ tollatur occasio & viarum longitudine deuotio non tepescat, sed intra templi spatia vel oppidi seu pagi septa religiosè fiant, ac in templo, loco precationibus peculiariter dedicato, oretur Deus, habeaturque tum pius, tum rei ac tempori conueniens ad populum commonitorius sermo.

Concil Prouinc. Colonien. sub Adolpho 3. in sens. & decret. c. nihil prope tam Sanctum *pag 451. & 452.*

§. 39. Similiter in sacris supplicationibus vel Processionibus nullæ Sanctorum, aut sacratum historiarum, ne ipsius quidem Saluatoris à personatis Adolescentibus, aut alijs repræsentationes fieri debent, vel quidquam exhiberi quod possit intuentium animos ab eo, quod in supplicatione potissimùm spectandum est, ad se rapere. Hinc etiam abrogandæ sunt commessationes, compotationes, choreæ, tripudia pulsatis tympanis, atque saltationes quæ occasione festorum Sanctissimi Sacramenti, vel Dedicationis Ecclesiarum Parochialium solent fieri, quæ etsi olim potuerint fuisse testimonia publicæ lætitiæ, gaudijsque Spiritualis vt animo simul & corpore fideles Dauidis exemplo exultarent, in memoriam tantæ solemnitatis, modo tamen ex morum corruptela multis periculis lasciuiæ & turpitudinis sunt obnoxiæ.

§ 40. Præterea salutares huiusmodi cautelæ adhibendæ sunt circa personatus & processionales historias in templis, & publicis supplicationibus occasione aliquarum festiuarum exhiberi solitas per quas scilicet Christi Sanctorum vel aliorum quorumcumque siue viuorum siue mortuorum personæ, miracula, vel res quomodo liber gestæ repræsentantur, quæ omnino abrogandæ, vel nullis, etiam cuiuslibet instituti Religiosis aliter permitti, quàm sub prævio examine & permissu Ordinariorum, Diœcesanorum; ne quidquam in eiusmodi actionibus exhibeatur quod sit à veritate vel pietate alienum, quodque oblectet magis oculos carnis quàm mentis, vnde sæpè euenit, vt populus in istiusmodi spectaculis sic absorbeatur, vt cultus & reuerentia augustissimo Sacramento tunc maximè exhibenda, non sine offendiculo, prò dolor, negli-

negligatur, cùm populus à debita ipsius ter maximi Sacramenti veneratione, & oratione ad curiosum ornatus puerilis, & quasi comicæ cuiusdam actionis auocetur aspectum.

§. 41. Aduertant Sacerdotes, qui posteriores sunt, ne nimium se elongent à SS. Sacramento.

§. 42 Continuatè, vniformiter, & sine vlla intermixtione laicorum Religiosi & Clerici incedere, nec vnquam subsistere debent; nisi necessitas id postulet. Atque si contingat eos transire ante SS Sacramentum quod fortè defertur ab alijs non propterea debent firmare se, multò minùs vna Processio, aliam sibi obuiam cum Monstrantia SS. Sacramenti benedicere.

§. 43. Dum Celebrans benedicit populum cum Sanctissimo Sacramento hunc ritum seruare debet: stans enim versus populum Monstrantiam cum SS. Sacramento ante pectus tenet deinde eleuat illam decenti mora, non super caput, sed tantùm ad oculos, & eodem modo illud demittit infra pectus, mox iterùm recta attollit vsque ad pectus, & deinde ad sinistrum humerum mox ad dexterum, & rursum ante pectus ducit, ibique aliquantulum sistit, quasi peractâ ad omnes partes mundi Cruce eam etiam omnibus præbeat venerandam, tum gyrum perficit ac reponit.

§. 45. Ad processionem benè instituendam necessarium quoque videtur vt magistratus loci in quo Processio institui contingit tempestiuè præmoneatur ad cohibendam & coercendam impiorum insolentiam, vel ad impediendum ne in via, qua procedendum erit, osculenta aut poculenta vendantur, vel ad remouenda quæcumque alia, quæ ad excitandam veram deuotionem non faciunt, sed potius ad vanitatem animos trahunt, & à Sanctis cogitationibus auocant.

TITVLVS VI.

De Oratione publica & solemni, indicta pro re grauicoram SS. Sacramento, quæ dicitur Quadraginta Horarum.

1. VT hæc tam sancta tamque laudabilis actio vbique nunc recepta, & à sanctæ memoriæ

Clemente Octauo instituta, laudabiliter vel potiùs summa cum deuotione continuata ritè, & vt æquum est, celebretur, de qua vbertimos fructus & infinita commoda fidelium mentes Orationis pabulo refectæ mirabiliter colligunt; hæc accuratissimè obseruanda sunt.

2. Pridiè inchoandarum Precum Campanæ vt in Festis solemnioribus fieri solet, meridie & sub vesperam, (quod & triduo orationis seruatur) compulsabuntur, addita pulsatione matutina quotidie ad precum initium, vt populus ad orationem inuitetur.

3. Templum in quo preces 40. horarum habebuntur, ea præsertim parte, qua augustissimum Eucharistiæ Sacramentum exponetur adorandum, quàm poterit venustissimè ornetur, nullis tamen tabulis aut tapetibus profanum quid exhibentibus; & non nisi in vno cuiusuis Ecclesiæ Altari, eoque summo, vel alio (si quod fortè ad aspectum & deuotionem populi commodius fuerit) istud ter maximum Sacramentum in Monstrantia patenter exponatur. Altare verò hoc sic disponatur vt nihil adspectum ipsius Sanctissimi Sacramenti impediat, & in eodem Altari, quamdiu Sacratissimum hoc Sacramentum patens & apertum est expositum, vel duo quatuor, minimùm cerei continentur ardeant.

4. Alia etiam Altaria per Ecclesiam, vt in festis præcipuis parenter solemni & magnifico ornatu, adhibitis velis & candelabris pretiosis cum cereis ceræ albæ, vasculis, floribus, vel naturalibus vel arte factis inter dicta candelabra, ac circum circa benè depositis, sacræ imagines, si fieri potest, cum alijs Ecclesiasticis ornamentis apponantur, atque pretiosiora ornamenta pro celebratione Missarum, etiam priuatarum adhibeantur; Ecclesiæ etiam parietes pannis pretio-

sis,

sis, & tapetibus conuenientibus decentissimè ornentur. Vitetur tamen omninò apparatus omnis profanus, & qui deuotionem non sapiat.

5. Ipso die dum fit initium precum quadraginta horarum, Sacerdos manè hora quinta superpelliceo desuperque Stola, & si haberi possit etiam Pluuiali albi coloris, vel si ea vice statim missam priuatam celebraturus sit Sacerdotalibus paramentis coloris officio Missæ conuenientis indutus in Sacristia, præcedentibus Thuriferario & ceroferarijs egreditur, & accensis intortitijs seu facibus accedit ad locum vbi Sanctissimum Sacramentum asseruari solet, ibique genuflectens aliquantulùm oret, interim ab aliquo in Sacris constituto aperitur ostiolum Tabernaculi, quo aperto Celebrans surgens, accepto cochleari, ac Ministro nauiculam thuris porrigente, ter imponat thus thuribulo absque benedictione: mox in supremo gradu genuflexus, accepto thuribulo, triplici ductu augustissimum Sacramentum incenset facta ante & post eiusdem Sacramenti incensationem profunda capitis simul cum Ministris inclinatione: tum sumpto velo oblongo, quod ei apratur circa humeros per aliquem ex ministris, ascendit ad Sanctissimi Sacramenti locum, repetita ante illum genuflexione, accipit Monstrantiam cum ipso Sacramento, eamq; ante Altare ad id præparatum versus populum tenens, sub cantu Versiculi *Tantum ergo, &c.* semel benedicit populum in modum crucis nihil dicendo, & circulum perficiendo Mõstrantiã ipsam super Corporale in Altari prædicto substratum deponit: atq; per aliquẽ Acolythum ablato velo, impositoq; ante infimũ gradũ Altaris incẽso, vt suprà, in thuribulũ, in medio supremi Altaris gradꝰ genuflexꝰ, accepto thuribulo,

iterum

iterum Sacrosanctum Sacramentum ter thurificat, præmissa etiam semper & subsecuta profunda capitis inclinatione vt suprà.

6. Ne verò populus conuocatus pulsu matutino, & spe benedictionis excipiendæ, moræ impatiens confestim diffluat, succedat continuò sacrum matutinum.

7. Exposito SS. Sacramento, vbi moris est, Horæ canonicæ tractim, attentè ac deuotè canantur de officio occurrente nequaquam autem aliquo votiuo, veluti de SS. Trinitate; SS Sacramenti, B. Mariæ Virgine aut Patrono Ecclesiæ. In Laudibus ac Vesperis ad cantica *Benedictus* ac *Magnificat* thurificatur SS Sacramentum & altare in quo idem expositum est, obseruatis diligenter genuflexionibus debitis & reuerentialibus actibus omnibus ad dignitatem ac reuerentiam tanti Sacramenti spectantibus. Sicubi verò Horæ matutinæ cantari non consueuerunt, Litaniæ omnium Sanctorum cum precibus & collectis post expositionem ss. Sacramenti statim dicantur.

8. Missa conuentualis siue solemnis dicenda est de ss. Sacramento, etiam si sit dies Dominica, vel festum duplex per annum cùm albis paramentis. In Cathedralibus tamen Ecclesijs & Collegiatis, diebus priuilegiatis & alijs assignatis in Missali recognito titulo de Translatione festorum, dicuntur duæ Missæ, vna post Tertiam de die, nisi sit dies ieiunij priuilegiatus, alia de ss. Sacramento solemniter post Nonam, in qua dicitur *Gloria in excelsis*, & *Credo* Præfatio de Natiuitate, & vnica Oratio.

9. Si verò vnica tantùm Missa celebretur vt in festis & Dominicis primæ aut secundæ classis, ea quidem erit de festo, aut Dominica in paramentis officio conuenientibus, cum commemoratione

tione *Sanctissimi Sacramenti.* Priuatæ autem Missæ, siue quæ leguntur, correspondeant officio diei occurrentis, si verò votiuæ sint, celebrantur iuncta Regulas Rubricarum generalium, vt in ijs non dicatur *Gloria in excelsis*, nec *Credo*.

10. Circa horam quintam prioribus duobus diebus precum inchoatur Completorium, tertio verò die hora sexta, nisi fortè alicubi in ipsius vltimi diei, vel præcedentium dierum manè præueniendo aut vespere protrahendo quadragenarius horarum numerus prudenter expletus censeri possit.

11. Post Completorium cantantur, flexibus genibus Litaniæ Lauretanæ cum *Vers.* & *Resp.* quibus Sacerdos superpelliceo & albi coloris stola pluuialique, vel (si hoc haberi nequeat) saltem stola indutus, stans ante infimum gradum Altaris addit Collectam de Beatissima Virgine. Deinde cantata à Choro Antiphona. *O sacrum conuiuium, &c.* aut *O salutaris Hostia*, versu *Panem de cœlo, &c.* dicit *Dominus vobiscum* & Orationem de ss. Sacramento ex libro quem tenent duo Acolythi genuflexi ante eum, vel ipse eundem tenet, quibus dictis ibidem adhuc stans ter imponit incensum thuribulo absque benedictione, inde in medio supremi gradus genuflexus, accepto ipso thuribulo, ss Sacramentum ter thurificat facta ante & post thurificationem capitis inclinatione, mox sumpto velo oblongo, quod ei aptatur per aliquem ex ministris surgit, atque repetita iuxta Altare genuflexione accipit Monstrantiam cum sacrosancta Eucharistia, atque ambabus manibus versus populum tenendo sub Cantico *Genitori genitoque* vnicam nihil dicendo dat populo bendictionem, & gyrum perficiens reuerenter reponit in Tabernaculo, genuflectit, claudit illud, descendit in planum, vbi vnicum

genu-

genuflectit, capit biretum, & tecto capite, descendit in Sacristiam.

12. Tertio siue vltimo die precum decantatis Litanijs Lauretanis cum *Versic & Collecta* de Beatissima Virgine in gratiarum actionem pro omnibus feliciter peractis subiungi potest *Te Deum laudamus* cum *Vers Resp.* & Collectis vt in Rituali Romano *Tit. Preces dicenda in Processione pro gratiarum actione:* deinde alijs numero præcedenti præscriptis absolutis: precibus quadraginta horarum imponetur finis.

13. Ne vnquam coram augustissimo hoc Sacramento in Altari patenter exposito sit solitudo, minimùm duo semper Ecclesiastici vel Religiosi, vel certè vnus, si alter haberi nequeat, intra cancellos in scamno ante medium Altaris prædicti præparato, genuflexi, superpelliceis indutti & nudo capite deuotè orabunt per horam, sub cuius initium legent Litanias omnium Sanctorum cum precibus & Collectis, & alias pias Orationes; neque ante discedent, quàm alij duo successerint, præterquàm dum Matutinæ, Horæ minores, summum Sacrum Vesperæ & Completorium decantantur, catalogo orantium ad id descripto, & in Choro, seu alio patenti loco affixo.

14. Simili serie atque continuatione bini saltem & binæ ex vtroque sexu in diuersis scamnis adhoc extra cancellos dispositis, quorum illi in scamnis quæ ad dextram sunt, hæ ad sinistram flexis perpetuò genibus, communem Dominum adorare possunt per integram quoquè horam, & humili animo ac feruenti pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione, alijsque Ecclesiæ necessitatibus precentur, atque exemplo suo alios aduentantes incitent.

rent. Quapropter Pastores seu vice Pastores omnium suorum parochianorum nomina vno catalogo comprehensa, in singulas diei horas toto hoc precum triduo distribuant, eumque publico & congruo Ecclesiæ loco suspendant, quo quisque ex populo intelligat, qua hora & quo ordine oraturus sit, quin & singulos suos Parochianos per schedulas inuitent suam cuique horam assignando. Ad quam piam curam omnes Christi fideles seriò adhortari possunt maximè verò Sodales Confraternitatis ss. Sacramenti, aut alij deuotæ Confraternitatis confratres qui habitu confraternitatis induti, si ea sit consuetudo, bini etiam per vices ibidem orationi vacare possunt.

15. Vt maior religio templis accedat, & populo seruiendi Deo opportunitas, Sacerdotes omnes in eadem Ecclesia singulis precum diebus celebrent, & quantùm fieri potest prouideatur, vt qui maturino tempore oraturi aduenient, nunquam altaria prorsùs à sacrificio Missæ vacua deprehendant. Quod vt fiat commodiùs, iuuabit alios quoque Sacerdotes tam sæculares quam Regulares vicinos opportunè ad hoc inuitare. Qua in re vt ordo seruetur, nec omnes vna hora simul ad Altare concurrant, reliquo autem tempore nullus in templo Sacerdos sacrificium offerens reperiatur, sed reuerenti cum decore, dignitateque alter alteri succedat, curent Ecclesiarum Superiores, aut eorum vices gerentes, vt per singulas saltem semihoras Missa inchoetur, catalogo Celebrantium aptè descripto, & in Ecclesiæ Choro vel Sacristia affixo: sic enim & Sacris mysterijs maior redibit reuerentia, & populo erit gratior ad templum quotidiè veniendi occasio.

16. Exoptandum est, vt ficubi occasio sese com-

commoda offert, triduo Precum durante subindè quadrantis vnius horæ spatio per Concionatorem indutum superpelliceo, stolaque desuper pendente è collo & detecto capite non è suggestu ob reuerentiam sacratissimi Sacramenti, sed ad cornu Euangelij Altaris supradicti stantem, frequentior populus pia & feruenti exhortatione ad benè orandum excitetur.

17. Scholæ, Catechismi, & similes paruulorum Congregationes, suas itidem habere possunt horas, quibus interdum pro sua commoditate, pulchro ordine ad Christum in Ecclesias sibi viciniores, durante 40. Horarum Precum triduo religiosè conueniant, eumque pia oratione, cantu, recitatione Rosarij etiam clara & similibus obsequijs venerentur, vt vel ea ratione potentibus apud Deum innocentium precibus Diuinæ Maiestatis furor extentus placeatur.

18. Pastores, Concionatores & Catechistæ omnes singulis diebus Dominicis præmonere debent subditos & auditores suos, quibus diebus & Ecclesijs per hebdomadam preces 40. Horarum continuabuntur.

ANNOTATIONES.

§. 1. In seruandis precibus quadraginta horarum diligenter obseruanda sunt quæ *tit.* 4. de Missa solemni coram SS. Sacramento celebranda, & in Annotationibus ipsis ibidem præscripta sunt.

§. 2. Ad Horas Canonicas conuenientes Ecclesiastici nudo stent semper capite, nisi propter longitudinem Officij sedere cogantur, vt ad Psalmos, & Lectiones, & etiam in Missa ad Epistolam & alia; sed eo casu semper nudum caput habeant.

§. 3. Ad Vesperas, si dicantur, Celebrans indutus esse debet superpelliceo, & stola seu pluuiali Coloris officio conuenientis Incensum ad *Magnificat*, benedicitur sine osculis, & Sanctissimum Sacramentum incensatur genibus flexis, & posteà altare, & genuflectitur toties quoties transitur altare.

§ 4 Toto

§. 4 Toto tempore Orationis nullus sæcularis multò minùs mulier quãuis monialis expositò SS. Sacramento intra Presbyterium ingredi debet ; quacumque ex causa, siue ad emungendos vel accendendos cereos, hoc enim ad solos Clericos pertinet, præterea nullus Clericorum ingrediatur, nisi habitu chorali, aut saltem superpelliceo indutus.

§. 5. Tam in precibus 40. horarum, quàm alio quocumque tempore SS. Sacramentum, pro adoratione populi, non nisi in vno cuiusuis Ecclesiæ Altari exponendum est, ideoque si Ciborium seu Pyxis cum sacris paruis hostijs in alio Altari necessariò exponendum esset, (quod tamen non conuenit tabernaculo enim includendum esset, & tempore communionis tantùm extrahendum) tunc nihilominus non tota die expositum manere debet, sed statim cessante distributione Sacræ Communionis ad locum suum in quo asseruari solet reuerenter reportandum erit.

§. 6. Preces 40. aut 10. horarum fieri non possunt ad voluntatem cuiuslibet Superioris, sed tantùm Ordinarij Episcopi Diœcesani auctoritate vel consensu multò minùs ex particulari sæcularium aut totius etiam Magistratus deuotione sine Episcoporum requisitione & approbatione *Clementis Papæ* VIII. *constitutio 4. Bullarij tom. 3. in appendice.*

§. 7. Præterea sciendum quod in precibus 40. vel 10. horarum, aut quocumque alio tempore nunquam liceat publicè alias decantare Litanias, quàm omnium Sanctorum, aut de B. Maria Virgine in sacra Æde Lauretana dici solitas, vel à Congregatione sacrorum Rituum approbatas, vti constat ex hac constitutione Clementis Octaui Pontificis Maximi.

Sanctissimus Dominus noster Clemens Papa VIII.

QVoniam multi hoc tempore priuati etiam homines prætextu alendæ deuotionis, nouas quotidiè Litanias euulgant, vt iam prope innumerabiles formæ Litaniarum circumferantur, & in nonnullis inepta sententia in alijs (quod grauius est) periculosa & errorem sapientes inueniantur, pro sollicitudine sua pastorali prouidere volens, vt animarum deuotio, Deique ac Sanctorum inuocatio, sine vllius detrimenti spiritualis periculo foueatur.

Præcipit & mandat, vt retentis antiquissimis & communibus

Litanijs,

Litanijs, quæ in Breuiarijs, Missalibus, Pontificalibus, & Ritualibus continentur, nec non Litanijs de Beata Virgine quæ in Sacræ Æde Lauretana decantari solent, quicunque alias Litanias edere vel tam editis in Ecclesijs siue Oratorijs, siue Processionibus, vti voluerint, eas ad Congregationem Sacrorum Rituum recognoscendas, & si opus fuerit corrigendas mittere teneantur, neque sine licentia & approbatione prædictæ Congregationis eas in publicum edere, aut publicè recitare præsumant sub pœnis (vltra peccatum) arbitrio Ordinarij, & Inquisitoris seuerè infligendis.

Præsens Decretum factum fuit in generali Congregatione Sanctæ Romanæ & vniuersalis Inquisitionis habita in Palatio Apostolico in Monte Quirinali, coram prædicto Sanctissimo Domino Nostro, ac Illustrissimis & Reuerendissimis Dominis S. R. E. Cardinalibus aduersus hæreticam prauitatem generalibus Inquisitoribus, VIII. Idus Septembris, Anno à Natiuitate Domini Nostri Iesu Christi 1601.

Quintilianus Adrianus
Not.

TITVLVS VII.

De Missa solemni pro defunctis.

Carem. Epis. lib. 2. c. 11.

1. CVm solemniter Celebrandum erit Missæ Sacrificium pro defunctis, Altare & omnia alia, paramentis nigri coloris, absque tamen imaginibus mortuorum, mortis, lachrymarum, ossium in modum Crucis, aut aliarum huiusmodi, cooperire debent. In ipso autem Altari præter Crucem, & Candelabra, nullus omninò ornatus apponatur, non flosculi, non Sanctorum Reliquiæ, imagines, vasa, aut alia id genus adornatum pertinentia.

Carem. Epis. lib. 2. c. 11. Gauantus Part 2. Tit. 13. n. 2.

2. Cerei omnes erunt ex cera communi, non alba.

3. Credentia erit simplex cum linteo breui, super quam ponentur necessaria cum duobus candelabris & candelis accensis ex cera communi.

4. Præter paramenta Missali in promptu erunt pluuiale nigri coloris pro celebrante in absolutione vtendum, Crux processionalis. Thuribulum cum Nauicula, vas aquæ benedictæ cum aspersorio, & candelæ distribuendæ regulariter ex cera communi.

5. Si facienda sit absolutio in medio ecclesiæ præparetur lectica mortuorum seu tumulus, vel si solemniores fuerint exequiæ etiam machina construatur, quam castrum doloris dicunt, maioris vel minoris altitudinis pro mortuorum qualitate, & hæredum arbitrio, super lecticam ipsam sternatur pannus niger signo crucis insignitus, vel etiam culcitra ex ho olerico. *Cærem Epis. lib. 2. c. 11.*

6. Totum presbyterium sit nudum, excepto quod vnum tapete nigri coloris super primo gradu Altaris poni possit. *Cærem. Epis. lib. 2. c. 11.*

7 Missa pro defunctis regulariter iuxta Rubricas Missalis cantari debet post primam, quod si officium fuerit solemne, vt in die Commemorationis omnium Defunctorum, vel in die obitus quando officium sepulturæ præsente corpore celebratur; vel etiam in alijs officijs & Anniuersarijs, quæ solemniter celebrantur, post Nonam cantari debet, in quo casu Nona in Choro cũ alijs Horis immediatè post Sextam cantabitur. *Rubr. gener. Miss. t. 1. 15. num. 3.*

8 Hora competenti Celebrans facta breui Oratione (non enim dicit Orationes præparatorias solitas id est Psalmos *Quam dilecta, &c.*) dicit tamen ad lotionem, & indumenta consuetas orationes vt in alijs Missis, Amictum, Manipulũ, & stolam more solito osculatur, qua de re quidam dubitauere, eò quòd prohibentur oscula rerum in Missa solemni pro Defunctis. *Cærem. Epis. lib. 2 c. 11.*

9. Sacerdos paratus omnibus paramentis Sacerdotalibus, præcedentibus Acolythis, cũ Subdiacono & Diacono, procedit ad Altare incipit

Missam

Missam, producens manu dextra à fronte ad pectus signum crucis dicit *In nomine Patru, &c.*

10. Ante Confessionem non dicit Psalmum *Iudica me Deus. &c.* Sed pronuntiata Antiphona, *Introibo ad Altare Dei,* & responso à ministro, *Ad Deum qui lætificat &c.* dicit deinde *Adiutorium nostrum &c.* fit confessio cum reliquis vt in alijs Missis.

Rubr. gener. Miss. tit. 13. num. 1.

11. Finita Confessione & osculato Altari omissa incensatione Altaris, statim incipit Introitum non se signans, sed manu dextra extensa facit signum crucis super librum quasi aliquem benedicens sinistra super Altare posita.

12. Non dicit *Gloria patri* sed post Psalmum repetit *Requiem æternam,* nec dicit *Gloria in excelsis.*

Rubr. gener. Miss tit. 13. num. 2.

13. Cantata Epistola Subdiaconus non osculatur manum Celebrantis, nec Celebrans legit *Alleluia* nec *Iube Domine benedicere.* dicit tamen modo & more solito *Munda cor meum, &c.*

14. Diaconus non petit benedictionem, nec osculatur Celebrantis manum, sed duo tantùm Acolythi sine candelabris stant, vnus à dextris & alter à sinistris Subdiaconi tenentis librum Euangeliorum. Celebrans tamen more solito conuertit se ad Diaconum cantantem Euangelium.

15. Finito Euangelio Celebrans non osculatur librum, nec incensatur, sed statim dicit *Dominus vobiscum* & *Oremus* pro offertorio.

16. Deinde procedit vt in alijs Missis, non benedicit tamen aquam in calicem fundendam, dicit tamen orationem *Deus qui humanæ substantiæ, &c.* & imponit thus in thuribulum more solito cum benedictione *Per intercessionem &c.* & thurificabit oblata & Altare & demùm ipse solus thurificabitur à Diacono cum consuetis orationibus.

Cærem. Epis. lib. 2. cap. 11.

17. Si

17. Si facienda sit oblatio à populo, fiat statim post lectum à Celebrante Offertorium, & ad eam non deferantur candelæ, quia accendi tantùm debent ad Euangelium, eleuationem ss. Sacramenti, & absolutionem; nisi fortè aliæ ad id distribuantur; Et certè conueniret vt offerentes nihil prorsùs oscularentur, quia prohibentur oscula in hac Missa. *Rubr. gener. Miss part. 2. tit. 13. n. 3.*

18. Cùm lauat manus, in fine Psalmi, *Lauabo inter innocentes, &c.* non dicit *Gloria Patri.* Subdiaconus non tenet Patenam post Celebrantem.

19. Dum dicitur *Sanctus, Sanctus, &c.* quatuor aut duo Acolythi cum funalibus ex eadem cera communi accensis pro eleuatione accedunt, more solito, & similiter omnes genuflectunt, sic permanentes vsque ad *Per omnia sæcula*, ante *Pax Domini &c.* Acolythi verò cùm funalibus vsque ad factam Communionem. Subdiaconus ad eleuationem impositio per aliquem Acolythum thure in thuribulum thurificabit Sanctissimum Sacramentum genuflexus in cornu Epistolæ. *Cærem. Epis. lib. 2. c. 10.*

20. *Ad Agnus Dei* non dicitur *Miserere nobis* cuius loco dicitur, *dona eis requiem*, nec tertiò *Dona nobis pacem*, cuius loco dicitur *Dona eis requiem sempiternam*, neque percutitur pectus. Non dicitur prima oratio ante Communionem, scilicet *Domine Iesu Christe qui dixisti Apostolis tuis, &c.* nec vlli datur pax. *Rubr. gener. Miss. tit. 13. num. 1.*

21. In fine Missæ non datur per Celebrantem benedictio, sed Diaconus cantat *Requiescant in pace* & Celebrans dicit in Altari *Placeat. &c.* quo dicto, osculato Altari dicit *In principio erat verbum, &c.* vt in alijs Missis; atque si facienda sit absolutio Celebrans finita Missa retrahit se ad cornu Epistolæ vbi exuitur casula & deposito Manipulo accipit Pluuiale. *Cærem. Epis. lib. 2. c. 12. Rubr gener. Miss. tit. 13. n. 1. & n. 4.*

Rubr. gener. Miss. tit. 13. n. 3.

22. Si distribuendæ sunt candelæ, distribuuntur post Epistolam, & accendantur ad Euangelium, ad eleuationem SS. Sacramenti & post Missam dum fit ablolutio.

Carem. Epis. lib. 2. c. 11.

23. Si habendus est sermo in laudem Defuncti pro quo Missa Celebrata est, tunc Missa finita, ante absolutionem accedet Sermocinator, atque facta oratione ante medium Altaris à nullo petita benedictione ascendet pulpitum panno nigro coopertum, vbi signans se signo crucis, facit sermonem.

Carem. Epis. lib. 2. c. 11.

TITVLVS VIII.

De absolutione facienda post Missam Defunctorum in die Depositionis & Anniuersario.

1. FInito Euangelio Sancti Ioannis, Celebrans cum Ministris sacris accedit ad cornu Epistolæ, facta debita reuerentia in medio, descendit in planum, vbi deponit planetam & manipulum, sicut & ministri deponunt suos in loco congruo, & interim aliquis ex Acolythis adfert Pluuiale nigrum ad Celebrantem, quo statim induitur adiutus à Diacono, & Thuriferarius accipit thuribulum, & alter Acolythus vas aquæ benedictæ cum aspersorio & Rituali. Subdiaconus verò accipit Crucem Processionalem & medius inter duos Ceroferarios candelabra cum cereis accensis deferentes eam defert ad medium altaris sine vlla reuerentia: Deinde ordinatur Processio ad lecticam hoc modo.

Rubr. gener. Miss. tit. 13.

2. Præcedit thuriferarius habens à sinistris alium Acolythum vas aquæ benedictæ portantem cum

cum aspersorio: mox sequitur Subdiaconus cum Cruce (cuius imago thuriferarium respicere debet) medius inter duos Ceroferarios. Postea Cæremoniarius, si adsit, tum Clerus ordine suo, & denique Celebrans cum Diacono à sinistris.

3. Cùm peruenerint ad lecticam, Thurifera-rius, & socius eius firmant se prope illam, versus partem Epistolæ, exspectantes Celebrantem. Subdiaconus autem cum Ceroferarijs vlteriùs procedit per partem suam dextram, id est, per partem Euangelij ad pedes Lecticæ, in medio eius se collocat. Clerus circumstat lecticam, ita vt iuniores stent prope Crucem, seniores prope Celebrantem. Celebrans sistit se nudo capite ad caput lecticæ, ita vt ipse Celebrans sit inter altare, & prædictam Lecticam tantillùm à parte Epistolæ, (ne directè tergum vertat cruci quæ est in medio altaris) respiciens Crucem Subdiaconi & non cornu Lectica. Diaconus verò stat à sinistris Celebrantis aliquantulùm post eum & post eos thuriferarius & minister de vase aquæ benedictæ à sinistris: ita vt thuriferarius sit quasi post Celebrantem, alter post Diaconum.

4. Tum ibi, & non priùs à Clero circumstante cantatur Responsorium *Libera me Domine de morte aterna, &c.* Cantore seu Cantoribus incipientibus. Circa finem responsorij accedunt Diaconus & Thuriferarius ad dextram Celebrantis, & Celebrans ponit incensum in thuribulum dicēs, *Ab illo benedicaris, &c.* illudque benedicit more solito ministrante Diacono Nauiculam cum Cochleari sine osculis. Quo facto redeunt ad loca sua cum debitis reuerentijs. *Cærem. Epis. lib. 2. c. 21.*

5. Finito Responsorio, Cantor cum primo Choro dicit *Kyrie eleyson*, & secundus Chorus respondet *Christe eleyson.* Deinde omnes simul dicunt *Kyrie eleyson.* Mox celebrans dicit intelligibili

voce *Pater noster* & Secretò prosequendo reliqua, accipit aspersorium de manu Diaconi, & factâ altari reuerentiâ, comite Diacono à dextris & fimbriam anteriorem pluuialis eleuante, procedens per latus suum dexterum, & circumiens lecticam, aspergit illam ter à parte dextra, & ter à sinistra, non verò caput & pedes, sed laterales partes tantùm Cùm transit ante Crucem Processionalem profundè se inclinat, Diaconus verò genuflectit, Postquàm Celebrans ad locum suum redierit reddito ibi aspersorio Diacono, accipit ab eodem thuribulum, & similiter circumiens eodem modo quo asperserat incensat, ter nimirum ab vtraque laterali parte lecticam. Tantùm duo prædicti Acolythi Diacono tunc ministrant quæ sunt necessaria non discedentes à locis suis. Cæremoniarius potest in vtroque circuitu Celebrantem præcedere Cruci genuflectente, vti decet.

6. Post incensationem, Celebrans reddito thuribulo Diacono, debitam facit altari reuerentiam, & stans, vt priùs, versâ facie ad Crucem subdiaconi, & eodem Diacono tenente librum ante eum apertum, dicit iunctis manibus.

Vers. Et ne nos inducas in tentationem.
Resp. Sed libera nos à malo.
Vers. A porta inferi.
Resp. Erue Domine animam eius.
Vers. Requiescat in pace.
Resp. Amen.
Vers. Domine exaudi orationem meam.
Resp. Et clamor meus ad te veniat.
Vers. Dominus vobiscum.
Resp. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Oremus.

Absolue, quæsumus Domine, animam famuli tui N. ab omni vinculo delictorum: vt in resurrectionis gloria, inter Sanctos & electos tuos resuscitatus respiret. Per Christum Dominum nostrum.

Resp. *Amen.*

Deinde Celebrans faciens Crucem manu dextrâ super tumulum dicit.

Vers. Requiem æternam dona ei Domine.

Resp. Et Lux perpetua luceat ei.

Et dicto per Cantores *Requiescant in pace* & Resp. *Amen* præcedēte cruce redit cum alijs prout venerat ad Sacristiam: si officium fiat pro pluribus defunctis *oratio* & *versus* dicuntur in numero plurali, atque si defunctus fuerit Sacerdos vel Episcopus, in oratione exprimitur nomen dignitatis.

7. Præsenti corpore defuncti, Subdiaconus cum cruce medius inter Ceroferarios collocabit se apud feretrum ad caput Defuncti (qui si fuerit Sacerdos ponendus est capite versus Altare, alij verò non Sacerdotes ponuntur pedibus versus Altare) Celebrans autem, cum Diacono & alijs, ministris sistet se ad pedes Defuncti. & ante *Resp.* dicit Orationem, sequentem in tono lectionis. *Rit. Rom. ti. de exequijs.* *Pontif. Rom tit. de absolutione.*

Non intres in iudicium cum seruo tuo Domine, quia nullus apud te iustificabitur homo, nisi per te omnium peccatorum ei tribuatur remissio. Non ergo eum, quæsumus, tua iudicialis sententia premat, quem tibi vera supplicatio fidei Christianæ commendat: sed gratia tua illi succurrente, mereatur euadere iudicium vltionu, qui dum viueret insignitus est signaculo Sanctæ Trinitatis, qui viuis & regnas in secula seculorum, Resp. *Amen.*

Deinde Cantore incipiente Clerus circumstans cantat sequens Responsorium.

Libera me Domine, &c. & versus vt suprà, Oratorem verò sequentem.

Deus, cui proprium est misereri semper, & parcere, te supplices exoramus pro anima famuli tui N. quam hodie de hoc sæculo migrare iussisti, vt non tradas eam in manus inimici, neque obliviscaris in finem, sed iubeas eam à Sancto Angelo suscipi, & ad patriam Paradisi perduci, vt quia in te speravit & credidit, non pœnas inferni sustineat, sed gaudia sempiterna possideat per Christum Dominum nostrum. Resp. *Amen.*

Et alia dicuntur & observantur pro vt in Rituali Romano vbi etiam præscribuntur Preces seu suffragia dicenda quando corpus Defuncti defertur ad Ecclesiam & post ingressum in eam.

3. Si verò non adsit feretrum aut tumulus seu lectica mortuorum ad quam eundem sit, Sacerdos dicto *Placeat tibi, &c.* accedens ad cornu Epistolæ Altaris, deposita ibi planeta & manipulo, accipiet pluuiale vt suprà, & stans ibidem versus Altare exspectabit finem *Responsorij*, Acolythis seu alijs interim extendentibus ante infimum gradum Altaris pannum nigrum & circa finem *Responsorij* ipse imponet thus in thuribulum, vt suprà, quod aliquis Acolythus tenebit ibi iuxta cornu Altaris & alius vas aquæ benedictæ cum aspersorio: Celebrans dicto per Chorum vltimo *Kyrie eleyson*, stans adhuc in dicto cornu versus Altare dicet vt suprà *Pater noster* quod secretò prosequendo accedet ad medium Altaris, & versus ad dictum pannum ministrãte Diacono Aspersoriũ & thuribulũ ter aspergit & thurificat super eundem pannum; deinde reuersus ad cornu

Cerem. Epis. lib. 2. c. 11.

Episto-

Epistolæ ex libro super illud posito dicet *Et ne nos, &c.* & reliqua vt suprà, & dicto per Cantores *Requiescant in pace*, accedens ad cornu Euangelij, & signans Altare ac seipsum dicet Euangelium S. Ioannis, quo finito: cum debitis reuerentijs medius inter Diaconum & Subdiaconum præcedentibus Acolythis redibit ad Sacristiam.

ANNOTATIONES IN MISSAM Solemnem pro Defunctis & absolutionem post eandem.

§. 1. In Missis Defunctorum omittuntur omnia oscula tam manus Celebrantis, quàm rei quæ traditur. *Carem. Epis. lib. 2. c. 31.*

§. 2. Cùm in Missis Defunctorum dicuntur Orationes, tam ante Epistolam quàm post Communionem omnes genuflectunt, præter Celebrantem Diaconum & Subdiaconum, ac etiam Presbyterum assistentem, si adsit. *Carem. Epis. lib. 2. c. 28.*

§. 3. Epistola & Euangelium non cantantur in Ambone, sed in Presbyterio, in loco conuenienti.

§. 4. Celebrans finitâ Missâ si sermo habendus, ante eundem accipit pluuiale, & sedens in eodem auscultat sermonem, pluuiali autem deficiente manet in Alba & stola in modum crucis ante pectus; Diaconus & Subdiaconus quoque deponant Manipulum, sicut & Celebrans vt in simili casu Cær. Episc. tradit lib. 2. cap. 17. *Gauantus part. 2. tit. 13. n. 4 Litt. g. & seq.*

§. 5. Dum Subdiaconus defert Crucem deferat sicut in processionibus, id est ita vt imago Crucifixi terga vertat eidem Subdiacono, & Clero sequenti.

§. 6. Thuriferarius & alter Acolythus, qui defert aquam benedictam, præcedunt Crucem, & alios Acolythos deferentes candelabra.

§. 7. Thus, & aqua benedicta in exequijs sunt correlatiua, sed thuris benedictio fit hoc loco more solito dicendo *Ab illo benedicaris, &c.*

§. 8. Dum descendit Celebrans de Altari habeat biretum in capite, deinde capite detecto se sistat inter Altare & tumulum, seu Lecticam mortuorum, absente Corpore, subdiaconus contra Altare, id est facie versâ ad Altare; ad pedes Lecticæ seu tumuli, præsente *Gauantus part. 2. tit. 13. n. 4. litt. m.*

verò corpore seruetur Rituale Romanum de exequiis pro vario defunctorum situ. Non enim ad caput Lecticæ imaginarium defuncti se sistit Celebrans, sed ad verum caput. Ergo in Sacerdotum funere, præsente corpore variatur situs Celebrantis, & subdiaconi.

§. 9. Dum fit absolutio, si eleuetur Sacramentum in aliquo Altari neque Celebrans neque Ministri genuflectant, ne Sacra interrumpatur actio & rectius fieret, si in eá eleuatione pulsatio campanulæ omitteretur à ministro.

§. 10 Caueat etiam Sacerdos in absolutione, ne directè terga vertat Sacramento, idcirco sedeat à medio aliquantulum versus cornu Epistolæ.

Gauantus Part. 2. Tit. 4. n. 4. lit. o.

§. 11. Dicit Celebrans Orationes in absolutione manibus iunctis extra Missam enim semper omnes orationes manibus iunctis dicendæ: quia ille ritus extendendi manus est Missarum tantùm proprius.

§. 12. Celebrans sumpto Pluuiali in cornu Epistolæ, accedit ad medium Capellæ seu Presbyterij in plano, ibique factâ cum omnibus alijs præter Subdiaconum tamen & Ceroferarios Altari debita reuerentia, procedunt omnes ad Lecticam.

§ 13. In exequijs Celebrans semper stat ad pedes corporis Defuncti quicumque ille sit, & Subdiaconus ad caput.

§. 14. Ad Absolutionem pro Defunctis in fine Missæ vbi non adsunt Ministri sacri, saltem quatuor ministri adsint, duo scilicet Ceroferarij cum candelabris, tertius cum Cruce, quartus cum thuribulo, & nauicula, & Clericus ille qui ministrauit ad Missam, vas aquæ benedictæ deferet, cum Rituali; & ministrare debet Nauiculam Celebranti, ac si gereret vices Diaconi. Si tamen tot non possunt adesse ministri, omittantur Ceroferarij: & Acolythus de vase aquæ benedictæ assistet Celebranti, dum aspergit tumulum, & Thuriferarius dum thurificat Lecticam. Ille verò librum tenet ante Celebrantem dum legit Orationes.

* * *

TITVLVS

TITVLVS IX.

De Missa solemni, coram Cardinale, Legato Sedis Apostolicæ, aut Patriarcha, Archiepiscopo vel Episcopo, in eorum residentijs, vel loco suæ iurisdictionis celebranda.

SAcerdos solemniter Celebraturus, coram Cardinali, Legato Sedis Apostolicæ intra fines suæ Legationis, Patriarcha in locis suæ iurisdictionis, Archiepiscopo in tota eiusdem Prouincia, & Episcopo in sua Diœcesi etiam in Ecclesijs Regularium, & exemptis; Sequentia accuratissimè obseruabit. *Gauantus comment. in Rubr. Miss. part. 2. tit. 30. num. 2.*

1. In Prælatis nominatis vt sequentia ipsis deferantur, requiritur imprimis Ordo Episcopalis vel dignitas Cardinalitia. Deinde quod sit in loco suæ iurisdictionis, neque præsens sit suus Metropolitanus, vel Patriarcha, vel Cardinalis, vel Legatus Sedis Apostolicæ. Tertiò requiritur habitus certus, puta vel Pluuiale & Mitra in solemnioribus festis, vel saltem Cappa Pontificalis in festis minùs solemnibus. *Carem Episc. lib. 2. cap. 9.*

2. His obseruatis, Celebrans veniens ex Sacristia pro Missa solemni Celebranda, ad Altare in quo sacrificaturus, facta eidem debita reuerentiâ profundè Episcopo seu alij ex Prælatis prædictis inclinabit: quod & ipsi Ministri obseruabunt qui transeundo Episcopum semper genuflectere debent. *Compend. Caerim. c. 16. num. 2.*

3. Si ante Missam facienda sit aspersio aquæ benedictæ, statim vt Celebrans Altare aspersit, comitatus à Cæremoniario & Acolytho portante vas aquæ benedictæ, accedit ad Episcopum eique aspersorium osculatum cum debita reuerentia *Car. Episc. lib. 1. c. 18.* *Car. Episc. lib. 2. cap. 31.*

tia & osculo manus porrigit, & ab eodem, postquàm ipse se aspersserit, aspersionem reuerenter excipit, mox recepta Aspersorio cum osculo manus & aspersorij redit ad Altare, & aspergit Diaconum & Subdiaconum deinde alios.

Rubr gener. Miss tit. 3. num. 3. 4. Cùm Celebrans facturus est Confessionem, stat ante infimum gradum Altaris à sinistris Prælati, facit cum eo confessionem, respondens illi simul cum Diacono & Subdiacono.

Rubr. gener. tit 3.n. 8. 5. In Confessione Celebrans vbi dicendum *vobis fratres* dicet *tibi pater* similiter in fine, vbi dicendum *vos fratres*, dicet, *te Pater*, quod dicens Prælatis profundè inclinat.

Rubr gener. Miss.t 3.n.11 6. Factâ Confessione facit Prælato profundam reuerentiam, & accedens ad medium Altaris ante infimum gradum, ibi incipit secretò *Aufer à nobis*; vt in ordine Missæ.

Carem. Epis. lib 3.cap.23. 7. Finitis duabus orationibus *Aufer à nobis, &c.* & *Oremus te Domine, &c.* Celebrans in medio Altaris exspectat; donec per Episcopum impositum & benedictum in sede sua fuerit incensum in thuribulum.

Carem. Epis lib 1.cap 23. & lib.2.c.18 8. Quo facto, & ad Celebrantem per Diaconum delato thuribulo cum imposito, & ab Episcopo benedicto incenso, Celebrans de more thurificat Altare, in cuius fine Celebrans vt in alijs solemnibus Missis, duplici, & posteà Episcopus triplici thurificatur ductu

9. Subdiaconus cantata Epistola non ad Celebrantem, sed ad Episcopum cum debitis reuerentijs deferens librum clausum accedit, quem genuflexus, vel si sit canonicus, profundè inclinatus porrigit illi super eius genibus, & manum eiusdem superpositam osculatur, acceptaque benedictione ab eo; vadit ad cornu Epistolæ & transfert librum Celebrantis.

10. Dum tempus est ante Euangelium impo-

nendi

nendi thus in thuribulum, & Diaconum benedicendi, id non fit per Celebrantem, sed Episcopus in sua sede ministrante Presbytero assistente nauiculam, imponit & benedicit thus. Diaconus autem collocato libro in Altari, ducente Cæremoniario accedit cum debitis reuerentijs Episcopum & osculatur eius manum profundè inclinatus, vel si non sit Canonicus, genuflexus: tum reuertitur ad Altare, & dicto *Munda cor meum, &c.* resumit librum de Altari, & si nondum sit tempus eundi ad cantandum Euangelium, exspectat ante Altare in cornu Epistolæ, & cum tempus est facta Altari debita reuerentia cum suis comministris præcedentibus omnibus, redit ad Episcopũ, ante quem inclinatus vel genuflexus, vt suprà, petit benedictionem, qua habita facit Episcopo debitam reuerentiam, & præcedentibus alijs, vt prius, procedit ad cantandum Euangelium, quo finito, Subdiacono præcedente cum libro, ipse & alij cum debitis reuerentijs eodem ordine reuertũtur ad Episcopum, & osculato per eum libro Euangeliorum Presbyter assistens thurificat illum. Celebrans autem non osculatur librum Euangeliorum, neque etiam dicit verba illa *Per Euangelica dicta, &c.* thurificatur tamen nisi Episcopus indutus sit pluuiali, tunc enim non thurificatur Celebrans sed Episcopus tantùm, & nulli alij.

Comp. Can. cap. 18. n. 3.

Carem. Episc. lib. 1. cap. 22.

Carem Episc. lib. 1. cap. 23. & lib. 2. c. 9.

11. Celebrans non benedicit aquam in Calice miscendam, sed Subdiaconus ostendit Episcopo ab Altari ampullam aquæ parumper versus eum eleuans ac dicens *Benedicite Pater Reuerendissime* & facta per eum signo crucis infundit paucas guttas aquæ in Calicem & Celebrans eam offert, vt aliàs.

Carem. Episc. lib. 2. cap. 9.

12. Dicto à Celebrante *Veni Sanctificator, &c.* Celebrans subsistit, donec Episcopus, ministrãte

Carem. Episc. lib. 2. cap. 9.

Presbytero assistente nauiculam, imposuerit & benedixerit incensum in thuribulum.

Carem. episc. lib. 1. cap. 23. 13. Quo facto Celebrans accipit de manu Diaconi thuribulum, & thurificat Altare more solito, & in fine ipse duplici, Episcopus verò triplici thurificatur ductu.

Carem episc. lib. 1. cap 24. 14. Si datio pacis Missæ conueniat, Celebrans osculato Altari, Presbytero assistenti Episcopi dat pacem, quam ipse defert Episcopo, qui dat illam Diaconis assistentibus, mox Presbyter assistens stans in loco suo inter canonicos illam dabit Subdiacono qui ad alios deferet, nisi adesset maior Episcopo quia tali casu semper dabitur pax ab eodem Presbytero assistente, qui pacem dat Episcopo. Si autem is qui Celebrat sit Prælatus ita vt habeat Capellanum assistentem cum pluuiali in Missa, tunc ipse Capellanus assistens postquam Episcopus pacem dederit duobus Diaconis assistentibus; accedit ad locum dicti Presbyteri assistentis, qui dedit pacem Episcopo, & ab eo accipit pacem, quam ad alios in Choro deferet.

15. Dicto à Celebrante *Placeat tibi Sancta Trinitas, &c.* Episcopus solemnem dat benedictionem, ad quam Celebrans profundè inclinat versus Episcopum, cæteri verò genuflectunt, & statim post benedictionem Episcopi, Celebrans petita ab eo licentia capitis inclinatione, publicat Indulgentias ab eodem concessas, versus populum sub hac forma: *Reuerendissimus in Christo Pater & Dominus, Dominus N. Dei & Apostolicæ Sedis gratia, Episcopus N. dat, & concedit omnibus hic præsentibus quadraginta dies de vera Indulgentia de forma Ecclesiæ consueta. Rogate Deum pro fœlici statu Sanctissimi D. N. Papæ N. Dominationis suæ Reuerendissimæ & Sanctæ matris Ecclesiæ.* Nisi subsequeretur Processio, quia tunc post illam publicaret,

Carem episc. lib 2. cap. 23. & 33.

vel

vel Episcopo illam Celebrante Presbyter assistens: aut si habitus esset sermo infra Missam, quia tunc statim finita per Diaconum *Confessione* publicarentur per Sermocinantem ante benedictionem Episcopi: & non amplius in fine Missæ. *Carem. Epist. lib. 1. cap. 25.*

16. Data benedictione ab Episcopo, vel publicatis Indulgentijs à Celebrante: Celebrans & Ministri accedunt cum debitis reuerentijs ad cornu Euangelij, & ibi Celebrans de more legit Euangelium.

17. Finito Euangelio Celebrans vertit se ad Episcopum, ad quam se profundè inclinat, & omnes alij, ibique expectant quousque Episcopus recesserit, qui facta oratione recedet comitatus à Clericis de Ecclesia. Interim Celebrans & Ministri accedunt ad medium Altaris, descendunt, & facta iterum reuerentia, sumptisque biretis ad Sacristiam redibunt.

ANNOTATIONES.

§. 1. Imprimis errat Celebrans qui Prælato in loco suæ iurisdictionis non constituto, aut Pluuiali & mitrâ, vel saltem cappa Pontificali non induto Missæ vel alio officio solemni assistenti, defert honores, reuerentias, & prærogatiuas suprà enumeratas.

§. 2. Episcopus in Missa solemni præsens in habitu præscripto tribus vicibus thus benedicit; videlicet in principio antequàm dicatur Introitus, & tunc thurificatur Altare, Celebrans, & Episcopus & non alij: Secundò ante Euangelium, & tunc thurificatur tantum modò liber Euangeliorum, & Episcopus post cantatum Euangelium & nulli alij. Præterquam si adesset Cardinalis legatus vel alius Cardinalis, quia tunc post Euangelium non thurificatur Episcopus, sed Legatus, vel Cardinalis. Nam Episcopus præsente Legato, vel alio Cardinali non debet assistere Missæ paratus cum pluuiali & mitra. Tertiò post oblata, & thurificantur oblata, Altare, Celebrans, & Episcopus, mox dignitates, & Canonici, & alij omnes ordine vt infrà de officio Diaconi dicetur. *Carem. epis. lib. 1 cap. 3.*

§. 3. Imponitur & benedicitur thus ab Episcopo si

cum Pluuiali & mitra, vel saltem cum Cappa assisti Missæ, per alium inferiorem Episcopo, celebrandam semper apud sedem suam. Illud obseruandum est, q Episcopus, siue Archiepiscopus, siue etiam Legatus aut alius S.R.E. Cardinalis siue paratus sacris indumentis siue non, numquam sedens, sed stans thurificatur; aliquando tamen cooperto capite, aliquando eo detecto. Nam in principio Missæ Altari thurificato Episcopus, si est paratus, stans cum mitrâ thurificatur; post Euangelium verò sine mitrâ, post oblata cum mitrâ, si verò non est paratus thurificatur tantùm post oblata, stans detecto capite sed versus thurificantem nullatenus caput ne modicum quidem inclinat, sed manu dextrâ super eum signum Crucis facit.

Carem. Epis. loco c. tato.

§. 4. Episcopus alijque supradicti Prælati si non Celebrant, sed Missæ per alium Celebratæ intersunt, semper à primo Presbytero assistente thurificandi sunt, Canonici vero & alij à Diacono qui Euangelium cantat.

Carem. Epis. l. b 1 c. 18.

§ 5 Cùm surgit Episcopus omnes ordines tam Canonicorum & reliquorum Clericorum, quàm Laicorum, & Celebrantis consurgere debent.

Carem. Epis. loco citato.

§. 6 Quandocumque aliquis ministrorum accedit, redit, vel transit directe ante Episcopum reuerentiam illi exhibere debet; Canonicus quidem caput humerosque profundè inclinando: beneficiatus autem aliue de Clero semper genuflectendo.

§. 7 Cùm pluribus reuerentia exhibenda erit transeundo ab vno ad alterum, semper primò fiet ei, à quo discceditur, deinde ei ante quem transitur, vt vltimò ei ad quem acceditur, nullo habito respectu quis eorum sit maior, sed solùm commoditatis gradientis.

Carem Epis. lib. 1. c. 18.

§. 8. Regula etiam est, vt si plures in eodem loco veniant Prælati; vni tantùm ex ipsis, qui erit maior, & Celebranti reuerentia exhibeatur.

Car. ibidem.

§. 9. Quoties aliquid datur Episcopo, vel ab eo accipitur (præterquàm in Missis Defunctorum) tot es illud ac manus Episcopi osculanda est; sed cùm datur primò id quod datur, deinde manus: cùm verò accipitur, primò manus, deinde id quod accipitur.

§ 10. An-

§. 10. Antequàm accedat Episcopus ad Ecclesiam, vt simili solemni Missæ interſit, paretur ei ante Altare faldistorium, ad quod cùm acceſſerit, genuflexus orat, & interim Celebrans qui cum exſpectat in cornu Epistolæ, facta ei profunda reuerentiâ, deſcendet in planum per partem lateralem epistolæ, & cum miniſtris eum ſequentibus accedit ad ſiniſtrum Epiſcopi nudo capite, ſed paulò poſt eum.

§. 11. Quando Epiſcopus accedit ad Eccleſiam, dignior iſtius loci ad portam Eccleſiæ; ipſi deferre debet aſperſorium cum oſculo manus & aſperſorij.

§. 12. Si Epiſcopus remittat ad Celebrantem, vt det ipſe benedictionem in fine Miſſæ, tunc Celebrans dicto *Omnipotens Deus* ad Prælatum ſe conuertit & inclinat & proſequitur *Pater & Filius*, &c. benedicens tantùm aſtantes qui non ſunt ad partem Epiſcopi, ſed decentiùs eſt vt ſemper Epiſcopus benedicat.

§. 13. Si facienda ſit Proceſſio Epiſcopus procedit poſt omnes Clericos cum Cappa, aut ſi dicenda ſit Hora aliqua ante Miſſam, finitâ Proceſſione, vel hora prædicta, Epiſcopus accedit ad Altare vbi incipit Miſſam, & facit Confeſſionem & reliqua vt ſuprà. Si poſt Miſſam dicenda ſit aliqua Hora non omnes Clerici comitantur Epiſcopum redeuntem, nam aliqui remanere debent qui cantant prædictam Horam, vel ſi omnes eum comitantur, omnes poſteà redeunt dicturi Horam debitam.

TITVLVS X.

De Miſſa minùs ſolemni cum miniſtris ſacris.

1. ESt præterea alia Miſſa ſolemnis ab eis de qua egimus, quæ diebus profeſtis, & etiam feſtiuis, dicitur in quibuſdam Eccleſijs collegiatis vt inter feſta & profeſta, vel inter ſolemniora, & minùs ſolemnia quædam appareat differentia.

a. Ali-

Gavantus Part. 2 tit. 2. num. 5.

2. Aliquando enim cantantur cum ministris, sed absque Altaris incensatione, & Chori, sine Credentia, & Pace, & in his Subdiaconus paratus portat calicem, Diaconus item paratus librum, vel vice versa, dum procedunt ad altare. Diaconus, deposito libro descendit ad Celebrantem, cum quo facit Confessionem & Subdiacono, qui etiam explicato Corporali collocat Calicem in medio Altaris, vel id peragit Diaconus. Eodem etiam ritu & modo redeunt in Sacristiam finita Missa. Alia etiam obseruantur, secundum morem locorum & Congregationem; Sed hæc omnia & similia tolerantur potiùs quàm conceduntur quia rubricæ nihil de simili Missa præscribuntur; cum videantur contrà Rubricas Missalis, quæ nullam Missam præscribunt præter solemnem aut priuatam, de quibus suprà.

3. Sunt etiam aliæ Missæ, quæ quidem cantantur in quibusdam minoribus Ecclesijs sine Diacono & Subdiaciacono cum aliqua tamen solemnitate de quibus sequentibus titulis agetur. Rarò tamen sic cantari & Celebrari debent, & tantùm in Ecclesijs in quibus vix est sufficiens ministrorũ numerus, vt in quibusdam Ecclesijs collegiatis minoribus, & Parochialibus, & Regularibus secundum earum consuetudinem.

TITVLVS XI.

De Missa cum duobus Acolythis solũ.

EX Rubricis Missalis colligitur quod aliquando possit dici Missa cum duobus Acolythis superpelliceis indutis, ob exiguum Clericorum numerum, hora ergo competenti paratur à Sacrista vel Acolytho, ea quæ sunt necessaria super altare, videlicet Calix, Missale, & cussinus: & super Creden-

Credentiam, alter liber pro Epistola cantanda, & alia.

2. Celebrans verò hora congrua accipit de more in Sacristia, facta priùs oratione, & lotis manibus, Sacra paramenta eum adiuuante Acolytho Ministro, & sic paratus procedit ad Altare sequens duos Ministros pares incedentes, ibiq; facta debita reuerentia; dato priùs bireto primo Acolytho, stante à dextris suis, incipit Missam de more, respondentibus prædictis duobus Acolythis; hinc inde in plano genuflexis.

3. Stante Missam fiat aspersio aquæ benedictæ Missale ipsius Celebrantis ponitur tantùm super Credentiam initio; & primus Acolythus habens à sinistris alium, procedit ad Altare ante Celebrantem alba & Stola, vel etiam Pluuiali, si fieri possit, indutum, ferens vas aquæ benedictæ. Ante altare Celebrans deposito bireto in manu alterius Acolythi genuflectit, & sic genuflectit, accepto aspersorio à ministro, qui priùs illud & post manum Celebrantis osculatur, aspergit de more altare, se ipsum genuflexum, & posteà alios vt suprà.

4 Facta aspersione primus Acolythus deponit vas in loco congruo, capit librum de Credentia, & illum tenet à sinistris Celebrantis, qui ex eo cantat versus & Oratronem. Interim alter Acolythus adfert de Sacristia manipulum, & Planetam Celebrantis, & Oratione finita, primus collocat Missale super altare & adiuuat socium suum exuentem Celebrantem Pluuiali, eumque induit manipulo, & planeta: alter verò Pluuiale reportat in Sacristiam, indeque redit ad altare, vbi genuflexus in plano à sinistris Celebrantis respondet cum socio eidem Celebranti facienti Confessionem.

5. Peracta Confessione, manent genuflexi hinc inde

hinc inde in vtroque latere Altaris, & dum dicit *Kyrie eleyson* respondent Celebranti, & sic permaneat, nisi fortè ex accidenti surgere debeant ad Epistolam, & alia vt infrà.

6. Circa finem primæ vel vltimæ Orationis, primus Acolythus capit librum de credentia & cantat Epistolam, qua finita, redit in locum suum vt suprà capite præcedenti dictum est. Alter verò respondet Celebranti *Deogratias*, in fine Epistolæ.

7. Circa finem Gradualis primus defert Missale cum Cussino ad latus Euangelij, eoque posito, redit ad locum suum in plano. Celebrans verò cantat Euangelium de more, ad quod ambo hinc inde in plano stant, & de more signantes & genuflectentes, quando opus est, eoque dicto, genuflectunt.

8. Lecto offertorio à Celebrante, primus ampullas ei ministrat; ad lotionem manuum ipsius, idem ministrat ampullam aquæ, & bacile, alter mappulam & ille defert campanulam ad altare pulsandam de more ad *Sanctus*, & eleuationem, & ambo respondent Celebranti, *Orate fratres*, dicenti.

Ad *Sanctus* primus campanulam pulsat, accendit cereum vnicum vel duos cereos, si tot sint. Tum reuersus ad supremum gradum altaris genuflexus, dextera pulsat campanulam & sinistra eleuat Planetam ad eleuationem.

9. Accensis cereis, genuflectunt, & ambo se signant & pectus percutiunt, vt suprà, cum Celebrante. Si facienda sit communio seruentur quæ suprà dicta sunt.

10. Paulò ante sumptionem Sanguinis, primus Acolythus surgit, defert campanulam ad Credentiam, capit ampullas cum bacili, & ministrat eas Celebranti cum osculis earum tantùm,

& incli-

& inclinationibus solitis. Tum redit ad altare, vbi extinguit cereum qui est à parte Epistolæ, ibique posteà genuflectit vt priùs. Secundus verò surgit dum Celebrans se purificat, defert librum ad cornu Epistolæ & posteà, si opus sit, extinguit alium cereum qui est in cornu Euangelij, ibique genuflectit vt priùs.

11. Ad benedictionem ambo genuflexi, se signant, sicut ad Euangelium stantes: & si aliud Euangelium sit legendum, primus Acolythus, mutat librum, & ad cornu Epistolæ redit, vbi capit biretum Celebrantis.

13. Finita Missa Celebrans descendit in planum, vbi facta debita reuerentia, & sumpto bireto redit ad Sacristiam vt venerat, ibi Acolythi facta Cruci reuerentia adiuuant Celebrantem dum se exuit, & ministrant aquam, & manutergium, vt in initio Missæ.

TITVLVS XII.

De Missa quæ cantatur cum vno solo Clerico.

1. CAntatur etiam aliquando Missa cum vno solo ministro in ordinibus minoribus constituto vt in Rubricis Missalis notatur. In simili autem Missa Altare nunquam thurificatur, nec datur Pax, nisi fortè cum instrumento.

2. Ad Epistolam Celebrans sibi respondet *Deo gratias*. Ad versum *Et incarnatus est*, Celebrans genuflectit super altiorem gradum Altaris.

3. Clericus superpellicco indutus genuflexus, manet in cornu Euangelij, ibique respondet Celebranti cùm opus est.

4. Circa

4. Circa finem primæ aut vltimæ orationis accipit de Credentia librum Epistolarum, & facta genuflexione super infimum gradum, cantat in loco consueto Epistolam vt suprà, & ea cantata, facta iterum genuflexione, librum reponit super Credentiam sine osculo manus Celebrantis, & sine benedictione. Tum defert Missale cum cussino ad cornu Euangelij, & alia peragit vt in Missa priuata Si sint duo cerei, accendit eos ante eleuationem, & extinguit post Communionem vt in Missa priuata. Regulariter genuflexus manet vt in Missis priuatis nisi ex accedente surgere cogatur, vt ad Epistolam, & ad alia.

ANNOTATIONES

§. 1. Missam conuentualem in Cathedralibus, & Collegiatis Ecclesijs, ac virorum Monasterijs, modis supradictis sine Diacono & Subdiacono cantare non conuenit. Idem seruandum in Parochialibus, alijsque Ecclesijs, quandocumque vel per solemnitatem diei festi, vel ex obligatione statuti, consuetudinis, aut scripti alicuius id faciendum est.

§. 2. Tam benè in Missis quæ cum Diacono & Subdiacono, quàm in illis quæ sine sacris ministris cantantur: Epistola, Præfatio, Symbolum fidei, & Oratio Dominica quæ sunt præcipuæ eorum, quæ in Missa cantanda, partes; cantorum aut organorum consentu nunquam sub quouis prætextu aut consuetudine mutilanda ac intercipienda sunt; sed ex integro distinctè, ac intelligibiliter cantanda, sicut in Missali præscripta sunt.

§. 3. Cùm Catholica Ecclesia Spiritu Sancto edocta, non sine graui ac iusta ratione singulis diebus Dominicis, singularia ac peculiaria fecerit officia: improbandus ille mos est, quem primùm ex imperitia cantus, ac librorum defectu, in hisce partibus originem sumpsisse, author non obscurus indicare videtur; nempe vt diebus Dominicis, inter festum Paschæ & Pentecostes omisso proprio diei Dominicæ officio, ad Missam repetatur officium diei Resurrectionis Dominicæ: & a festo Pentecostes vsque ad aduentum Domini, neglecto similiter proprio diei Dominicæ offi-

ci

cio, cantetur Missa, vel de Sancto Spiritu, vel de sanctissima Trinitate: indeque fiat, vt ex frequenti ac nimia repetitione diuina illa officia vilescant, tædium causent, officium & Euangelium Dominicæ, quod populus congregatus libentiùs audiet, intermittatur.

TITVLVS XIV.

De modo, quo, die Dominica aquæ benedictæ, aspersio fieri debeat.

1. CVm iuxta Rubricas Missalis singulis diebus Dominicis aquæ benedictæ aspersio fieri debeat. Sacerdos qui celebraturus est Missam solemnem debet, quantùm fieri potest, esse Alba & stola coloris Missæ conuenientis in modum crucis posita paratus, & hora conuenienti sal in vase proprio, & aquam etiam in alio vase ad id parato, in sacristia, nudo capite, & iunctis manibus benedicere, vt in Missali, vel Rituali præscribitur.

2. Facta benedictione, Celebrans post Tertiam; si dicatur, paratus Amictu, Alba, cingulo, stola, & Pluuiali coloris conuenientis sine manipulo, medius inter Diaconum & Subdiaconum paratos, si cum ijsdem celebranda sit Missa, sine manipulis, anteriores fimbrias Pluuialis eius eleuantes, accedit ad Altare, præcedentibus Acolytho cum vase aquæ benedictæ & Ceroferarijs cum cereis accensis. *Carem. Epis. lib. 2. c. 31.*

3. Cùm peruenerint ante Altare depositis biretis omnes genuflectunt, Celebrans quidem supra infimum gradum, medius inter Diaconum & Subdiaconum, alij suis in locis. *Carem. Epis. loco cit.*

4. Deinde Diaconus tradit Celebranti aspersorium aqua repletum cum osculo illius, in extrema sui parte & manus Celebrantis in parte exteriori. Celebrans verò accepto aspersorio intonat *Carem. Epis. loco cit.*

tonat Antiphonam, *Asperges me*, vel *vidi aquam* pro temporis diuersitate, & statim frontem Altaris aspergit ter in medio scilicet, tum à parte Euangelij, & denique in parte Epistolæ, Diacono & Subdiacono anteriores fimbrias Pluuialis, eius eleuantibus, deinde aspergit seipsum adhuc genuflexus, tum erectus, ministros adhuc ibidem genuflexos, priùs scilicet Diaconum, & postea Subdiaconum.

5 Mox reddit Aspersorium Celebrans Diacono, & hic ministro, & facta ab omnibus ministris genuflexione, & à Celebrante debita reuerentia Altaris medius inter Diaconum & Subdiaconum, Cæremoniario & ministro de vase præcedentibus, vadit ad Chorum.

6. Tum Diaconus tradit Celebranti Aspersorium cum debitis osculis, stansque à dextris eius, partem pluuialis eius eleuat, sicut Subdiaconus à sinistris aliam partem, & interim Celebrans accedit ad superiorem Chori, quem cum pari inclinatione salutat antè & post, & cum separatim aspergit; reliquos verò sine mora, & plures simul quasi in circulum, & non vnum post alium, ac sine inclinatione, nisi sint Canonici qui singillatim aspergi poterunt, ad maiorem eorundem venerationem; quibus & Celebrans aliquam honoris significationem adhibebit ante & post totam eorum aspersionem.

Gauantus part 4. tit. 29. n. 11. lit. i.

7. Interim dum Celebrans facit aspersionem dicit submissa voce totam Antiphonam *Asperges me, &c.* vel *Vidi aquam, &c.* & totum Psalmum *Miserere mei Deus, &c.* alternatim cum Ministris, & dum Celebrans transit ante medium Altaris debitam illi facit cum Ministris reuerentiam.

8. Celebrans reuersus ad Altare cum debitis reuerentijs aspergit Acolythos, Ceroferarios ad

Cre-

Credentiam stantes, & Ministrum de vase, & finita aspersione, stans in plano ante gradus ipsius, iunctis manibus cantat versum *Ostende nobis, &c.* Et alios cum Oratione *Exaudi, &c.* ex libro quem Ministri sacri stantes hinc inde tenent ante eum.

9. Completâ Oratione Diaconus tradit librum Acolytho, à quo accipit Planetam, Subdiaconus verò exuit Celebrantem Pluuiali, quod tradit Acolytho, à quo recipiens Manipulum Celebranti osculandum porrigit, eiusque brachio sinist. o adaptat; Diaconus verò statim ac pluuiale deposuit, illum induit Planeta. Quibus omnibus peractis, si in Altari asseruetur Sanctissimum Sacramentum, facta genuflexione, sin minùs profunda inclinatione, incipiunt Missam.

ANNOTATIONES.

§. 1. Quando alius à Celebrante Missam, benedicere debet aquam, adhibeat super superpelliceum tantùm stolam violacei coloris hinc inde pendentem. *Gauantus part. 4 tit 18. n. 6. litt b.*

§. 2. Sacerdos ter immittit sal in aquam post exorcismum, faciendo tres Cruces vt in Missali, dicendo tantùm semel *Commixtio salis, &c*

§. 3. Si Episcopus celebrare voluerit solemniter, non est facienda huiusmodi aquæ benedictæ aspersio; absente verò Episcopo, & in Collegiatis semper Dominicis diebus fit, vt suprà dictum est. *Cærem. Epis. lib. 2. c. 31.*

§. 4. Quod si in Altari sit expositum SS. Sacramentum non aspergitur Altare, multò minùs ipsum SS. Sacramentum eâ ratione quam sume ex Gauant. & alijs Auctoribus, quâ non signatur initium Euangelij in fine Missæ. Ideo etiam tunc Diaconus abstinet ab osculis Aspersorij, & manus Celebrantis, quando illud eidem offert, vel ab eo recipit ad Altare tantùm, & non extra illud, quia tunc oscula adhibentur. *Gauantus part. 4. tit. 19. n. 13.*

§. 5. Si adsit Episcopus aut alij Prælati in Rubricis Missalis specificati in locis suæ Iurisdictionis, aut Cardinalis vbique gentium, aspersio Altari solus Celebrans cum Ministro & Cæremoniario, remanentibus *Cærem. Epis. lib. 2. c. 13.*

ministris

ministris sacris ad Altare genuflexis, accedit ad Prælatum dictum, & cum profunda inclinatione porrigit illi Aspersorium cum debitis osculis. Tum ipse Episcopus, aut alius Prælatus primò seipsum, tum Celebrantem aspergit, eique statim reddit Aspersorium quod Celebrans recipit cum debitis osculis & inclinatione profunda, deinde redit ad Altare, cum debitis reuerentijs aspergit Ministros adhuc genuflexos, tum Clerum & populum, vt suprà.

§. 6. Quod si prædicti Prælati innuant, vt ipse Celebrans eos aspergat, factâ tunc antè & post profundâ inclinatione, eos aspergit, quòd præcipue fit, quando sunt plures Prælati eiusdem dignitatis.

§. 7. Si adsit aliquis Princeps non habens superiorem, aut Principissa in loco suæ iurisdictionis temporalis, ante omnes alios asperguntur eo ordine quo incensantur.

Gauantus loco citato litt. c. Carem. Epis. lib. 2. c. 31.

§. 8. Faciens aspersionem aspergit Altare genuflexus etiam tempore paschali, ob maiorem reuerentiam, item seipsum, ad indicandam humiliratem. Debet tamen incipere Antiphonam *Asperges me, &c.* ante aspersionem Altaris quamuis Rubrica Missalis Antiphonam postponere videatur. Conuenit enim vt dicatur *Asperges* futuri temporis, ante aspersionem actualem. Neque nouum videri debet, quod inchoatur Antiphona genibus flexis nam idem præscribitur Episcopo in principio Synodi in Pontificali Romano, & in qualibet sessione.

§. 9. Si Chorus sit fortè in loco editiori, aut ab Altari remotiori, decet, si aliter fieri non potest, vt alius Sacerdos à Celebrante cum superpelliceo & stola coloris conuenientis eum aspergat, dum Celebrans aspergit populum ad Cancellos.

§. 10. Si item maximus sit populi concursus vt in multis Ecclesijs, & sit consuetudo aspergendi populum, possent tunc plures Sacerdotes parati superpelliceis & stolis aspergere populum hinc inde.

§. 11. In Dominicis de Passione & Palmarum ad Antiphonam *Asperges me*, non dicitur *Gloria Patri*, sed post Psalmum *Miserere mei Deus* repetitur immediate Antiphona, *Asperges me*.

Missale in fine de bened.

§. 12. In die Sancto Paschæ & Pentecostes tantùm (non autem Dominicis diebus intra Pascha & Pentecosten) vbi est fons baptismalis sit aspersio cum aqua pridie

pridie benedicta baptismali acceptâ ante infusionem olei & sacri Chrismatis; vt in Missali.

§. 13. Minimè probandus est vsus quarundam Ecclesiarum in quibus post versum *Gloria Patri & Filio, &c.* statim Cantores repetunt tantum hæc verba *Lauabis me, & super niuem dealbabor*, quia est contra Rubricam Missalis.

§. 14. Ex Rituali Romano, & ex praxi vrbis, & multarum Prouinciarum in Vigilia Paschæ solet fieri aspersio per domos, & alia loca à Parocho, aut alijs de eius licentia, quæ consuetudo valde laudabilis extat, ideoque retinenda, & introducenda vbi non est.

§. 15. Canonici & alij quicumque de Choro, durante aspersione à principio vsque ad finem stare debent, detecto capite: & dum ante ipsos Celebrans cum aspersorio accedit debent illi caput inclinare, & aspersionem aquæ benedictæ, reuerenter excipere: *Carem Epis. lib. 2. cap. 31.*

TITVLVS XIV.

De officio Diaconi ministrantis Sacerdoti in Missa solemni.

1. Diaconus Euangelium cantaturus in Sacristia lotis ac tersis manibus, tempestiuè sua accipiet paramenta, à latere dextro paramentorum Celebrantis collocata, aliquo ex Clericis adiuuante, & primò accipiet Amictum, quem in medio osculabitur, qui crucis figura carere non debet, eumque sibi aptabit circa collum, ita vt Collaria tegat, mox Albam, & Cingulum accipit, succinctus Alba sibi circum circa eam aptari faciat, vt æqualiter fluat; tum Manipulum osculatur vbi est Crux & imponit suo Sinistro brachio, mox stolam priùs in medio, vbi crux est, deosculatam, super humerum sinistrum imponet, & sub suo brachio dextro firmiter alligari faciat; demùm accipiet Dalmaticam nisi essent tempora, quibus ipse & Subdiaconus planetis plicatis vti debent. *Carem. Epis. lib. 2. cap. 31.*

2. Sic paratus stans ad dexteram Celebrantis adiuuat, si opus est, induendo Celebrantem suis paramentis. Deinde ibidem adhuc stans antequàm egrediantur è Sacristia nudo capite ministrat nauiculam vt thus imponat thuribulo eo modo vt infrà notatur & factâ reuerentiâ Celebranti & Cruci in Sacristia procedit ad Altare.

3. Cùm eundum est ad Altare, incedit cooperto capite, iunctis manibus, immediatè ante Sacerdotem, atque perueniens ante infimum gradum Altaris caput detegit, & factis cum Sacerdote debitis reuerentijs Altari; illi Missam inchoanti à dextris illius iunctis manibus stans respondet simul cum Subdiacono, & Celebrante se signante, aut inclinante ipse se pariter signat & inclinat, præter quam quando Celebrans dicit *Confiteor* & ipse cum Subdiacono *Misereatur* nam tunc illo Altari profundè se inclinante ipse cum Subdiacono stat erectus (nisi quod erga Celebrantem capite inclinato proferant verba *Misereatur tui*) quando verò ipse cum Subdiacono incipit *Confiteor* Celebrante se erigente, Altari profundè inclinat, donec per illum dictum fuerit *Misereatur*, & ipse cum Subdiacono responderit *Amen*, & cùm dicit in Confessione *Tibi Pater*, & *Te Pater* aliquantùm conuertit se ad Celebrantem, & cùm dicit *Mea culpa* ter pectus manu dextrâ percutit, sinistrâ infra pectus positâ.

4. Vbi ventum fuerit ad Altare, atque Celebrans illud osculatus fuerit. Celebranti paululùm vertenti se, vt ponat incensum in thuribulum, Diaconus Nauiculam, & Cochlear subministrabit hoc modo.

Carem Epis. lib. 2. c. 23.

5. Diaconus acceptâ à Thuriferario Nauiculâ thuris; Cochlear in ea existens sine thure dabit Celebranti cum osculo Cochlearis & manus Celebrantis; deinde offeret eidem nauiculam

dicens

dicens versus Celebrantem parùm inclinatus: *Benedicite Pater Reuerende* thuriferario interim offerente thuribulum.

6. Impositò per Celebrantem thure recipit Cochlear, illud ac manum Celebrantis rursùs osculans, nauiculam cum Cochleari in manu Thuriferarij dimittit.

7. Mox Diaconus accipiens de manu Thuriferarij Thuribulum, summitatem catenularum dextrâ manu tenens, à se deosculatam, ponit in sinistram Celebrantis, & easdem catenulas prope thuribulum sinistrâ tenetur ponit in dextram Celebrantis, eam similiter osculando.

8. Deinde Celebranti Altare thurificanti à dextris assistit, & comitatur eleuando sinistrâ Planetæ eam partem quæ est circa brachia Celebrantis, vt non impediatur & genuflectens semper dum transit ante Crucem, licet Celebrans tantùm se inclinet. *Gauantus part. 2. t. 4. & 7 litt. 1. & h.*

9. Post thurificationem Altaris Diaconus in cornu Epistolæ de manu Celebrantis cum osculo manus eiusdem & Catenularum accipit thuribulum, ipsum Celebrantem triplici thurificat ductu, facta ante & post incensationem Celebranti profunda capitis inclinatione & statim Thuriferario reddit thuribulum, ambabus manibus prout tenet. *Gauantus loco citato*

10. Posteà cum Subdiacono sibi à dextris astante iunctis manibus ante pectus, stat à dextris Celebrantis; cùm Celebrans dicit Introitum; *Ad gloria Patri, &c.* cum illo caput inclinat versus Crucem Altaris; atque Celebranti ibidem loci dicenti *Kyrie eleyson* alternatim respondet. *Rubr. gener. Miss. tit. 4. num. 7. Gauantus part. 2. tit. 4. n. 7. litt. n.*

11. Quo dicto, ibidem adhuc eodem modo stans expectat donec moueat se loco Celebrans intonaturus hymnum *Gloria in excelsis*, quẽ subsequitur eodem passu per secundum Altaris gradũ,

& stabit post Celebrantem dum intonat Hymnum *Gloria in excelsis Deo.*

Compend. Carem. cap. 17. num. 5.

12. Si Celebrans lecto ab ipso *Kyrie eleyson* voluerit sedere donec idem *Kyrie eleyson* per Chorum absoluatur, facta Cruci genuflexione sequitur Celebrantem per breuiorem viam à latere Epistolæ ad scamnum seu sedes positas in cornu Epistolæ, vbi sedet cooperto capite à dextris Celebrantis.

Gauantus loco citato.

13. Si sederint, finito per Chorum vltimo *Kyrie eleyson*, Surgit; & dimisso bireto in scabello aut scamno, præcedit Celebrantem per planum Capellæ, & facta in medio Altari genuflexione manet stans in loco suo post Celebrantem, donec ipse Hymnum *Gloria in excelsis* intonauerit.

14. Intonato à Celebrante dicto Hymno *Gloria in excelsis* facta continuò in loco suo genuflexione, ascendit ad dextram Celebrantis & cum eo submissa voce, dictum Hymnum prosequitur iunctis manibus caput inclinans ad verba *Adoramus te, Gratias agimus tibi, Iesu Christe, suscipe deprecationem nostram*, & in fine cum Celebrante dicendo *Cum Sancto Spiritu* manu dextra signat se à fronte ad pectus, & ab humero sinistro ad dextrum, sinistra infra pectus posita, interim absoluens *in gloria Dei Patris Amen.*

Compend. Carem. cap. 17. num. 5.

Gauantus p. 2. tit. 4. n. 7. lit. n.

15. Finito hymno, ac facta genuflexione, si Celebrans voluerit sedere, iterum, vt suprà, cooperto capite à dextris Celebrantis sedet, quod tamen ad verba suprà notata Hymni, dum in Choro cantantur cum inclinatione aperit, in fine tamen dicti hymni non se rursus signo crucis signat.

Gauantus ibidem.

16. Si autem Celebrans non sederit, manet stans ad dextram Celebrantis à principio vsque ad finem dicti hymni cantati à Choro; se inclinans cum in Choro supradicta verba ad quæ inclinandum cantatur. Finitoque à Choro Hymno,

facta

facta genuflexione descendit ad secundum altaris gradum, & vnus stat post alium.

17. Dum Celebrans dixerit in medio Altaris *Dominus vobiscum* pergit cum eo ad cornu Epistolæ, ibique stans post tergum Celebrantis donec is cantando absoluerit Orationem, vel Orationes, si plures dicendæ, & deficiente Cæremoniario vel Presbytero assistente vertit folia Missalis, si opus est, non genuflectens in accessu & recessu. Statimque recedit post Celebrantem.

18. In quatuor temporibus & aliàs quando dicendum est, *Flectamus genua* post Celebrantem primus omnium vtroque genu flectendo illud intonat, hoc tono. *Rubr. gener. Miss Tit. 5. num. 1.*



fle ctá mus ge nu á

19. Finita oratione seu orationibus Subdiaconus cantante Epistolam vadit ad dextram Celebrantis, assistens illi dum legit *Epistolam*, *Prophetiam*, *Graduale*, *Alleluia*, *Tractum*, aut alia vsque ad *Munda cor meum* exclusiuè.

20. Dum in Choro cantatur vltimus versus *Gradualis*, *Tractus*, *Alleluia*, aut *sequentia* tempestiuè accipit librum Euangeliorum de Credentia vel de gradu Altaris sub cornu Epistolæ si ibi sit, aut de manu Cæremoniarij seu Acolythi, qui illum inde sumptum subministrat; deferens ante pectus ad Altare factaque in primo eius gradu genuflexione, ascendens collocat librum Euangeliorum in medio Altaris versus cornu Euangelij, deinde facta Altari reuerentia, nauiculam cum Cochleari à Thuriferario acceptam ministrat Celebranti vt in principio Missæ præscriptum, & reddita Thuriferario Nauicula, genu- *Cærem Epis. lib. 1. cap. 8.*

flexus in medio superioris altaris gradus, iunctis manibus ac inclinatus dicit Secretò,

Munda cor meum & labia mea omnipotens Deus qui labia Isaiæ Prophetæ calculo mundasti ignito: ita me tua grata miseratione dignare mundare, vt Sanctum Euangelium tuum digne valeam nuntiare. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Gauantus part III. 6. n. 5. litt. c. & seq.

21. Tum surgens resumit librum de Altari, & genuflexus in superiori eius gradu versus Celebrantem stantem in cornu Euangelij, non omninò conuersus ad eum, petit benedictionem dicens intelligibili voce. *Iube Domne benedicere*, qua habita osculatur dextram manum Celebrantis, portansque, vt suprà, ante pectus librum Euangeliorum clausum, descendit ad infimum gradum Altaris, ibique cum alijs Crucis facta reuerentia genuflexionis, & alijs omnibus præcedentibus, vltimus omnium procedit ad cantandum Euangelium.

Carem. Epis. lib 1. c. 9.

22. Cùm erit in loco vbi Euangelium solet cantari, ponet librum apertum in manibus Subdiaconi, vel in Legili, & iunctis manibus ante pectus dicit cantando *Dominus vobiscum* cum dicit *Initium* vel *Sequentia Sancti Euangelij, &c.* manu sinistra super librum vel pulpitum posita, pollice dextro signat signo crucis primò librum in principio Euangelij cantandi, & mox sinistra infra pectus retracta se ipsum in fronte, ore, & pectore; deinde accipit thuribulum thurificat librum triplici ductu, primò in medio, secundò à parte dextra, & tertiò à sinistra ipsius libri redditoque thuribulo Cæremoniario aut thuriferario, manibus iunctis, incipit & prosequitur Euangelium, & cùm profert verba ad

quæ

quæ est inclinandum aut genuflectendum, versus librum inclinat & genuflectit.

Tonus Euangelij.



Dominus vobiscum *Sequentia Sancti*



Euangelij Secundum Matthæum in illo



tempore dixit Simon Petrus ad Iesum,



Ecce nos reliquimus omnia & secuti



sumus te quid ergo erit nobis & vitam



æternam possidebit.

Tonus cantandi Euangelium secundum modum Colonienſem.



Dominus vobiſcum, Et cum ſpiritu tuo.

Deinde cantatur ſic:



Sequentia Sancti Euangelij ſecundum



Matthæum vel ſecundum Lucam.

Deinde reſpondet Miniſtro vel à Choro: *Gloria tibi Domine*, in quo ſimili initialia verba hæc, *In illo tempore*, in cantu humquam terminari, ſed ſemper cum verbis, *Dixit Ieſus diſcipulis ſuis*, vel, *Cum appropinquaſſet Ieſus Ieroſolymis*, &c. coniungi debent ſic:



In illo tempore, Dixit Ieſus



diſcipulis ſuis. In illo tempore



cum appropinquaſſet

Interro-

Interrogationes in Euangelio occurrentes, si verè interrogationes sint, & non historicè tantùm ponantur (sicut illud Ioannis, *Qui & recubuit in cœna super pectus eius, & dixit: Domine, quis est qui tradet te?* & paulò infrà illud: *Et non dixit ei Iesus: Non moritur; sed, sic eum volo manere donec veniam, quid ad te*) hoc modo cantari debent.



Tu es qui venturus es, an alium



exspectamus.

Terminatur autem Euangelium sic.



Benedictus qui venit in nomine



Domini.

23. Finito Euangelio, si principium textus quod à Celebrante osculari debet, in præcedente folio est, vertit folium, & in plano medio ante infimum gradum Altaris cum debitis inclinationibus, statim ac Celebrans librum osculatus fuerit, triplici illum thurificat ductu, redditoque thuriferario thuribulo post Celebrantem stabit donec intonauerit si dicendum sit, *Credo*, & tunc accedens à dextris Celebrantis submissa voce cum Celebrante & Subdiacono prosequitur *Symbolum* vsque ad finem; & ad verba *Iesum Christum*,

Castaldus Praxi Car. lib. 2. sect. 17. num. 8.

Christum, & *simul adoratur* caput cum alijs inclinans, ad illa autem *Et incarnatus est* vsque ad *Et homo factus est* inclusiuè genuflectens, & in fine ad illa *Et vitam venturi sæculi, Amen.* Signat se cum alijs à fronte ad pectus. Tum sedet cum Celebrante; vel manet stare à dextris Celebrantis, iuxta suprà dicta circa *Kyrie eleyson*, & *Gloria in excelsis.*

Gauantus part 1. tit 7. n 3. Litt. o. & p.

24. Quando cantantur à choro supradicta verba *Et incarnatus est, &c.* ad *Crucifixus* exclusiuè, si sedeant, cum alijs inclinet se aperto capite; si non sedeant, flectat cum illis in secundo gradu Altaris.

26. Cum in choro cantatum fuerit *Et homo factus est* accedens solus sine comite ad Credentiam, si in illa calix sit cum bursa, accipit Bursam cum Corporali, quàm ad oculos vsque eleuatam ambabus manibus portat ad Altare, incedens solus graui & decoro incessu & facta reuerentia genuflexionis in medio ante infimum eius gradum Cruci, extrahit ex Bursa Corporale, quod explicat, & extendit in medio Altaris collocans à parte Euangelij bursam, ita vt Altare non impediat, & factis debitis reuerẽtis redit ad locum, vbi priùs erat. Quando non dicitur *Symbolum* Subdiaconus defert Bursam simul cum Calice, vt in officio eius dicitur.

Perem. Epis. lib. 1. c. 2.

26. Absoluto à Choro Symbolo, vel si non sit dicendum; Dum Celebrans dicit *Dominus vobiscum* & *Oremus* stat retrò post cum, & mox ad dextram eius accedens, amouet Calicem è medio Altaris, ad cornu Epistolæ, si ibi sit, deregit, & dat patenam cum hostia Celebranti, osculando eius manum: Si verò calix erat in credentia, vt magis decet, & corporale simul cum eo per Subdiaconum afferatur, extenso priùs Corporali in medio Altaris, dat patenam Celebranti, vt suprà.

Rubr. gener. Miss.

27. Quod

27. Quod si aliæ Hostiæ pro communione populi facienda in alio calice seu vasculo sunt consecrandæ, detegit calicem illum seu vasculum, & aliquantulùm eleuat cùm Celebrans dicit: *Suscipe Sancte Pater, &c.* & statim reponit post calicem, ita vt non præbeat impedimentum, & tegit: & posteà dum Celebrans prolaturus est verba consecrationis, iterùm detegit, & post consecrationem tegit. *Carem. Epis. lib. 2. c. 29.* *Gauantus p. 3. tit. 7. n. 9. litt. n.*

28. Mox tersum à Subdiacono Calicem accipit sinistra tenens nodum eius, dextra infundit vinum ex ampulla de manu Subdiaconi accepta, quantum sufficiat, Celebrante inspiciente, & imposito per Subdiaconum modico aquæ, ac finita per Celebrantem oratione *Deus qui humanæ, &c.* dat Calicem Celebranti cum quo pedem illius tangens, seu brachium dextrum Celebrantis sustentans, eleuatis oculis simul dicit: *Offerimus tibi Domine, &c.* deinde calicem in Altari positum palla cooperit: mox Subdiacono in cornu Epistolæ stanti, in dextram manum nudam tradet patenam, quam cooperit extremitate veli ab ea parte dependente. *Rubr. gener. Miss. tit. 7. num. 9.*

29. Dicto per Celebrantem *Veni Sanctificator, &c.* Diaconus adhuc stans in cornu Epistolæ ministrat illi Cochlear, nauiculam thuris, & tradit thuribulum, vt suprà, in principio Missæ, dum verò thurificantur oblata, stans ad dextram Celebrantis, sinistra fimbriam casulæ, dextra verò pedem Calicis tenet; ne fortè dum Celebrans oblata thurificat thuribulo tactus è loco remoueatur, vt aliquid ex illo effluat, & cum thurificanda est Crux altaris amouet illum ad partem Epistolæ, non tamen extra Corporale, si capax est, eaq; thurificata in locum suum in medio Corporalis reponit: deinde assistit Celebranti à dextris eiusdem vsque ad finem thurificationis Altaris. *Carem. Epis. lib. 1. c. 9.* *Gauantus part. 2 tit. 7. n. 10. litt. b.*

30. Re-

30. Recepto denique thuribulo de manu Celebrantis cum de osculationibus eiusdem manus & thuribuli, incensat eundem triplici ductu, facta ante & post profunda capitis inclinatione Celebranti, mox incensat Chorum, & postremò Subdiaconum tenentem Patenam, & posteà redito thuribulo Thuriferario vel Cæremoniario, ab eodem stans iunctis manibus in loco suo post Celebrantem incensatur duplici ductu; ibique stans permanet vsque ad finem *Præfationis* nisi fortè Presbytero assistente deficiente, Celebranti assistere ad vertenda folia Missalis cogatur, quando opus est.

Carem. Epis. lib. 1. cap. 9.

Gavantus part. 2. tit. 7. n. 11. litt. f.

31. Circa finem Præfationis, facta in loco suo post Celebrantem genuflexione ascendit ad Altare, vbi à dextris Celebrantis, stans inclinatus, dicit cum eo, *Sanctus, Sanctus, &c.* cùm dicit *Benedictus qui venit, &c.* cum Celebrante se erigens facit cum eodem signum Crucis à fronte ad pectus. Et dicto vltimo *O Sanna in excelsis*, repetita genuflexione, discedit.

Carem. Epis. lib. cap. 9.

32. Deinde accedit ad sinistram Celebrantis, eique apud librum assistit, cùm dicit *Canonem.* (nisi alius Sacerdos ibi assistat, quia tunc ipse staret ad dextram aliquantùm post Celebrantem.) Cum autem Celebrans dicit *Quam oblationem, &c.* Diaconus facta priùs genuflexione, vbi est, accedit ad eius dextram, vbi in supremo Altaris gradu genuflexus, dum Celebrans eleuat hostiam consecratam, ipse sinistra eleuat aliquantulum posteriorem partem planetæ, ne illum impediat in eleuatione brachiorum, reposita hostia super Corporale, surgit, & antequam discooperiat calicem consecrandum cum Celebrante priùs adorat cum genuflexione Hostiam ab eo super Corporale positam, & detecto manu dextra Calice, iterùm in loco pristino genuflexit

Gavantus part 1. tit. 8. n. 8. litt. g.

ctit. & dum Celebrans eleuat Calicem rursus subleuat Casulam, & Calicem super Altare repositum palla cooperit, & facta cum Celebrante Sacramento genuflexione redit ad librum, nisi alius ibi assistat, quo casu redit ad locum suum post Celebrantem. *Rubr. gener. tit 8. n. 8.*

33. Cum Celebrans dicit ea verba Canonis *Per quem hæc omnia, &c.* facta priùs in loco suo genuflexione, accedit ad dextram illius, & postquàm tertiò signauerit communiter super hostiam & Calicem, eum detegit cum Celebrante genuflectens & surgens: & dum Celebrans signat cum hosta dicens: *Per ipsum & cum ipso, &c.* duobus digitis dextræ manus tenet pedem Calicis, ac reposita hostia super Corporale, iterum tegit, & cum Celebrante genuflectit: tum redit ad librum, vel si alius assistat redit ad locum suum. *Carem. Epis. lib. 1. cap. 9.* *Gauantus part. 2. ti. 10. n. 4. litt. m.*

34. Cùm Celebrans incipit *Pater noster*, facta Sacramento genuflexione, vadit retrò post eum, & stat ibi vsque ad illa verba, *& dimitte nobis debita nostra* quæ cum dicuntur, facta ibidem genuflexione vadit ad dextram Celebrantis, vbi in cornu Epistolæ accipit Patenam de manu Subdiaconi, quam discooperiens & purificatorio extergens ponit in dextram Celebrantis cum de osculatione illius. *Rubr. gener. Miss. n. 3.*

35. Celebrante submittente Patenam hostiæ, detegit Calicem, ac immissa per Celebrantem particula hostiæ in Calicem, iterum eum tegit, semper cum Celebrante genuflectens ac surgens: posteà ibidem capite inclinato versus SS. Sacramentum cum Celebrante dicit *Agnus Dei, &c.* ter dextra percutiens pectus suum, sinistram intra pectus habens. *Carem. Epis. lib. 1. cap. 9.* *Gauantus part. 1 tit. 10. num. 8.*

36. Dicto cum Celebrante *Agnus Dei, &c.* ibidem à dextris ipsius genuflexus exspectat pacem, & cùm Celebrans osculaturus est Altare, se

erigens simul osculatur illud extra Corporale, ti
Rubr gener. Miss. tit. 1. num. 8. sinistram genam sinistræ Celebrantis appropin-
quans ab eodem dicente, *Pax tecum*, complexus accipit pacem, respondens, *Et cum Spiritu tuo*: deinde facta ibi iterum Sacramento genuflexione, vertit se ad Subdiaconum post Celebrantem stantem, similiter dat ei pacem prout Celebrans ipsi dedit, posteà iterum ante Sacramentum genuflectens redit ad librum, nisi alius ibi assistat.

37 Dum Celebrans dicit *Domine non sum dignus, &c.* stat profundè inclinatus, manibus iun-
Gavantus part 2. tit. 10. n 8. lit e. ctis ante pectus, & casu quo alius assistat ad librum, vel Subdiaconus nondum redierit ab osculo pacis, post sumptam à Celebrante hostiam, accedens ad eius dextram, discooperit calicem. Quod si Subdiaconus redierit ab osculo pacis ad ipsum hoc spectat faciendum. Diacono seruiente ad librum.

38. Si facienda sit communio, & hostiæ consecratæ non sint super Altare Diaconus cooperto Calice cum palla, eóque posito paulò vltra medium Corporalis, versus cornu Euangelij collocat in medio Corporalis Pyxidem cum Sa-
Carem. Epis. lib 2. c. 29. 30. & 31. cris hostijs. Quod si verò ea extrahenda sit de Tabernaculo aperit ostiolum Tabernaculi genuflectit, & reuerenter acceptam Pyxidem Sanctissimi Sacramenti, reponit super Corporale, remotoque à Pyxide opereulo rursum genuflectit, & ad latus Epistolæ accedens profundè inclinatus dicit *Confiteor, &c.* deinde dicto à Celebrante *Misereatur, &c.* & *Indulgentiam, &c.* à dextris Subdiaconi in medium genuflectens ante
Concil. Trid. sess. 23. & 13. alios omnes communionem sumit (maximè enim Diaconum decet, saltem diebus Dominicis & Solemnibus nisi sit Sacerdos communionem de manu Sacerdotis cui ministrat percipere)

& post acceptam communionem Diaconus dextra purificationem, sinistra mappulam ad os absterg ndum ministrat, ijs, scilicet qui de Clero sunt, non laicis, quibus purificationem dabit alter è Clero, Diaconus autem eo casu ad dextram Celebrantis accedit ibique ministrat & assistit, donec perficiatur Communio, qua finita accedens cum genuflexionibus cooperit pyxidem, rursumque genuflectens eandem reponit in locum suum & claudit ostiolum. *Gauantus part. 2. tit. 1. n. 9. litt. c.*

39 Postquàm Celebrans se purificauerit, digitosque abluerit, nisi alius assistat ad librum, transfert illum cum puluinari ad cornu Epistolæ cum genuflexione ante medium Altaris, & soluit ad librum Celebranti vertendo folia dum opus est vel stat post eum prout res postulauerit vsque ad finem Missæ. *Rubr gener. tit. 11. n 3.* *Gauantus ibidem.*

40. Diaconus, à feria quarta Cinerum vsque ad feriam quartam maioris hebdomadæ in Missis de feria dicto per Celebrantem *Oremus* pro oratione super populum, facta priùs genuflexione versus Altare, vertens se per latus suum dextrum ad populum, iunctis manibus demissisque ad terram oculis, dicit cantando. *Rubr. gener. Miss. loco cit.*



Humi li a te ca pi ta vestra De o.

quo dicto vertit se iterùm per eandem viam ad Altare.

41. Finitis *orationibus* dicto per Celebrantem *Dominus vobiscum*, & responso per Chorum, *Et cum spiritu tuo*, præmissa genuflexione conuersus ad populum dicit cantando iunctis manibus in tono competenti *Ite Missa est*, si dicendum sit, *Gauantus part. 4. tit. 11. n 3. litt. r.*

sit, alioquin non conuersus ad populum cantat *Benedicamus Domino*, vel *Requiescant in pace*, pro qualitate Missæ, tono, vt in Missali præscribitur.

42. Dum Celebrans benedicit populo, Diaconus super secundum Altaris gradum conuersus ad Altare genuflectit, manuque sibi formans crucem à fronte ad pectus vt solent Laici.

Cauantus loco citato.

43. Quando Celebrans legit *Euangelium S. Ioannis* stat aliquantò post Celebrantem, ad sinistram eiusdem, & dum Celebrans signat se, aut inclinat ipse pariter se signat, aut inclinat, & cum dicitur *Et verbum caro factum est* genuflectit ibidem cum Celebrante versus librum, & in fine respondet *Deo gratias*.

44. Denique descendens cum Celebrante ante infimum gradum Altaris, ibique à dextris ipsius genuflexione reuerentiam exhibet Altari, simul cum Celebrante; deinde biretum porrigens Celebranti cooperto capite discedit ad Sacristiam ante Celebrantem, Subdiacono & alijs præcedentibus, ibique facta imagini reuerentia, & depositis Sacris vestibus recedit in pace.

ANNOTATIONES.

Tàm officium Diaconi quàm Subdiaconi concernentes.

Quoniam plurima sunt in quibus Diaconus & Subdiaconus conueniunt, & quæ simul eodem modo in Missa agere debent, visum fuit præcipua illorum priùs sigillatim annotare, quàm annotationes quæ solum Diaconum concernunt, notentur.

I. Diaconus & Subdiaconus sumptis paramentis suis, exceptis manipulis ambo Celebrantem adiuuant, dum paramentis suis induit se.

II. Manus ita iunctas ante pectus tenere debent, vt non sint sub Dalmatica, aut Tunicella reconditæ.

III. Quoties genuflectit Celebrans in medio eorum, aut surgat, ambo eum adiuuent brachia eius sustentando, & si fiat cum pausa planetam eius posteriorem

giorem aptant super pedes eius, vt ad versum *Et incarnatus est*, & alia.

IV. Quoties aliquid offerunt priùs illud, deinde manum Celebrantis, cùm verò recipiunt, priùs manus deinde rem ipsam osculantur, præterquàm in Officio Defunctorum, & quando expositum est patenter SS. Sacramentum.

V. Ad Confessionem ante Altare ambo simul genuflectunt, se signant cum Celebrante ambo simul respondent, se inclinant, & non profundiùs vnus quàm alter & ambo simul dicentes *Tibi Pater, & te Pater*, & *Misereatur tui*, se conuertunt ad Celebrantem, & cùm ibidem Celebrans ascendit ad Altare eleuant hinc inde vestes anteriores Celebrantis.

VI. Ambo simul adiuuant Celebrantem dum incensat Altare, eleuantes hinc inde partem posteriorem planetæ eam accipientes paulò infrà humeros.

VII. Ambo simul respondent *Kyrie eleyson*. Ambo simul Hymnum Angelicum, Symbolum, *Sanctus*, & *Agnus Dei*, & quando ea recitant vnus non reciret altiùs altero, sed ambo vniformitatem in omnibus seruant, quantùm fieri potest.

VIII. Nullus ex ijs librum teneat præ manibus in tota Missa, immò nec Missale ipsum, sed ante Missam omnia ita præuideant, vt in eo indecenter quærere & inuestigare non sit opus ea, quæ cantare debent.

IX. Dum procedunt à tergo Celebrantis, ad illius latera priùs genuflectant simul, & Diaconus aliquantulùm secedat in suo gradu à parte Epistolæ expectans socium vt ambo simul accedant ad ipsius latera: & antequam recedant ab eo ibidem genuflectant: non verò in locis suis

X. Quando genuflectunt ad Altare, manus non ponant super illud, sed eas teneant ad pectus, similiter quando ibidem percutiunt pectus, manum sinistram pectori admoueant.

XI. Ambo etiam æqualiter distent à Celebrante siue initio Missæ, siue sint ad Altare.

XII. Quando Celebrans pluuiali est indutus ambo simul procedunt, hinc inde ad latera eius eleuantes à parte sua anteriores partes pluuialis. Ideò vnusquisque attendat diligenter ad socium suum, vt vniformitatem, quantùm fieri potest, in omnibus seruent, siue in inclinationibus, sessionibus, genuflexionibus & alijs huiusmodi.

XIII. Quan-

XIII. Quando Celebrans vult sedere priùs sedet & si duo posteà sedeant, fiat illi reuerentia adhuc e do capite, & priùs surgant & deponant biretu si quàm Celebrans.

XIV. Caueant diligenter quando retrocede debent verbi gratiâ, quando debent descende ab vno gradu ad alium licet proximum, vt non d recte retroçedant, sed aliquantulùm recedant ad l tus, vt aspiciant locum ad quem descendunt, vel acce dunt, cùm indecens sit, sic retrocedere.

ANNOTATIONES

in Officium Diaconi.

§. 1. Diaconus diligenter considerare debet se esse ex præcipuis Ecclesiæ ministris, & nobiliorem gradum obtinere inter eos, qui Sacerdoti simplici celebranti ministrant. Quapropter maximâ puritate, tam corporis, quàm animæ ad Diaconatus ministerium necessariâ, inseruire debet.

§. 2. Cùm secundùm plurimos Doctores, ministri mortaliter peccent cantando Epistolam seu Euangelium in peccato mortali constituti, ideoque Diaconus & Subdiaconus Euangelium seu Epistolam in Missa solemni cantaturi omni cura & solicitudine caueant, ne vnquam alicuius peccati mortalis sibi conscij sine Sacramentali Confessione aut saltem contritione Missæ solemni, ordinem Diaconatus aut Subdiaconarus exercendo, assistant.

Carem Epis. lib. 1. cap. 9. & 10. Gauantus part. 2. tit. 1. n. 2. litt y.

§. 3. Tam Diaconus quàm Subdiaconus habitu decenti Clerici induti, corona in capite paulò minori, Sacerdotali insigniti esse, & iuxta Rubricas, & Cæremoniale Episcoporum collaria Amictu circumtegere, Chirotecas, manicas, aliaque manuum impedimenta, tempore ministerij, deponere debent.

Octauius Frangipanus de diuinis officijs n. 87.

§. 4. Numquam tam Diaconus quàm Subdiaconus à Sacerdote cui inseruiunt, recedere debent, ne quidem vt Chorum cantando iuuent, sed perpetuo, quo ad completum fuerit Sacrificium ei ad Altare assistere: aut si Celebrans sedeat hinc inde vtrumque eius latus consedendo claudere.

§. 5. Cæremonias hic alijsque in libris præscriptas accuratissimè obseruent, cum omni vultus maturitate, morumque modestiâ & grauitate; vt ne se inuicem

cem quidem, nisi ministerij duntaxat sui causa, multò minùs alios aut Clericos, aut Laicos inuerecundis oculis vel aspiciant vel alloquantur.

§. 6. Diaconus accedens in Sacristiam ad ministrandum primo accipit Missale Celebrantis, perquirit Missam, & signacula eius disponit, & deinde illud curat deferri ad cornu Epistolæ Altaris & quidem apertum in folio vbi est Missa, tum in libro Euangeliorum perquirit Euangelium decantandum, illudque legit, ne fortè posteà erret cantando illud

§. 7. Si ob aspersionem aquæ benedictæ, Candelarum benedictionem, & alia huiusmodi, ipse Celebrans pluuiali, vel etiam tantùm Alba cum stola indutus sit, à dextris illius incedit fimbrias pluuialis eius attollens, quod facit etiam Subdiaconus à sinistris. *Carem. Epis. lib. 1. c. 15.*

§. 8. Dum procedendo ad Altare, transire contingat ante Tabernaculum SS. Sacramenti, à dextris Celebrantis, nudo capite flectit vnicum genu, sed si sit expositum, vtrumque. Idem de Subdiacono dicendum.

§. 9. Quando Sacristia vnde discessit, sit in parte Epistolæ, ipse Diaconus cum primo Ceroferario, & Thuriferario, prope cornu Epistolæ paululùm, retrocedant, vt Celebranti transeunti ante eos locum dent.

§. 10. Dum Diaconus cum Celebrante ascendit ad Altare, ne quidē illud contingit, sed suo loco genuflectit, & statim surgit, quod semper obseruat etiamsi celebretur in Altaribus vbi non est Sacramentum, sed sola Crux cum imagine Crucifixi. *Epitome Sac. Rit. Tit. 4. n. 6.*

§. 11. Dum Diaconus Celebranti reuerentiam faciet, solâ capitis, vel ad summum humerorum inclinatione fiat.

§. 12. Quando Diaconus iuxta Rubricas generales Missalis ministrare debet cum Planeta ante pectus plicata, dum cantatur *Graduale* vel *Tractus* acceptaturus librum Euangeliorum, eam deponit, quæ tunc conuoluitur, vel alia iam conuoluta & plicata ponitur super sinistrum eius humerum & stolam, & sub brachio dextro Chordulis ad id aptatis strictè colligatur ne decidat, & sic permanet quousque Celebrans sumpserit communionem quâ sumptâ reassumit Planetam vt priùs. *Carem. Epis. lib. 2. cap. 13. & 18.*

§. 13. Cùm Celebrans incensat Crucem & Altare incedit cum eo, & semper genuflectit cum eodem dum transit ante Crucem, licet Celebrans tantùm se inclinet.

§. 14 Dia-

Gauantus part. 2. tit 4. n. 7. litt. h.

§. 14. Diaconus in accipiendo thuribulo à Celebrante osculatur primo manum eius, tum catenularum Summitatem, eumque incensat, cum inclinatione semper profundâ ante & post, cui Celebrans nec modicum quidem caput inclinat.

Gauantus ibid. litt. i.

§. 15. Quando Diaconus & Subdiaconus stant vnus post alium, Diaconus se locat super secundum gradum, & Subdiaconus in plano Capellæ formantes lineam rectam.

Epist. Thes. Sacr. Rit. Tit. 4. n. 10.

§. 16. Quando Diaconus, & Subdiaconus ascendunt ad Altare, faciunt priùs genuflexionem in medio vnde discedunt, sed non debent aliam iterum facere ad Altare: & vice versâ quando discedunt ab Altari genuflectunt, sed nullam aliam faciunt genuflexionem reuersi ad loca sua.

Cerem. Epis. lib. 1. c. 9.

§. 17. Quando Diaconus & Subdiaconus cum Celebrante legunt Hymnum Angelicum, Symbolum, *Sanctus*, aut *Agnus Dei*, submissa voce illa prosequuntur cum Celebrante, simul & non alternatim, non tamen præueniendo, sed potiùs subsequendo vocem ipsius Celebrantis.

Gauantus ibid. litt. g.

§. 18. Diaconus non tenetur in fine orationis submissâ voce dicere *Amen*; nec ad alia ad quæ respondet Chorus quod quidam putauere; satis enim est, quod à Choro respondeatur Sacerdoti.

§. 19. Dum Celebrans sub Missa sessurus est, porrigit ei biretum cum quasi osculo illius, & eleuat partem posteriorem planetæ ne super eam sedeat, tum accepto suo bireto, eleuatâque etiam parte posteriori dalmaticæ suæ, & facta profundâ inclinatione Celebranti iam sedenti, & parua Subdiacono adhuc stanti, sedet à dextris ipsius Celebrantis tecto capite, & manibus hinc inde super genua extensis, & digitis simul iunctis; Ibi autem caput nudat & inclinat ad nutum Cæremoniarij.

Rubr. Miss. p. 2. tit. 4 n 7

§. 20. Aliqui præscribunt, si Celebrans non sedeat, post dictum Hymnum Angelicum, aut Symbolum, Diaconum & Subdiaconum debere stare post Celebrantem; sed videtur hoc contrarium Rubricis Missalis, habetur enim in Rubricis Missalis quoties ministri stare debeant vnus post alium, in Missa scilicet, dum Celebrans solùm inchoat *Gloria in excelsis* & *Credo*, dum dicit *Dominus vobiscum*, Orationem; Præfationem; & *Pater noster* & post Communionem, ergo non in alijs casibus quàm eo loco præscriptis.

§ 21. Dum

§. 21. Dum Celebrans dicit *Dominus vobiscum* stat Diaconus post eum, non tamen se inclinans, aut planetam eiusdem exosculans.

§. 22. Diaconus defert librum Euangeliorum ad Altare circa tempus Euangelij cantandi nullo comite, comes enim datur Ministris ad aliquid cantandum, aut quando exeundum est à presbyterio. *Gauantus part. 2. tit. 5. litt. h.*

§. 23. Cum Diaconus petit benedictionem genuflectit, reliqui ministri stant (nisi coram Episcopo celebretur) quia eo casu omnes ministri genuflectunt.

§ 24 Tum petit benedictionem à Celebrante dicit *Iube Domne benedicere* non autem *Domine* quia.

Cœlestem Dominum terrestrem dicito Domnum.

§. 25. Cantari debet Euangelium versus Aquilonem inter Altare, & populum quod idem est contra Altare versus populum, & reuerà verba Rubricæ quæ alioquin pugnare viderentur inuicem, non pugnant, sed locum & situm quasi medium indicant, ita vt Diaconus neque totus sit contra Altare, neque totus versus populum, sed inter vtrumque, faciem sistat suam. *Gauantus ibid. litt. m.*

§. 26. Diaconus solus cum debitis reuerentijs, portat Bursam Corporalium sine comite, & vadit per viam breuiorem ad credentiam, per longiorem ad Altare. *Gauantus part. 2. tit. 6. n 7. litt. r.*

§. 27. Diaconus dat patenam cum hostiâ celebranti, osculando eius manum, sed osculatâ priùs patenâ, nam est regula generalis. Vt quotiescumque aliquid tradatur Celebranti priùs res, quæ tradatur, deinde manus Celebrantis, sed è conuerso quando aliquid accipitur ab eo, priùs osculanda est eius manus, deinde res quæ accipitur. Quod semper seruatur præterquam in Missis Defunctorum, & quando expositum est Sanctissimum Sacramentum, in his enim casibus omittuntur prædicta oscula, vt etiam suprà dictum est. *Gauantus part. 2. tit. 7. n. 9. litt. n. Carem. Epis. lib. 1. c 9.*

§ 28. Diaconus aduertat, vt dum Celebrans signat super hostiam & Calicem, vt partem Casulæ circa brachium eius semper aliquantulùm sustineat.

In Missa solemni dum Celebrans dicit *Quam oblationem* Diaconus accedit ad eius dextram factâ priùs genuflexione vbi est Altare. Si adest pyxis cum particulis consecrandis eam detegit, & collocat propè hostiam ante consecrationem, depositâ verò hostiâ post consecrationem factâ cum Celebrante genuflexione pyxidem cooperit, & collocat in loco pristino. *Gauantus part. 2. tit. 8. n. 8. litt. q.*

§. 29. Dia-

Carem. Epis. lib. 1. c. 9. §. 29. Diaconus quoties Calicem detegit totiens nusflectit adorans Sacramentum priùs & post.

Car. Epis. lib. 2. c. 15. §. 30. Cùm Celebrans signat cum hostia dicens *ipsum & cum ipso* Diaconus tenet duobus digitis dextræ manus pedem Calicis.

Gauantus part 2. tit. 10. n. 9. §. 31. Si assistens paratus Celebranti assistet, hic accipiet pacem à Celebrante & dabit Clero, Diaconus autem tunc recipiet pacem ante Clerum ab eodem assistente & dabit Subdiacono.

§. 32. Quia Diaconus post thurificationem oblatorum omnes in choro incensare debet, diligenter ipsi obseruandum est, primo quis ordo seruandus in thurificatione personarum; deinde vt numerus thurificationum obseruetur pro qualitate personarum quæ thurificantur. Quod spectat ad personas quæ incensandæ sunt primo thurificato Altari thurificatur *Carem. Epis. lib. 1. cap. 23.* Celebrans, tum Legatus Cardinalis, si aderit, vel etiam Cardinalis non Legatus, mox Archiepiscopus illius prouinciæ si aderit, & post eum Episcopus non Celebrans, sed præsens in Sacrificio, post quem immediatè Presbyter assistens, & duo Diaconi assistentes, nisi adsint maiores Episcopo, & in casu quo non sit Episcopo assistentia.

§. 33. Si forte aderit Nuntius Apostolicus cum facultate Legati de Latere intra fines suæ Legationis aut Visitator Apostolicus, Episcopus, thurificantur ante Archiepiscopum & Episcopum. Sed si Nuntius Apostolicus non habet talem facultatem, vel Visitator non sit Episcopus, post Episcopum & Archiepiscopum, & hoc intelligatur quando Nuntius, & Visitator sunt in loco eorum iurisdictionis. Si aderunt Archiepiscopus & Episcopus hospites, thurificandi sunt post Episcopum proprium.

Si fortè aliquis S. R. E. Cardinalis esset Episcopus Suffraganeus præsente suo Metropolitano, non Cardinale, thurificandus est priùs ipse Cardinalis, ob reuerentiam officij & dignitatis Cardinalis: Post prædictos thurificantur, si aderunt, Protonotarij de numero participantium, deinde Nuntij Apostolici Prælati non existentes in loco eorum iurisdictionis, sed transeuntes, tum Dignitates, & Canonici secundum eorum ordinem, videlicet primò dignitates, deinde Canonici Presbyteri, tum Diaconi, mox Subdiaconi, si Præbendæ sint distinctæ; tum, si aderunt Abbates benedicti, & post eos, si erũt aliqui Protonotarij supernumerarij,

merarij, nisi essent consanguinei alicuius Maximi Principis, qui pro eius iudicio; & prudentia thurificari poterunt loco conuenienti ante Dignitates, & Canonicos. Generales Ordinum post Abbates, & Protonotarios Supernumerarios. Vicarius Episcopi pro consuetudine Ecclesiarum. Et hæc quo ad personas Ecclesiasticas. Quod vero ad Laicos, Dominus loci Princeps, Magnus, non recognoscens superiorem thurificatur immediate post Episcopum. Imperator tamen, & Rex indistinctè, ante Episcopum sunt thurificandi. Proteges verò & Gubernatores regnorum, & Prouinciarum immediatè post Episcopum; Magistratus ciuitatum post Dignitates & Canonicos thurificantur, nisi sint de maioribus & perpetuis, qui thurificantur ante Canonicos, nisi rursus Canonici sint parati, quia tunc & ipsi thurificantur post Canonicos paratos Barones, & Domicelli sine titulo, post Magistratus omnes. *Cærem. Epis. loco citato.*

§. 35. Si aliqua esset mulier insignis, vt Regina, vel Magna Principissa, vtique & ipsi thus dari conuenit in loco, vbi daretur eius viro si adesset. Regulariter tamen fœminæ non debent incensari non obstante consuetudine. Sacr. Cong. Rit. in Lucerina 3 Iunij 1617. Sed aliquando remittitur arbitrio Episcopi. Eadem Cong. in Placentina 28. Ian. 1612. *Cærem. Epis. ibidem.*

§. 36. Quod ad numerum thurificationum attinet, aduertere debet Diaconus, vt numerum thurificationum obseruet pro qualitate rerum & personarum quæ thurificantur. Nam SS. Sacramentum, Crux Altaris, Archiepiscopus, vel Episcopus & Abbates in eorum Ecclesijs, thurificantur triplici ductu; Dignitates & Canonici, duplici ductu, inferiores vnico ductu: si adesset Legatus, vel alij Cardinales, ipsi ter, Episcopus, & Celebrans bis, Dignitates & Canonici semel, cæteri sine mora.

§. 37. Si verò adsit Dominus loci Laicus, vel alius Princeps Maximus, ter vt Episcopus, Celebrans, Dignitates & Canonici, bis, cæteri, semel, nisi rursus adessent Legatus, vel alij Cardinales quo casu duplici ductu thurificatur, sicut Episcopus, Dignitates vero, & Canonici tunc vnico tantùm ductu thurificantur, vt proximè dictum est. Hæc omnia ex Cær. Episc. lib. 1. c. 23. quæ ideo libenter huc adducta sunt vt ijs satis fiat qui fortè huiusmodi Cæremoniali carent, & vt sciat vnusquisque quid agendum sit ei, quando simul congregantur huiusmodi personæ, licet rarissimè hæc eueniant.

§. 38. Cele-

§. 38. Celebrans semper triplici ductu incensandus est, si nullus sit eo maior, cui triplex ductus debetur, vt supra dictum est, ob dignitatem eius Ecclesiasticam, maiore verò præsente semper duplici ductu, quamuis eius collegiales vnico tantùm ductu thurificentur. At verò Celebrans simplex sit incensandus triplici ductu præsente tantùm Episcopo extraneo, & non proprio, qui debet incensari triplici ductu, sicut etiam an præsente aliquo Principe tantùm, & non Episcopo proprio qui etiam thurificandus est triplici ductu, ipse etiam Celebrans sit incensandus triplici ductu, dubitatur & iudicandum Superioribus relinquitur.

§. 39. Vicarius Generalis Episcopi, duplici etiam ductu thurificatur, nisi sit Prælatus. Sacr. Congr. Rituum in Nepesina 14. Ianuarij. Aduerte autem, quòd in Germania Archiepiscopi & Episcopi soleant passim habere tres generales Vicarios, iuxta triplicem eamque distinctam, vnicuique ex proprio tum officio competentem, tum diuerso circa quod versantur, foro tributam Iurisdictionis potestatem: quorum primus vsitatè *Suffraganeus* alter absolutè *Vicarius*, tertius proprie *Officialis* nuncupatur. Ita à Sereniſſimo ac Reuerendiſſimo Domino D. Maximiliano Henrico Archiepiscopo ac Principe Electore Colonienſi, vtriusque Bauariæ Duce in sua Archidiœcesi Colonienſi diserte constitutum est, vti videre licet ex ipsius desuper edito diplomate, quod plenioris cognitionis causâ, circa finem huius libelli lubet adijcere.

TITVLVS XV.

De officio Diaconi in Missis solemnibus pro Defunctis, & in absolutione Defunctorum post eandem.

Castaldus praxi tarem. lib. 2. sect. 7. n. 6 p. 1.

1. Diaconus in Missis Defunctorum ministrans numquam Celebrantis manum, nec aliquid ei porrigens osculatur: non ministrat incensum in principio Missæ: non petit benedictionem ad Euangelium: neque incensat librum ante Euangelium nec postea Celebrantem; neque

que alios post incensationem oblatorum incensat, sed tantùm Celebrantem; ad *Agnus Dei* non percutit pectus, neque accipit pacem.

2. Dum dicitur *Sequentia* circa finem cùm dicitur *oro supplex & acclinis, &c.* aut quando non dicitur *Sequentia* circa vltimum versum *Tractus* accipiens Missale super Altare reponit, ac genuflectens super supremum Altaris gradum dicit *Munda cor meum, &c.* quo dicto & resumpto libro, absque petitione benedictionis & osculo manus, cùm tempus est factâ Altari reuerentiâ, cum aliis ministris procedit ad cantandum Euangelium hoc ordine videlicet, primò Diaconus, tum Subdiaconus, & vltimo loco duo Acolythi sine candelabris & luminaribus. *Carem Epis. lib. 1. cap. 11.*

3. Dicto offertorio, cùm Subdiaconus defert ad latus Epistolæ Calicem, accipit Bursam, extrahensque Corporale illud explicat, Hostiam supra patenam, positam, Celebranti porrigit deinde Calicem præparat.

4. Non dat Patenam Subdiacono, sed statim facta oblatione hostiæ, eandem patenam ponit aliquantulùm subtus Corporale, & reliquam partem ipsius Purificatorio, post exterſionem Calicis, cooperit: Ministrat incensum ad oblata sine osculis & finita incensatione incensat tantùm Celebrantem.

5. Post incensationem altaris Diaconus manutergium cum Subdiacono ad tergendas manus Celebrantis à parte sua tenet sub peluicula, quam Acolythus ministrat, & lotis manibus, illud extendit super illas vt Celebrans tergat easdem cum debitis reuerentijs sine osculis. Cùm Celebrans dicit *Orate fratres*, ipse respondet, *Suscipiat Dominus, &c.* quo dicto, accedit ad librum cum solitis reuerentijs, vbi folia Missalis vertit, si opus sit, ad Præfationem stat à tergo Celebrantis. *Gauantus comment. in Rubr. Miss. part. 3. tit. 13.*

6. Circa finem Orationis Dominicæ Patenam accipit de Altari, & eam extersam dat Celebranti sine osculis, Ad *Agnus Dei* non percutit pectus, sed eo dicto, & facta genuflexione, accedit ad librum, vbi iterum genuflectit, & ministrat vt in alijs Missis. In fine dicens *Requiescant in pace* iunctis manibus, non vertit se ad populum.

7. Ad Absolutionem, si facienda est, deposito tantùm suo Manipulo in cornu Epistolæ adiuuat Celebrantem ibidem exuentem se Planeta & manipulo, eique imponit Pluuiale. Deinde ad medium Altaris redit à sinistris suis & ibi genuflectit, surgit, & procedit ad Lecticam à sinistris Celebrantis nudo capite, vbi stat aliquantulum retrò post eum etiam à sinistris; At cùm Cantores in Responsorio *Libera me Domine* cantant versum *Requiem æternam* ministrat incensum de more accedens ad dextram Celebrantis, cum genuflexione & sine osculis porrigit, cochlear dicens tamen *Benedicite Pater Reuerende.*

8. Inchoato à Celebrante *Pater noster* accipit de manu ministri aspersorium, & illud eidem Celebranti porrigit, & eleuans sinistra fimbriam Pluuialis dexterã, facta altari genuflexione, procedit aliquantulùm post eum à dextris eius dum facit aspersionem, genuflectens Cruquam tenet Subdiaconus. Completo circulo, receptum aspersorium reddit Ministro, acceptumque thuribulum, tradit etiam Celebranti, & eodem modo illum comitatur, vt suprà, in aspersione factum, acceptumque à Celebrante thuribulum reddit Thuriferario. Deinde accipit librum ab Acolytho, quem tenet apertum ante Celebrantem, dum Celebrans dicit versus & Orationem; post cuius conclusionem librum reddit

Acolytho

Acolytho clausum, & cùm Celebrans dicendo Vers. *Requiem aternam, &c.* format signum crucis super tumulum, ipse à dextris eleuat fimbriam Pluuialis.

9. Dicto à Cantoribus *Requiescant in pace*, alijs ministris præcedentibus, à sinistris Celebrantis, ordine quo venerat, procedit ad Sacristiam.

TITVLVS XVI.

De officio Diaconi in Processionibus Sanctissimi Sacramenti.

1. DVm Diaconus interercrit Processioni in qua SS. Sacramentum deportatur indutus erit Amictu Alba Cingulo Stola & Dalmatica albi coloris sine Manipulo, atque assistet Celebranti primò dum illud ponit in Monstrantiam, aut si ante hac in Monstrantia præparatum fuerit, & in Tabernaculo asseruetur dum Sacerdos deportaturus SS. Sacramentum ad dictum locum vbi *SS.* Sacramentum asseruari solet peruenerit, præmissa genuflexione aperit dictum locum Sacerdote, interim genuflectente ante Tabernaculum.

2. His præmissis vel si Sanctissimum Sacramentum iam in Altari patenter expositum sit omissis; Diaconus stans à dextris Celebrantis in plano ante infimum gradum Altaris, sine osculis, neque Celebrantis benedictionem petens ministrat Celebranti cochlear cum nauicula thuris, at impositio tertiò à Celebrante thus in thuribulum, idem sine osculis Celebranti porrigit.

2. Dum verò SS. Sacramentum à Celebrante thurificatur à dextris Celebrantis genuflexus anteriorem fimbriam pluuialis vtraq; manu eleuat, *Carem. Epis. lib. 2. c 3 n. 1. Rit. Rom. tit.*

de Proceſſ. SS. Sacram. & ſe cum eo inclinat, ſtatimque thuribulum ab eodem ſine oſculis recipit.

4. Mox oblongum accipiens velum circumponit ſcapulis Sacerdotis quod etiam firmare poterit Spinulis ne per viam Proceſſionis decidat, vel ſi adſit Magiſter Cæremoniarum, idem præſtabit.

5. Poſt hæc Diaconus accedit ad Altare & cum debitis reuerentijs accipiet Tabernaculum cum SS. Sacramento de Altari, & illud in manibus Sacerdotis genuflexi collocabit, cuius nec manum oſculatur nec vllam tunc faciet reuerentiam, ſed ſtatim atque in eius manibus Sanctiſſimum Sacramentum reliquerit, genuflectet.

6. Deinde à dextris ipſius procedendo & anteriorem fimbriam pluuialis eleuat, vel extremitatem veli tenet, & ſi contingat aliquos gradus aſcendere aut deſcendere extremitates Albæ & veſtes interiores, ipſius Sacerdotis à parte anteriori eleuabit.

7. Dum per viam Proceſſionis Sacerdos aliquos Pſalmos aut Hymnos ſubmiſſa voce recitat ipſe cum Subdiacono reſpondet.

8. Si per viam Proceſſionis aliqua Altaria conſtructa reperiantur ſuper quæ Sanctiſſimum Sacramentum reponendum, ipſe à dextris Celebrantis quamprimùm auguſtiſſimum Sacramentum dicto Altari impoſitum fuerit, ipſi incenſum (vt ſuprà n. 2. & 3. præſcriptum) porrigit, atque ſi aliquid ibidem cantandum genuflexus cum Subdiacono librum tenebit, ex quo Sacerdos collectam cantet.

9. In fine Proceſſionis poſtquàm Sacerdos ad ſupremum Altaris gradum peruenerit, Diaconus à dextris cum debita reuerentia, & genuflexione ac ſine oſculo accipiet de manu ipſius Sacerdotis ſtantis Sanctiſſimum Sacramentum & illud ſuper Altare collocabit.

10. Præ-

10. Præmissa deinde genuflexione, Sacerdoti rursus nauiculam thuris porriget, atque omnia circa impositionem thuris, traditionem, & receptionem cochlearis, atque thuribuli, nec non sustentationem libri dum cantatur collecta de SS. Sacramento præstabit vt suprà n. 2. 3. & 8. præscriptum est.

11. Quando danda est benedictio, Celebrans solus accedit ad Altare, data autem benedictione Diaconus SS. Sacramentum intra tabernaculum ponit; vel in locum altiorem Altaris vt eo die colatur à populo, pro locorum consuetudine. *Gauantus part. 4. tit. 2. num. 8.*

TITVLVS XVII.

De officio Subdiaconi in Missa solenni Sacerdote Celebrante.

1. HOra competenti Subdiaconus veniens ad Sacristiam perquirit Epistolam in libro suo, eam perlegit, & signaculo suo notat. Tum lauat & tergit manus, Calicem aptat, purificatorium superexpandens, super quod ponit Patenam cum hostia integra, ac benè tersa, deinde pallam, posteà velum paruum, ac bursam desuper, eumque cum libro Epistolarum ad Credentiam curat referri. *Carem Epis. lib. 1. c. 10.*

2. Deinde postquam induerit Amictum, Albam, & Manipulum induit Tunicellam (quæ eiusdem formæ est cuius est Dalmatica qua vtitur Diaconus, nisi quod strictiores longioresque aliquantulùm manicas habeat) nisi vti debeat Planeta, vel & sine hac & sine illa ministrandum sit, prout dictum est supra *part. 1. Tit. 18 n. 6. & 7.*

3. Quibus paramentis secundum tempo rationem indutus, cùm accedendum est Altar factâ cum Diacono & Celebrante reuerent Cruci seu imagini qui in Sacristia est, cooper capite, ac iunctis manibus procedit ante eos in mediatè post Acolythos, cumque omnes peru nerint ante infimum gradum Altaris consistens sinistris Celebrantis detecto capite facit cum i lo debitam reuerentiam, tradens biretum suu Cæremoniario siue Acolytho.

4. Facta simul cum Celebrante & Diacon Altari reuerentia, stans erectus, iunctis manibu facit cum Celebrante Confessionem, & dum Ce lebrans se signat aut inclinat ipse pariter se signa aut inclinat, præterquàm quando Celebrans di cit *Confiteor, &c* & ipse *Misereatur, &c.* nam tunc Celebrante, Altari profundè se inclinante; ipse stat cum Diacono erectus (nisi quod erga illum capite inclinato profert verba *Misereatur tui, &* quando verò ipse incipit *Confiteor* Altari profun dè inclinat, donec dicto per Celebrantem *Miser reatur, &c.* responderit *Amen*, & cùm dicit *Ti pater & Te pater* aliquantulùm se conuertit ad Ce lebrantem; & cùm dicit *mea culpa* ter pectus dex tra manu percutit, sinistra infra pectus posita.

Gauantus in Rubr. Miss. part. 2. tit. 4. n. 4. litt. q. & seq.

5. Facta Confessione ascendit cum Celebrant à sinistris ipsius ad Altare, dextra Albam & ve stem anteriorem Celebrantis sinistra vero sim vestes paululùm eleuans, & dum Diaconus mi nistrat incensum, stat a sinistris Celebrantis Cùm verò per Celebrantem Altare incensatur assistit à sinistris ipsius eleuans eam posteriorem partem planetæ, quæ est circa brachium sini strum Celebrantis, sinistra infra pectus admot semper Cruci genuflectens cum Diacono dum comitatur Celebrantem, ac tandem facta incen satione altaris; accedit ad latus Epistolæ, ubi dum

Gauantus b. n. 7. litt. h.

dum Celebrans incensatur, stat à sinistris Diaconi manibus iunctis ter cum Diacono caput inclinans Celebranti. *Rubr. gener. Miss. Tit. 4. num. 7.*

5. Cùm Celebrans legit Introitum, stat à dextris Diaconi in cornu Epistolæ iunctis manibus, & ad *Kyrie eleyson* alternatim Celebranti respondet, deinde si Celebrans voluerit sedere donec idem per Chorum absoluatur, facta priùs genuflexione Altari, sequitur Celebrantem ad scamnum seu sedes positas à cornu Epistolæ iuxta Altare, vbi sedet cooperto capite à sinistris Celebrantis, si verò sedendum non sit manet stans apud Celebrantem vsque ad vltimum *Kyrie eleyson* quod in Choro cantatur, tunc enim accedit per planum vltimus omnium ad medium Altaris. *Gauantus part. 1. tit. 4. n. 7 litt. n.*

6. Dum Celebrans accedit ad medium, vt dicat *Gloria in excelsis Deo*, & ipse pariter accedens stat ibidem post Diaconum, ac præintonato hymno à Celebrante; statim facta priùs in loco suo genuflexione ascendit ad Altare, ibique à sinistris celebrantis submissa voce vna cum eo & Diacono, stans iunctis manibus recitat totum hymnum vsque ad finem, non præueniendo, sed potius subsequendo vocem Celebrantis, caput inclinans ad verba, *Adoramus te, Gratias agimus tibi, Iesu Christe, suscipe deprecationem nostram*, & in fine cùm dicit *cum Sancto Spiritu, &c.* manu dextra signat se à fronte ad pectus: & ab humero sinistro ad dextrum, sinistra infrà pectus posita, interim absoluens *In gloria Dei Patris, Amen.* *Rubr. gener. Miss. tit. 4. n. 7. Castald. praxi cer. tb. 1. sect. 7 c. 10. n. 7. & seq.*

7. Lecto *Hymno* manet stans à sinistris Celebrantis iunctis manibus donec dictus Hymnus cantatus fuerit à Choro, caputque inclinat quando in Choro cantantur verba ad quæ suprà inclinatum est. Si verò Celebrans voluerit sedere, sequens Diaconum ad scamnum seu sedes in *Rubr. gener. Miss. tit. 4. num. 7.*

Gavantus part. 2. tit. 4. n. 7. litt. n.

cornu Epistolæ sedet à sinistris Celebrantis coöperto capite, quod tamen denudat cum inclinatione ad verba supra notata *Hymni*, dum in Choro cantantur; in fine verò non se signat rursus signo Crucis.

8. Absoluto à Choro Hymno reuersurus ad Altare præcedit per planum Capellæ, & facta in medio reuerentia Altari, ascendit ad locum post Diaconum & dicto à Celebrante *Dominus vobiscum*, illoque procedente ad cornu Epistolæ, eundem ad idem cornu recta via subsequitur, ibique stat post Diaconum atque quando dicitur *Flectamus genua* cum alijs, statim genuflectens, & primus omnium surgens eadem voce, eodemque tono, subdit *leuate*. At si non sedet Celebrans, cùm dicitur in Choro *cum Sancto Spiritu* facta genuflexione à sinistris Celebrantis descendit in planum, ibique stat dum Celebrans dicit *Dominus vobiscum* & statim eum eò vadit ad cornu Epistolæ, vbi ad orationes stat post eum.

Rubr. gener. tit. 5. n. 5.

9. Circa finem vltimæ orationis, accipit librum Epistolarum de Credentia vel de gradu ali-

Carem. Epis. lib. 2. cap. 10.

cuius, sub cornu Epistolæ, si ibi sit, aut de manu Cæremoniarij seu Acolythi qui illum inde sumptum subministrat, deferens illum supra pectus ambabus manibus, factaque in gradu infimo in medio Altaris genuflexione Cæremoniario comitante ad eius sinistram, si adsit, vadit ad partem Epistolæ contra Altare, ibique prout consuetum est, libro super pulpitum posito, ac manibus hinc inde super illum seu pulpitum, ita vt palmæ librum tangant, vel potiùs ipsi sibi librum tenens alta & sonora voce cantat Epistolam, Cæremoniario sibi astante à sinistris, sub hoc tono.

Tonus Epistolæ.

Epistola dicitur in voce æquali, cum pausa

&

& respiratione, excepto puncto respirationis.



Lectio libri Sapientiæ



Dilectus Deo & hominibus



cuius memoriæ in benedictione est



& dedit illi coram præcepta



& legem vitæ & disciplinæ.

Si in Epistola, in loco puncti, occurrerit interrogatio seruatur tonus solitus interrogationis vt in sequentibus videre est.




cognosco erit nobis.

Tonus Prophetiæ.



Lectio libri Leuitici In diebus illis



Dixit Dominus ad Moyſen



loquere filijs Iſrael & dices ad eos



Ambulabo inter vos & ero veſter Deus



voſquè eritis populus meus



Dicit Dominus omnipotens.

Tonus cantandi Prophetias ſecundùm modum Colonienſem.



Lectio Iſaiæ Prophetæ Hæc dicit

Terminantur autem ſic:



Amodo & vſque in ſempiternum

Tonus

Tonus cantandi Epistolas secundum morem Colonienſem.



Lectio Epistolæ beati Pauli ‖



Apostoli ad Romanos.

voces Initiales Epistolarum hæ, *In diebus illis*, *fratres charissime* vel *charissimi*, non debent cum titulo coniungi, neque etiam terminari; sed cum sequentibus verbis Epistolæ sic.



Fratres scientes quia hora

Interrogationes, quæ in Epistolis occurrunt, sic cantantur.



Quomodo invocabunt in quem non



credi derunt.

Epistola & lectiones terminantur & concluduntur in fine sic.



sed induimini Dominum Iesum Christum.

10. Finita Epistola claudit librum, & eo modo quo suprà eum portans, redit ad medium altaris, vbi genuflectit; postea procedit ad cornu Epistolæ, ibique genuflexus in gradu infimo vel alio commodiori, quasi prope posteriorem angulum altaris, deflectens partem superiorem ipsius libri, & statim superpositam Celebrantis manum dextram in exteriori parte osculatur ab eo benedicitur, moxque surgens reponit librum Epistolarum. Si vtatur Planetâ ante pectus plicata accepturus librum Epistolarum illam deponit, & cantata Epistola, osculataque manu Celebrantis, eam reassumit.

Rubr. gener. Miss. tit. 19. num 6.

Carem. Epis. lib. 2. cap. 13.

11. Posteà idem Subdiaconus, nisi Celebrans habeat Capellanum assistentem, capit *Missale* Celebrantis & illud per planum defert clausum ante pectus, ad cornu Euangelij genuflectens in medio, & sic locat vt posterior pars libri respiciat ipsum cornu Altaris, ibique ministrat Celebranti ad Euangelium; respondens ad singula, & folia, si opus est, vertens; Euangelio peracto, ac responso *Laus tibi Christe*, Librum cum puluinari circiter medium altaris defert. Tum facta genuflexione ibidem, ad planum Altaris descendit vbi stat retrò post Celebrantem, donec Diaconus à Celebrante petat benedictionem.

Rubr. gener. Miss. Tit. 6. num 1.

12. Postquàm Diaconus à Celebrante accepit benedictionem, facta reuerentia genuflexionis Altari præcedentibus Acolythis, iunctis manibus, à sinistris Diaconi procedit ad locum vbi cantari solet Euangelium.

Carem. Epis. lib 1. c 10. & lib. 2. cap. 8.

13. Cùm peruenerint ad locum, vbi Euangelium cantari solet, Subdiaconus medius inter Ceroferarios tenet librum Euangeliorum apertum ante pectus vertens renes non quidem Altari; sed versus ipsam partem dextram, quæ pro

Aquilone

Aquilone figuratur, vel si Evangelium cantetur in legili, seu pulpito; stat post pulpitum amplectens ipsum, ita vt manibus hinc inde librum tangat; & tunc cùm Diaconus se signat, aut caput inclinat, aut genuflectit, ipse nullatenus mouetur, cum repræsentet pulpitum immobile. Quod si autem Euangelium cantabitur in ambone lapideo, ad quod per gradus ascenditur, tunc Subdiaconus assistet, & ministrabit Diacono opportunè stans à latere eius dextro, videlicet porrigendo thuribulum, & vertendo folia libri Euangeliorum, cùm opus erit.

14. Finito Euangelio, Subdiaconus sine vlla reuerentia tam Altari in quo est SS. Sacramentum expositum, quàm Sacerdoti, ob reuerentiam Sacri Euangelij portat librum apertum, vbi est principium Euangelij cantati, & illum offert Celebranti osculandum; quo osculato & clauso, versus Celebrantem profundè inclinat, tum sine mora descendit in planum, & ibi genuflectit super infimum gradum Altaris, atque reddit librum Acolytho aut Cæremoniario, vbi ipsemet reponit, deinde stat erectus post Diaconum donec à Celebrante intonatum fuerit *Credo*.

Carem. Epis. lib. 2. cap 38. Gauantus 2. tit. 6. num. 5. litt. p.

15. Intonato à Celebrante *Credo*, si dicendum sit, præmissa genuflexione ascendit ad Altare, à sinistris Celebrantis, cum illo prosequitur *Symbolum* vsque ad finem, ad verba *Iesum Christum & simul adoratur* caput inclinans, ad illa autem *& incarnatus est*, vsque ad, *& homo factus est* inclusiuè genuflectens. & in fine ad illa *& vitam venturi seculi, Amen*. Signans se à fronte ad pectus.

16. Dicto Symbolo, vel remanet stans ad Altare à sinistris Celebrantis, vel sedet, vt ad hymnum Angelicum. At si stat genuflectit in secundo gradu cum Celebrante & Diacono cùm in Choro cantatur *Et incarnatus est, &c.* inclinans

caput etiam ad verba, *Et homo factus est, &c.* Si verò Celebrans voluerit sedere vna cum Diacono recedens ad sedes, sedet à sinistris Celebrantis, & cum in Choro cantatur *& incarnatus est, &c.* detecto capite profundè inclinat: In die vero Natiuitatis Domini, & Annuntiationis B. Mariæ Virginis cum alijs ad similia verba genuflectit.

Rubr. gener. Miss. tit. 7. num 3. Carem Epis. lib 2. cap. 8.

17. Finito per Chorum *Symbolo*, vel si nondicatur *Symbolum*, post Euangelium dum celebrans cantat *Dominus vobiscum & Oremus* stat à tergo Diaconi & illis dictis præuia in loco suo genuflexione, ascendit cum eo ad Altare in cornu Epistolæ, si calix collocatus sit in Altari: alioquin si sit in Credentia, accedit ad illam, & extenso sibi adiuuantibus Acolythis circa humeros velo sericeo coloris conuenientis, ita vt à latere dextro longiùs pendeat, accipit manu sinistra nuda Calicem cum patena & hostia palla tectis, & si non sit dictum *Symbolum*, bursa corporalis desuper posita, omnia illa, longiori parte veli cooperit, & dextra super ea apposita ne aliquid decidat, accedit per breuiorem viam ad Altare in cornu Epistolæ associatus ab Acolytho ampullas vini & aquæ portante, vbi ea omnia tradit Diacono: mox porrigit eidem Diacono ampullam vini ab Acolytho acceptam, tum ostendit celebranti ampullam aquæ, parumper versus eum eleuans ac dicens: *Benedicite Pater Reuerende* & facto per Celebrantem signo crucis super ampullam aquæ, infundit paucas guttas aquæ in Calicem: & postea ampullam ipsam reddit Acolytho, sicut etiam aliam ampullam vini, quam à Diacono recepit.

Rubr. gener. Miss. tit. 7. num 9. Gauantus part. 2. tit. 7. n. 9 litt g. i. & l.

Compen Car. cap. 18. n. 5.

Carem. Epis. lib. 1. cap. 10.

18. Post oblationem calicis, Subdiaconus adhuc stans in cornu Epistolæ, velo ab humeris pendente, dextra recipit à Diacono patenam, qua extremitate veli prædicti cooperta, vadit ad

Rubr. gener. tit. 7. n. 9.

locum

locum suum post Celebrantem vbi facta Altari genuflexione stat post Celebrantem ante mediũ Altaris, ipsam eleuatam sustinens ad finem Orationis Dominicæ, & cùm Celebrans dicit *Orate fratres, &c.* respondet, *Suscipiat Dominus, &c.* & cùm à Diacono incensatur, conuersus ad illum, caput antè & pòst inclinat. *Gauantus part. 2. tit. 7. n. 10. litt. c.*

16. Sub Præfationis finem paulò antequàm dicatur *Sanctus*, facta in loco suo post Celebrantem genuflexione cum Diacono ad Altare ascendit, vbi à sinistris Celebrantis cum eo inclinatus dicit *Sanctus, &c.* cum dicit *Benedictus qui venit, &c.* se erigit quo absoluto, facta Altari genuflexione redit ad locum suum post celebrantẽ; cùm eleuatur sanctissimum Sacramentum genuflectit supra infimum Altaris gradum in medio post Celebrantem, donec Calix fuerit eleuatus, repositus, & adoratus: tunc enim surgit, & redit ad locum suum post Celebrantem. *Rubr. gener. Tit. 7. n. 11. Compend. Carem. cap. 8. num. 5. Gauantus part. 2. tit. 8. n. 8. litt. 8.*

20. *Si* contingat quòd Subdiaconus in Missa solẽni non teneat patenam tunc Subdiaconus circa eleuationem genuflexus in cornu Epistolæ hostiam & Calicem dum eleuantur ter incensat nimirum cùm Celebrans Corpus & sanguinem Domini nostri Iesu Christi adorat, eleuat & deponit.

21. Cùm in oratione Dominica Celebrans dicit *Et dimitte nobis debita nostra, &c.* facta in loco suo genuflexione, accedit cum patena cooperta ad Altare in cornu Epistolæ, vbi illam offert Diacono, & deposito velo, quod ab humeris suis pendebat ad manus Cæremoniarij, vel alicuius Acolythi, genuflectit, & redit ad locum suum post Celebrantem. *Rubr. gener. Tit. 10. n. 8. Carem. Epis. lib. 1. cap. 10.*

22. Dicto à Celebrante, *Pax Domini sit semper &c.* præmissa genuflexione accedit ad sinistram eiusdem, vbi capite inclinato versus Sacramentũ *Rubr. gener. tit. 10. n. 8.*

cum

Gauantus part. 2. tit. 10. n. 8. lit. g

cum alijs ter submissa voce dicit *Agnus Dei, &c.* dextra pectus percutiens, sinistra posita non super Altare sed infra pectus eidem pectori admota. Deinde facta ibidem Sacramento genuflexione redit post Celebrantem ; vbi à Diacono dicente, *Pax tecum*, complexus accipit pacem, sinistris genis sibi inuicem appropinquantibus, respondens ei, *Et cum spiritu tuo.*

Rub general. tit. 10 n. 10. Carem. Epis. lib. 1. cap. 24.

23. Accepta à Diacono pace & facta ibidem Sacramento genuflexione comitante Cæremoniario vel Acolytho vadit ad Chorum, & dat pacem primo cuiusque ordinis, incipiendo à dignioribus, & nulli facit reuerentiam antequàm pacem det, sed postquam dederit: posteà reuersus ad Altare, facta ei genuflexione, dat pacem Cæremoniario seu Acolytho, qui ipsum comitatus fuit.

Rubr. gener. tit. 10. n. 8.

24. Dum Celebrans se communicat, stat profundè inclinatus versus Altare, etsi Diaconus seruiat ad Librum (alioqui enim ille ista facit) accedens ad dextram Celebrantis, dicente eo post sumptionem hostiæ *Quid retribuam Domino, &c.* discooperit Calicem, cum eo genuflectens, ac surgens: deinde accepta ab Acolytho ampullâ vini, infundit vinum in Calicem à Celebrante porrectum: mox accepta alia ampulla aquæ, infundit vinum & aquam super pollices & indices.

Carem. Epis. lib. 1. cap. 10.

Gauantus part. tit. 10. n. 9. lit. c.

25. Si facienda sit communio, quæ diebus Dominicis & festis fieri decet, genuflectit in medio, atque à sinistris Diaconi communionem sumit, & purificatione accepta, assistit à sinistris Celebrantis, donec communio perficiatur.

Rubr. gener. tit. 11. n. 3. Gauantus ibidem lit. q.

26. Post ablutionem digitorum Celebrantis vadit ad Cornu Euangelij, vbi extergit Calicem purificatorio, extendit illud super Calicem & desuper ponit patenam, ac super patena pallam, atque plicato corporali, quod reponit in Bursam, cooperit

cooperit Calicem velo, & bursam desuper ponit, illumque collocat in medio Altaris, vel si à principio fuerat super Credentia, refert ad illam per gradus anteriores altaris, facta ei ante infimum gradum genuflexione.

27. Quibus peractis redit ad locum suum retrò post Diaconum, stans post eum vsque ad finem Missæ, & si aliquod peculiare Euangelium sit legendum, dicto *Ite Missa est*, vel *Benedicamus Domino* ipse librum transfert, faeitque genuflexionem in medio Altaris post Diaconum dum transit Altare. *Rubr. gener. tit. 12. n. 7. Castaldus Praxi Cer. lib. 1. sect. 6. cap. 3.*

28. Ad benedictionem Celebrantis genuflectit supra secundum Altaris gradum à sinistris Diaconi æqualiter ab ea distans. *Gauantus part. 2. tit. 12. n. 7.*

29. Dum Celebrans legit Euangelium vltimum assistit ei vt ad primum Euangelium se signans, inclinans, aut genuflectens cum eo, nisi teneat librum, quia tunc à genuflexione & signo Crucis abstinet, & respondet ei, cùm opus est, dicens in fine *Deo gratias*.

30. Finito Euangelio factâ cum Celebrante & alijs, vbi ante infimum gradum descenderit, Altari genuflexione, cooperto capite & iunctis manibus redit ad Sacristiam, incedens immediatè ante Diaconum, ibique facta reuerentia imagini & Celebranti exuit se paramentis & recedit in pace. *Gauantus ibid. litt. m.*

ANNOTATIONES.

§. 1. Præter illa, quæ in annotationibus super officium Diaconi, atque simul Subdiaconum concernentia dicta sunt, sequentes annotationes à Subdiacono, speciatim obseruandæ erunt.

§. 2. Subdiaconus solemniter inseruiturus Missæ sacrificio, insignitus erit coronâ paulò maiori paruulâ hostiâ quæ laicis communicantibus exhiberi solet, & iuxta Cæremonialis Episcoporum & Missalis præscriptum *Gauantus part 2. tit. 2. n. 2. litt. y.*

scriptum collaria vestium, Amictu teget, Chyrotecas manicas & similia è manibus toto sacrificij tempore reponet.

Epitome Thesauri sacrarum Rituum tit. 4. num. 6.

§. 3. Signa crucis Subdiaconus sibi adhibet vna cum Celebrante in tota Missa, excepto eo tempore quo patenam tenet.

Gauantus part 2. tit. 4. n. 4. litt. I. & n. 7.

§. 4. Quando Subdiaconus sub Sacrificio Missæ stabit post Diaconum, semper stabit in plano Capellæ formans cum Celebrante & Diacono lineam rectam.

§. 5. Quando ascendit ad Altare; facit priùs genuflexionem in medio vnde discedit, sed non debet aliam iterum facere ad Altare; & vice versa quando discedit ab Altari, genuflectit, non tamen manibus illud tangens, & nullam aliam facit genuflexionem rursus ad locum suum, neq; Celebranti in accedendo aut recedendo ab Altari vllam facit reuerentiam.

Rubr. gener. tit. 19. n 6. Carem. Epis. lib. 2. c. 13.

§. 6. Quando vtendum Planetâ ante pectus plicatâ; cantaturus Epistolam, illam deponit; & Epistolam in Alba cantat, quâ finitâ osculataque manu Celebrantis, planetam, vt priùs, resumit.

Rubr. gener. tit. 6. n. 5. Gauantus part. 2 tit. 6. n. 4 Litt. X.

§. 7. In quatuor temporibus & aliàs Diacono cantante *flectamus genua* Subdiaconus genuflectit & primùm surgens cantat *Leuate*.

§. 8. Cantare debet Epistolam, iuxta cornu Altaris, vbi Celebrans legit Epistolam in plano Presbyterij, id est in dextra parte Ecclesiæ pro intrantibus in eam.

Gauantus ibid. Litt. y.

§. 9. Cantare Epistolam adeo nunc soli conuenit Subdiacono, vt potius Sacerdos ipse Epistolam cantare debeat quam pati vt inferior Subdiacono id exequatur. Quod si vero inferior Subdiacono cantare velit Epistolam, non sacras induat vestes, sed iuxta Rubricas superpelliceum tantùm.

Castaldus praxi Car. lib 1. sect. 7. cap. 10.

§. 10. Quando Celebrans habet Presbyterum assistentem, qui Celebranti quidem dum Euangelium legit assistit, nihilominùs Subdiaconus sub lectione Euangelij apud Celebrantem post Presbyterum assistentem stabit.

Gauantus p. 2. Tit. 7. n 9. litt. h. & i. Gauantus p. 2. tit. 7 n. 9. litt. & f.

§. 11. Dum Subdiaconus portabit Calicem ex Credentia, illum manu nuda tenebit, non autem cum velo pendente ab humeris, & per breuiorem viam eundem ad Altare deferet.

§ 12. Subdiacono tantùm datur patena tenenda, non verò alijs inferioris ordinis ministris quamuis cantent Epistolam; atque obseruandum à Subdiacono,

cono, vt respiciat pars interior patenæ Subdiaconum.

§. 13. Dum Celebrans thurificat oblata & Altare, Subdiaconus in tota illa incensatione non se mouet. *Gauantus part. 1. tit. 7. n. 10 litt. b. Carem. Epis. lib. 1. c. 24.*

§. 14. Subdiaconus dans pacem obseruabit, vt nulli quantumuis supremo Principi, etiamsi esset imperator, vel Rex, vllam reuerentiam faciat, antequam ei pacem det, sed postquàm dederit, qui accipit inclinat caput danti ante & postquàm acceperit. Item Subdiaconus dans pacem, dicit, *Pax tecum*, qui recipit respondet, *Et cum Spiritu tuo*, amplectunturque se inuicem, & appropinquant genas sinistras. In vnoquoque deinde ordine primus dat pacem alteri subsequenti, & illi alteri, & sic deinceps vsque ad vltimum eiusdem ordinis, non præmissis inuitationibus, quæ in incensatione tantùm fiunt. Clericis non nisi stantibus pax datur: Laicis verò datur per instrumentum osculatum ab eo qui pacem à Celebrante immediatè accepit, nunquam tamen datur cum patena vice tabellæ seu instrumenti quod prohibuit Pius quintus, in Epistola ad Archiepiscopum Tarraconensem. *Gauantus part. 2. f. 19. n. 8. litt. y. Gauantus ibidem.*

§. 15. Ordo verò dandi pacem est idem, qui in incensatione obseruatur: Sed per instrumentum datur Laicis quos Diaconus incensauit, ab Acolytho Laicis alijs, numquam verò à Diacono alicui datur, neque Domino loci, ex Decreto Sacræ Rituum Congregationis, 5. *Iulij* 1614.

§. 16. Subdiaconus non omittit oscula, & reuerentias debitas, in ministrandis ampullis Celebranti. *Gauantus p. 2. tit. 10. n. 8. litt. y.*

§. 17. Aduertat Subdiaconus vt cedat Diacono transeunti superiorem gradum Altaris cum libro Missalis, nec ipse hunc transferat; quia huius cura magis spectat ad Diaconum, quàm Subdiaconum qui eiusdem tantùm curam habet in ordine ad Euangelium, initio, seu in fine Missæ legendum, siue à Celebrante siue à Diacono, subminister enim est Euangelij ad sustinendum librum. *Gauantus part. 2 tit. 11. n. 3. n. 7. li. 9.*

§. 18. Ad Benedictionem Celebrantis, Subdiaconus manu sibi pingit Crucem à fronte ad pectus, vt solent Laici nam quamuis post Epistolam, ad Sacerdotis benedictionem id non faciat, impeditus à libro, quem tunc manibus tenet, hoc tamen loco signare se debet. *Gauantus p. 2. tit. 12. n. 7.*

§. 19. Si

Gauantus part. tit. 6. n. 2. litt I.

§. 19 Si Missa Celebretur coram summo Pontifice Cardinali, & legato sedis Apostolicæ, vel Patriarcha Archiepiscopo, & Episcopo in eorum residentijs Subdiaconus librum Euangeliorum non defert osculandum, Celebranti, sed dictis Prælatis præsentibus, & aduertet ne librum Euangeliorum deferat alijs, quàm in hac Rubrica nominatis sine facultate sedis Apostolicæ; Principibus autem magnis ex tolerantia, non autem inferioribus Laicis: & illis alius liber deferendus est, non idem ipse Celebrantis, qui proprium eo casu semper osculari debet librum.

Carem. Epis. lib. I. c. 29.

Carem. Epis. lib. I. 30.

Gauantus par 2 tit. 6. n. 2. litt. I.

§. 20. Si plures Prælati æquales interessent Missa nulli dabitur osculandus, nec etiam Celebranti si plures inæquales, tunc digniori tantùm semper tamen Subdiaconus siue Euangelium siue pacem deferens obseruet, ne vllam priùs reuerentiam faciat, versus Episcopum aut alios quoscumque quàm librum, aut instrumentum pacis osculandum præbuerit.

TITVLVS XVIII.

De officio Subdiaconi in Missa solemni pro Defunctis.

SVbdiaconus in Missa solemni pro Defunctis omnia accuratissimè obseruabit, quæ capite præcedente dicta sunt mutatis & omissis ijs quæ sequuntur.

Rubr gener. Miss tit. 12. num. 2. Ganantus p. 2. tit. 12 n. 2.

1. Cantata Epistola Celebrantis manum non osculatur sed statim facta genuflexione in medio Altaris reponit librum, & librum transfert Celebrantis ad cornu Euangelij, vt aliàs.

Carem. Epis. lib. 2. cap. 11. Castaldus praxi carem. lib. 1. sect. 7. cap. 2.

2. Post decantatum Euangelium à Diacono, librum Celebranti osculandum non præbet, sed statim clausum Acolytho tradit.

Rubr. gener. Miss tit. 13. num. 2.

3. Ad offertorium Calicem cum Bursa, Corporali, & alijs eius ornamentis ex Credentia accipit & ad Altare defert, non tamen eius humeris velum imponitur, nec benedictionem aquæ in calicem fundendæ petit, sed absque benedictione

ctione infundit; nec etiam patenam post Celebrantem tenet, & dum Celebrans thurificat oblata à sinistris ipsius ministrat eleuando Planetæ eam partem, quæ est circa brachia Celebrantis, & in ablutione manuum, cum Diacono ministrat mappam, ad tergendas Celebrantis manus. *Gauantus p. 2. tit. 13. n. 8.*

4. Post thurificationem oblatorum & Altaris stabit post Celebrantem iunctis manibus sine velo, & sine patena, nec, Celebrante dicente *Orate fratres*, ipse, sed Diaconus respondebit. *Suscipiat Dominus, &c.* *Castaldus Praxi Cer. lib. 1. sect. 7. cap. 2. Carem. Epis. lib. 12. c. 11.*

5. Circa eleuationem genuflexus in cornu Epistolæ à Thuriferario accipit Thuribulum; hostiam & Calicem dum eleuantur ter incensat nimirum cùm Celebrans adorat, eleuat, & deponit, & reddito thuribulo Thuriferario surgens stat iterum in loco suo post Diaconum. *Gauantus p. 2. T 8. n. 8. litt. f. & Tit. 12. num. 2. Litt. a.*

6. Quando cum Celebrante dicit *Agnus Dei, &c.* non percutit pectus, nec à Diacono accipit pacem, sed dum Celebrans dicit, *Domine non sum dignus* profundè inclinatus pectus sibi percutit, cæteraque vt in alijs Missis facit. *Castaldus loco citato.*

7. Si facienda sit absolutio in fine Missæ, adiuuat Celebrantem stantem in cornu Epistolæ dum exuit Casulam, quam reponit cum manipulo supra Altare à latere Euangelij, vel tradit Acolytho, & Celebrantem pluuiale induente cum Diacono iuuat atque Manipulum suum deponit. *Castaldus ibidem.*

8. Deinde capit Crucem prope Altare, si fieri potest, ad cornu Epistolæ præparatam, quæ posita est ibi antè initium Missæ, & cum Cerorarijs accedit ad medium altaris sine vlla reuerentia, ibique expectat Celebrantem. Mox sine vlla reuerentia ad Lecticam procedit post Thurifarium cum Cruce cuius imago ipsum Thuriferarium respiciat, cùm ad caput Lecticæ peruenerit, per latus Euangelij progreditur ad pedes *Gauantus part. 2. tit. 8. n. 4. litt. i.*

eius,

eius, & medius inter duos Ceroferarios, sistitse ad pedes lecticæ contra altare, id est, vertens faciem ad Altare & ad Celebrantem, ita vt tumulus sit semper inter altare, & seipsum & ibi stat immobilis, distans tamen ab ipsa lectica tribus aut quatuor passibus vt Celebrans, & Diaconus postea facilem inter Crucem & Lecticam habeant transitum nec vllam Diacono, sed neque Sacerdoti facit reuerentiam transeunt ante se. Dicto à Cantoribus in fine Vers. *Requiescant in pace* reuertitur ordine quo venerat; transiens autem ante Altare non cum alijs eidem reuerentiam facit, ingressus verò Sacristiam Crucem reponit, atque se Sacris vestibus exuens recedit in pace.

TITVLVS XIX.

De officio Subdiaconi in Processionibus.

Gauantus part. 1. tit. 19. litt. c.

1. IN Processionibus ordinarijs procedit cum Cruce (seu per imagine Crucifixi versâ ad Thuriferarium, si adsit, præcedentem Subdiaconum, ita vt imago Crucifixi terga vertat Clero sequenti) medius inter duos Ceroferarios, inductus paramentis coloris eiusdem cum Celebrante, sine manipulo, & vbi loci angustia simul cum Ceroferarijs incedere non permittit, præcedunt Ceroferarij.

2. In Processionibus *SS.* Sacramenti, aut quando defertur aliqua reliquia insignis, aut quando fiunt solemniter, alius debet esse Subdiaconus paratus Tunicella tantùm cum superpelliceo aut Alba qui Crucem deferat. Subdiaconus verò Missæ procedere debet à sinistris Celebrantis eleuans fimbriam Pluuialis eius à parte sua.

In

In alijs verò ordinarijs, nunquam est alius Subdiaconus ab eo qui ministrat ad Missam, sed ipse tantùm Crucem paratus defert sine manipulo.

3. In Processione SS. Sacramenti dùm Celebrans immittit thus in thuribulum semper eleuare debet anteriorem partem Pluuialis Celebrantis, cùm verò thurificat à sinistris eiusdem fimbriam pluuialis eleuat & cum eo inclinat.

4. Deinde adiuuat Cæremoniarium dum imponit velum oblongum humeris Celebrantis, vel ipsemet imponit, adiuuante Cæremoniario, illudque articulis, aut spinulis firmat.

5. In ipsa Processione à sinistris Celebrantis incedens eleuat vtraque manu anteriorem partem pluuialis, vel altera manu anteriorem partem pluuialis, alterâ verò extremitatem veli, vel brachium Celebrantis sustinet.

6. Dum per viam Processionis Celebrans aliquos Psalmos aut Hymnos submissa recitat, voce, ipse cum Diacono submissè respondet.

7. Quod si per viam Processionis SS. Sacramentum aliquibus Altaribus imponi contingat in thurificatione vt suprà n. 3. præscriptum Celebranti assistit, atque cum Diacono librum ex quo Celebrans Collectam cantabit genuflexus tenebit, quod etiam præstabit in fine Processionis in Ecclesia genuflectens in supremo Altaris gradu.

8. Dum à Celebrante datur benedictio cum Monstrantia sacratissimi Corporis Christi in supremo Altaris gradu genuflexus anteriorem Pluuialis partem eleuat, vertens faciem ad Augustissimum Sacramentum.

9. Datâ benedictione à Celebrante, velum oblongum illius amouet, & dat Cæremoniario deferendum super Credentiam.

10. Denique omnibus completis recedit nudo

nudo vel tecto capite, respectiuè cùm Celebrante & alijs in Sacristiam.

TITVLVS XX.

De officio Presbyteri seu Capellani assistentis Sacerdoti Celebranti Missam solemnem.

Carem. Epis. lib. 1. cap. 7. & lib. 2. c. 8.

1. SI Celebrans in Missa solemni vtitur Capellano assistente, is erit Sacerdos superpelliceo indutus, cum stola à Collo pendente, officium eius erit totam Missam præuidisse, & signacula in libro Missali congruis locis disposuisse, omnesque Cæremonias & actus quos Celebrans facturus est obseruasse, vt præsto illi esse possit, suggerendo submissa voce, vel modestè, nutu indicando si fortè in aliquo deficeret aut titubaret.

2. Dum Celebrans ex Sacristiâ procedit ad Altare sequitur eundem, & cum ipso Altari debitam facit reuerentiam, mox Celebrante faciente confessionem retro eum genuflectit.

Carem. Epis. lib. 1. cap. 7. Gauantus Comment. in Rubr. Miss. part. 2. ti. 4. n. 7. litt. h.

3. Peracta confessione, & Celebrante ascendente ad Altare ipse se retrahit ad cornu Epistolæ, ibique ad incensationem Altaris sumpto libro cum puluino retrahit se extra cornu Epistolæ, ne thurificationem impediat; & post incensationem librum cum puluinari in suum locum reponit; stansque post Celebrantem à sinistris Diaconi, præostendit Celebranti principium Missæ signans se, aut inclinans eo modo quo Celebrans, nec inde recedit.

4. Dum Celebrans cum Ministris accedit ad medium Altaris ad dicendum *Gloria in excelsis*, ipse cum non comitatur, sed manet stans in cornu E.

nu Epistolæ ad librum. Cùm verò Celebrans ad sedendum accedit, sedebit & ipse supra Scabellum nudum, capite cooperto, facieque ad Altare conuersâ.

5. Cùm Celebrans redit ad Altare ipse quoque post eum cum debitis reuerentijs per breuiorem viam ad cornu Epistolæ redit, ibique Celebranti Orationem, vel orationes dicendas nec non Epistolam cum Graduali, Tractu, vel Sequentia ostendet.

6. Cantatâ per Subdiaconum Epistola transfert Missale cum cussino ad alteram partem altaris in cornu Euangelij, cum debita reuerentia ante medium Altaris, & sic locat vt posterior pars libri respiciat ipsum cornu Altaris, ibique Celebranti assistit, textum Euangelij demonstrans, & folia, cùm opus fuerit, vertit.

7. Lecto Euangelio positoque priùs libro Missalis prope corporale descendit ad posteriorem partem eiusdem lateris Euangelij, ibique stat iunctis manibus, & dum Diaconus cantat Euangelium facie conuertit se ad eum.

8. Post decantatum à Diacono Euangelium cum debitis reuerentijs accedit ad Altare, ibique à sinistris Celebrantis præmonet, si dicendum sit, *Credo* vel *Dominus vobiscum*, & ministris accedentibus vt dicant submissa voce symbolum, ipse retrahit se ad cornu Euangelij, ibi stans cùm opus est, se inclinat, & genuflectit vnà cùm Celebrante, &, si sit sedendum sedet ad scabellum suum, vt suprà Symbolo completo redit ad Altare Celebrantem sequens per viam longiorem, & facta debita reuerentia in medio, accedit ad latus Euangelij vbi stat, ostenditque Celebranti Offertorium, neque amplius recedit à libro vsque ad Communionem.

9. Cùm thurificabitur Altare, ex ea parte vbi

liber est, amouebit illum cum puluinari ex Altar
seque cum illis, retrahet extra cornu Euange
ne thurificationem impediat, & eâ parte Altar
thurificatâ reponet librum cum puluinari in lo
cum suum.

Rubr. gener. Miss. part. 2. tit. 7. n. 11.

10. Peractâ thurificatione libro assistit vsqu
ad Communionem, & vnà cum Celebrante ca
put inclinat ac genuflectit, & cùm opus est, foli
vertit, neque genuflexus manebit nisi ad eleua
tionem tantùm, nimirum cùm proferuntur verb
consecrationis, & cùm eleuatur Sanctissimu
Sacramentum, statim verò post eleuationem
surgit.

Gauantus part. 2. tit. 10 n. 9.

11. Dum Celebrans dicit primam oration
ante Communionem genuflectit, deinde acco
dit ad dexteram Celebrantis ibique genuflect
donec Celebrans primam Orationem ante Com
munionem absoluerit, qua dicta eo tempore qu
Celebrans osculatur Altare, illud etiam oscula
tur, extra Corporale manibus iunctis, & statim
Celebrans sinistram genam cum sinistra ipsius
Assistentis iungens dat ei pacem dicens *Pax v*
cum, cui ipse respondet *Et cum Spiritu tuo*, &
rum genuflectens & statim surgens recedit,
statim pacem dabit Diacono, qui eam dabit Sub
diacono: deinde vadit cum Cæremoniario a
pacem dandam in Choro. Et si facienda sit com
munio genuflectit à latere Euangelij.

12. Sump a purificatione à Celebrante tran
fert librum cum debita reuerentia ante mediu
Altaris, ad cornu Epistolæ ibique assistit libr
præmonstrans Celebranti quæ dicenda sunt,
dicto *Ite missa est*, accedit ad cornu Euange
ibique genuflectit ad benedictionem, deind
assistit, donec Celebrans ex libro legat Euan
gelium, cùm opus est folia vertens, ac tandem
claus

clauso libro & præuia Altari debita reuerentia, post Celebrantem ad Sacristiam recedit, ibique depositis paramentis vadit in pace.

ANNOTATIONES.

In Officium Presbyteri seu Capellani assistentis.

§. 1. Ex Decreto S. Congregationis Rituum in Mantuana 19. Iulij 1604. non tantum Episcopis, & alijs Prælatis, sed etiam alijs non prælatis vt Canonicis, vbi talis est consuetudo potest dari aliquis Presbyter assistens, qui ministret in Missa solemni præter Diaconum & Subdiaconum. Sed cum hac distinctione vt Presbyter assistens pluuiali indutus inseruiat tantùm Episcopis & alijs Episcopalibus insignibus vtentibus, alij præterea nemini, sed quando assistit alijs Sacerdotibus, indutus tantum erit superpelliceo & Stola coloris officio Missæ conuenientis. *Carem. Epis. lib 1. cap. 7. Compen. Cær. cap. 19. n. 1.*

§. 2. Presbyter assistens non accedit ad absolutionem post Missam pro defunctis, sed finitâ Missâ recedit in Sacristiam: Item nec ad Processiones etiam SS. Sacramenti.

§. 3. Semper assistere debet ad librum præmonstrans Celebranti legenda, aut agenda: Quando accedunt Diaconus & Subdiaconus dicturi *Gloria in excelsis, Credo, Sanctus*, & *Agnus Dei* recedit paululùm vt eis præbeat locum.

§. 4. Dum assistit libro non tenet manus iunctas, sed folia Missalis vertit & indicat quæ sunt dicendâ à Celebrante. *Gauantus part. 3. tit. 7. n. 11. lit. h.*

TITVLVS XXI.

De officio Acolythorum in Missa solemni.

1. PAulò ante Missam solemnem duo Acolythi siue Ceroferarij accedunt in Ecclesiam, vbi breuiter orant, lauant manus, induunt superpellicea sua, adiuuant ministros Sacros dum capiunt paramenta sua. Tum accendunt cereos altaris suo tempore, & eos etiam qui sunt in Candelabris quæ deportaturi sunt, deinde omnibus paratis, & posito incenso in thuribulo à Celebrante, nudo capite cum candelabris suis accensis procedunt è Sacristia ad Altare, facta priùs cruci, & Celebranti debita reuerentia, sequentes thuriferarium.

2. Cùm peruenerint ante infimum gradum altaris, meminerint sufficientem Celebranti cum suis locum dare, ipsique aduenienti reuerentiam facere, atque statim cum alijs genuflectunt super infimum gradum, mox cùm ijs surgunt, & candelabra cum cereis accensis deferunt ad credentiam, & in eiusdem anterioribus cornibus reponunt.

Gauantus part. 2. tit. 2. num 3. lit. b. & seq.

3. Depositis candelabris manent genuflexi hinc inde à lateribus Credentiæ, collaterales candelabris suis, non verò ante ipsam credentiam, & manibus iunctis quasi conuersi ad Altare.

4. Cùm Celebrans facta confessione ascendit ad Altare, surgunt & stant prout erant genuflexi, & tum Celebrans thurificando altare inclinat, aut genuflectit, Acolythi & circumstantes simul etiam genuflectunt, atque si non adsit Capellanus assistens, librum ac puluinaria hinc inde suo ordine submouent, & extra altare tenent donec Celebrans planitiem altaris incensarit.

5. Quando

5. Quando Celebrans in cornu Epistolæ cum Diacono & Subdiacono sedet, Acolythi regulariter stant apud Credentiam.

6. Deficiente Cæremoniario vnus Acolythorum, comitabitur Subdiaconum à sinistris, tum pergit ad cantandam Epistolam, qua absoluta, præuia ante medium altaris cum Subdiacono genuflexione, comitabitur ipsum ad Celebrantem ibique recipit librum Epistolarum à Subdiacono, quem Credentiæ imponit.

7. Circa finem vltimi versus *Gradualis*, *Alleluia*, *Tractus*, aut *Sequentiæ* resumunt candelabra de credentia, & cum debitis reuerentijs in medium accedentes æqualiter ibidem inter se distantes, expectant donec tempus sit cantandi Euangelium.

8. Cùm Diaconus genuflectit petiturus benedictionem à Celebrante Acolythi alijque omnes simul genuflectunt, mox surgentes, præcedente Thuriferario accedent ad locum Euangelij: vbi collocant se hinc inde à lateribus Subdiaconi tenentis librum Euangeliorum, seu pulpiti in quo liber ponitur, vertentes cum illo renes versus partem dextram quæ pro aquilone figuratur, facies verò versus Diaconum; & cùm alij sub Euangelio se signant, inclinant, aut genuflectunt, ipsi cum Subdiacono perstant velut immobiles. *Carem. Epis. l. 1. cap 11. & l. 2. c 8.*

9. Finito Euangelio, statim eodem ordine vt antè redeunt ad Credentiam, genuflectentes altari, & sese Celebranti stanti in cornu Epistolæ, inclinantes, ibique depositis candelabris, stant ibidem: Ad versum verò *& incarnatus est* cum Celebrante genuflectunt & cum eodem Celebrante iterum surgunt, & cùm à Choro dictus versus *& incarnatus est* cantatur rursus genuflectunt licèt Celebrans fortè cùm Diacono se tantùm inclinet.

10. Dum Celebrans cum Diacono & Subdiacono sessurus est, Acolythi illos iuuant aptando casulam, dalmaticam, tunicellam, bireta illis tradendo & eandem conferunt operam tum surgunt.

11. Dum inchoatur offertorium, secundus Acolythus adiuuat ad credentiam Subdiaconum in expandendo velo oblongo humeris eius, ita vt à dextro latere longiùs pendeat: tum ipse primus Acolythus accipit peluiculam cum ampullis vini & aquæ, easque directè sequendo Subdiaconum defert ad altare ambabus manibus, vel si calix à principio in altari collocatus fuerit, solus incedens easdemque ampullas successiuè tradit Subdiacono priùs ampullam vini, deinde illam aquæ sine osculis, easque etiam ab eodem Subdiacono recepit suo tempore.

Gauantus part. 2 tit. 7. num. 9.

12. Impositis vino & aqua in Calicem, recedit cum ijsdem ampullis ad Credentiam.

13. Posteà dum Celebrans thurificat Altare, librum & puluinaria tempore & loco, vt ante Introitum, submoueant, & cùm Diaconus incensat Celebrantem vnus Acolythorum accipit de Credentia peluiculam manu sinistra & dextra ampullam aquæ per manubrium super dicta peluicula, eaque defert ad Altare, comite alio Acolytho à sinistris suis portante ambabus manibus manutergium plicatum, ac statim post incensationem Celebrantis ille primus ministrat aquam ad ablutionem digitorum fundens eam super indices & pollices illius, suppositâ peluicula, alter verò subministrat mappulam plicatam quam ambabus manibus super manus Celebrantis expandit: deinde illis repositis super Credentia reuertuntur ad loca sua, ibique stantes à Thuriferario incensantur, inclinantes se ei aliquantulùm antè & pòst.

14. Ad

14. Ad finem Præfationis ex Sacristia afferent duo funalia seu intortitia ceræ albæ accensa, & factis debitis reuerentijs, genuflectunt hinc inde à lateribus Subdiaconi tenentis patenam, vel si magis commodum, ad latera Altaris. Dum eleuatur Hostia, eleuant etiam faces seu intortitia vsque ad depositionem Calicis inclusiuè; calice eorundem appositio infra pectus. *Carem. Epis. lib. 2. cap. 8.*

15. Post eleuationem Calicis, surgunt, & facta iterum genuflexione, recedunt cum Thuriferario in Sacristiam, ibique funalia extinguunt nisi facienda sit communio, quo casu, prout etiam in diebus ieiuniorum, & in Missis pro Defunctis cum illis accensis genuflexi manebunt vsque ad peractam Communionem.

16. Extinctis funalibus, statim ad Credentiam redeunt cum genuflexione Altari, ibique stant prout Chorus, nec cum Celebrante genuflectunt quando ipse genuflectit.

17. In defectu Cæremoniarij vnus Acolythorum in fine orationis Dominicæ accedit cum debita genuflexione ad cornu Epistolæ, vbi ambabus manibus recipit à Subdiacono velum quod circa humeros eius fuit quod facta iterum genuflexione, reportat ad credentiam super quam illud plicatum collocat, atque etiam suo tempore vnus comitabitur Subdiaconum deferentem pacem ad Chorum, ferens & subministrans illi instrumentum pacis, si laicis pax danda sit: & cum eodem ad Altare reuersus facta Altari genuflexione ab illo accipiet pacem, & dabit alijs Acolythis circa altare, non tamen ijs qui genuflexi funalia fortè gestant. *Carem. Epis. lib. 1. c. 24.*

18. Dum Celebrans dicit *Agnus Dei*, percutient pectus profundè inclinati, idem faciunt ad *Domine non sum dignus*, nisi funalia gestant, non enim tunc percutient pectus,

19. Si faces deferant & velint communionem accipere, alios sibi substituunt Acolythos, qui eas tenent donec communicauerint, & tum fit communio manent genuflexi, facie sibi inuicem versa à lateribus Altaris ne Celebranti & ministris suis sint impedimento.

20. Ad communionem Laicorum primus ex illis defert vas cum vino pro eorum purificatione cum manutergio, modò sint alij intortitia ferentes.

21. Si non fit communio, dum Celebrans sumit Sanguinem primus Acolythorum defert ampullas vini & aquæ, cum pelnicula ad Altare, quas Subdiacono succesſiuè porrigit sine osculis, easque receptas ad credentiam reportat sine genuflexione. Alter verò Acolythus defert interim paruum velum de credentia ad cornu Euangelij genuflectens in medio, deinde redeunt ad loca sua cum debita reuerentia, ibique stant vel genuflectunt prout chorus.

22. Ad Benedictionem in fine Missæ genuflectunt suo loco signantes se manu sinistra apposita infra pectus. Ad euangelium stant, se signant, & cum Celebrante genuflectunt versus tamen Altare.

23. Post finitum Euangelium, & non prius, resumptis de credentia candelabris, accedunt per planum ad cornu, hinc inde infimi gradus, vbi cum alijs Ministris genuflectentes cum Celebrante & alijs recedunt in Sacristiam, salutantes crucem quæ est in Sacristia, & denique Celebrantem. Tum deponunt candelabra & adiuuant ministros se exuentes. Deinde redeunt ad Credentiam, indeque reportant ea quæ prius ad Credentiam fuerant præparata. Denique facta oratione in pace recedunt.

TITVLVS

TITVLVS XXII.

De officio Acolythorum in Missa Defunctorum.

1. IN Missis Defunctorum deferunt quidem ad altare initio Missæ candelabra, sed nō ad Euangelium, ad quod procedāt omnium postremi sine cādelabris, sed manibus iunctis post Subdiaconum, deinde in loco in quo cantatur Euangelium stat vnus à dextris & alter à sinistris Subdiaconi tenentis librum Euangeliorum.

2. Ad lotionem manuum Celebrantis adferunt etiam peluiculam & manutergium, sed qui defert manutergium illud tradit Diacono, quod extersis Celebrantis manibus illi reddit, qui verò peluiculam, ipse eam sustinet sub Celebrantis manibus, Subdiacono aquam fundente.

3. Tenent faces accensas genuflexi ad eleuationem vsque ad communionem inclusiuè.

4. Ad absolutionem in fine Missæ deferunt candelabra habentes Subdiaconum medium vt suis locis dicitur. Cætera peragant vt in alijs Missis.

ANNOTATIONES.

§. 1. Ceroferarij ordine Acolythatus decorari debent, eorum enim officium ex ordinatione ipsa id requirit; debent esse item ambo pares staturâ quantùm fieri potest, sicut eorum candelæ, & candelabra recta, & non inclinata, deferenda; Cùm autem ea sumpturi sunt, semper ea nudis manibus sumunt, & discoopertis, & is qui est à parte dextra ponit dextram in medio candelabri globo, Sinistram verò in pede qui cingulo respondeat; qui verò ad sinistram, è contra accipit globum sinistrâ, dexterâ verò pedem. *Carcm. Epis. lib. 1. c. 11.*

§. 2. Eorum habitus semper est superpelliceum,

& licet in quibusdam locis vtantur Albis, regulariter tamen conuenientiùs est vt vtantur superpelliceis, quia est eorum habitus Clericalis.

§. 3. Bini incedere debent, & non vnus post alium, nisi angustia loci impediat, & tunc iunior præcedit Seniorem.

§. 4 Genuflexiones æqualiter, & eodem tempore simul faciunt nisi aliquid obstat, incedunt semper pari, & æquali passu, & in omnibus alijs semper conuenire, & conformes esse sibi inuicem debent, quantùm fieri potest. Dum stant sint corpore recto, ac firmo, demissisque ad terram oculis, & instar statuarum immobiles, vnde sæpè non genuflectunt, vt ad Euangelium, initio hymnorum *Veni creator*, & *Aue maris stella* & ad alia, ad quæ Clerici & alij genuflectere debent, vt infrà dicetur, & præcipue quando comitantur Crucem cum candelabris suis

§. 5. Dum candelabra non tenent, & manus vacuas habent si procedant cum Celebrante, cũ alijs, regulariter eas iunctas tenent ante pectus, sicut ad Euangelia, ad quæ non deferunt candelabra; initio Missæ dum Celebrans facit Confessionem, donec ascendat ad Altare, dum Celebrans dicit *Gloria in excelsis* & Symbolum, quando sunt genuflexi. dum Celebrans se communicat, ad Orationem ante Epistolam, & post Communionem, & ad quædã alia prout ab experto & prudenti Cæremoniario docebuntur. Ad alia verò manus pectori appositas modestè tenere debent.

§ 6. Cùm ipsi Acolythi deseruiant ad accendendos & extinguendos cereos, aduertant vt si plures sint accendendi ad Vesperas & Missam, quàm ad aliud officium solemne, præsertim diebus solemnioribus hunc ritum obseruent. Arebo factâ Altari genuflexione, accipiunt virgas oblongas, quæ vulgò extinctoris vocantur, habentes candelas in earum summitate, quam vnusquisque admouet ad lampadem, vel lampades quæ sunt ad Altare, si priùs in Sacristia non fuerint accensæ; dum bini accedentes hinc inde ad Altare, facta iterum genuflexione, accedunt à parte sua primum cereos qui sunt in medio Altaris, seu Cruci, vel Tabernaculo proximiores, deinde remotiores, siue quatuor, siue sex, ijsdem ordine, & tempore, ita vt vnus nunquam alterum præueniat, sed simul id faciãt quantùm fieri potest, vel saltem qui priùs accendit cereum, expectet alium; quibus accensis, descendunt simul

mul ad infimum gradum Altaris vbi genuflectunt, candelas extinguunt. Virgas in locis suis deponunt, & redeunt ad Sacristiam, vel in Chorum. Si verò extinctoria sint in Sacristia, ibidem ea accendunt Ceroferarij & deferunt recta ad Altare, vbi factâ genuflexione, cereos accendunt, vt suprà, quibus accensis, ea reportãt, cum debitis reuerentijs, vel ea relinquunt ad Altare.

§. 7. Quando autem prædicti cerei sunt extinguendi, siue omnes, siue aliqui tantùm, hæc erit ratio. Idem Acolythi factâ in medio ante Altare genuflexione accipiunt extinctoria, & hinc inde à parte sua quisque suos extinguit ordine retrogrado incipientes à remotioribus à Cruce, & factâ genuflexione, recedunt.

§. 8. Si verò vnus tantùm accendit cereos, incipit ab ijs qui sunt à parte Epistolæ Cruci Altaris proximiores tum eos qui sunt à parte Euangelij, & pari modo, & eos extinguit modo contrario incipiendo à remotioribus à Cruce.

§. 9. Aduertant etiam Ceroferarij, vt dum genuflectunt retro post Subdiaconum aut alios, id faciant conuenienti spatio, ne sint nimis propinqui eidem dum genuflectunt.

§. 11. Si desit Ceremoniarius, Acolythi curare debent vt antequam Celebrans cum Ministris è Sacristia ad Altare prodeat Missale sit positum in Altari, & apertum suo loco super puluinari, item vt Credentia parata sit, & instructa suis partibus.

§. 12. Acolythi procedentes ad Altare, aut etiam sub Sacrificio Missæ, nunquam debent esse cooperto capite.

§. 13. Quotiescunque Acolythi transeunt ante medium Altaris & faciunt reuerentiam genuflexionis. Item quoties generaliter ipse Celebrans Altari facit reuerentiam Acolythi, si steterint, vno genu vsque ad terram genuflectunt & ad nomen Iesu cum à Celebrante Diacono aut Subdiacono clarè pronuntiatur profundè inclinant excepto eo tempore quo sub decantatione Euangelij candelabra tenent.

§. 14. Acolythi Celebranti semper faciunt reuerentiam profundâ capitis humerorumque inclinatione.

§. 15. Dum sedet Celebrans Acolythi regulariter stare debent apud Credentiam & si sit moris vt sedeant cum Celebrante sedent super Altaris gradu in cornu Epistolæ facie versâ ad Celebrantem non ad popu-

Gauant. tom. parti. 2. tit. 4. n. 7 lit. B.

lum. In ſtando, & genuflectendo conformantſe Choro, non tamen ſedent ad Epiſtolam, etiamſi Chorus ſedeat. Regulariter tamen ſedere non deberent præſertim ſi Celebrans ſit Prælatus, vltimi autem ſedere debent, & primi ſurgere.

§ 16. Monentur expreſsè Acolythi finitâ præfatione non deferenda eſſe candelabra cum cereis accenſis ad Altare, quaſi ea ſufficiant ſed accendenda alia intortitia ſiue maiores candelas easque ſine candelabris tenendas.

§. 17. In defectu Ceremoniarij reponunt biretta Celebrantis & aliorum miniſtrorum extra Credentiam ſuper aliquod ſcamnum vel in alio loco decenti.

§. 18. Finito Euangelio à Diacono, Acolythi ſine mora iterum imponunt candelabra Credentiæ.

§. 19. Miniſtrant Celebranti in lotione manuum debitis cum oſculis ampullæ & manutergij ante & poſt, ſed ſtantes non vero genuflexi miniſtrant.

§. 20 Sabbato Sancto & Penthecoſtes, aſſiſtunt quidem ad Euangelium, ſed tantùm iunctis manibus & ſimiliter ad eam partem quæ habetur loco Euangelij, quando in maiori hebdomada cantantur paſſiones, hinc inde à lateribus Subdiaconi ſine candelabris.

TITVLVS XXIII.

De officio Thuriferarij in Miſſa ſolemni.

Compend. Cær cap. 20. num. 1.

1. ADuertat Thuriferarius quod in Miſſa ſolemni, niſi celebretur pro Defunctis, quater adhibetur incenſum. *Primò* poſt *Confeſſionem* antequam dicatur *Introitus*, ſecundò ad *Euangelium*, tertiò poſt *oblationem* panis & vini, quartò ad *eleuationem* SS Sacramenti.

Cærem. Epiſc. lib. 1. cap. 23.

2. Materies, quæ adhibetur pro incenſo vel ſolum, & purum thus eſſe debet boni odoris; vel, ſi aliqua addantur, aduertatur, vt quantitas thuris longè ſuperet.

3. Acolythus ſeruiens de thuribulo & nauicula, indutus erit habitu clericali & ſuperpelli-

ceo

ce mundo, ac in tempore præuidebit, vt in p mptu habeatur vas cum prunis ardentibus, Thuribulum cum Nauicula cui insit thus sufficiens, & paruum Cochlear.

4. Celebrante induto omnibus sacerdotalibus indumentis in sacristia, ad eum accedit Thuriferarius cum thuribulo & Nauicula, quam tradit Diacono, & ipse sustentat ante Celebrantem genuf exus thuribulum, eo prorsùs modo qui describitur infrà n. 6. ac postquam Celebrans imposuerit & benedixerit thus, Thuriferarius à Diacono recipit Nauiculam, & statim facta Celebranti profunda inclinatione ante omnes alios præcedit, portans thuribulum manu dextrâ, in annulum quidem maiorem pollice immisso, annulum verò catenæ mediæ, siue operculi, annulari digito sustentans, & nauiculam, illius scilicet pedem sinistra manu tenens ita, vt pars quæ aperitur, à parte exteriori sit, non autem pectus respiciat. *Gauantus part. 2. tit. 2. n. 5. litt. z.*

5. Cùm sic peruenerit ante Altare collocat se ad latus Epistolæ, seu prope Credentiam ibique expectat, donec Celebrans cum alijs facit reuerentiam Altari, quâ simul cum alijs facta, ibidem dum à Celebrante fit confessio genuflectit thuribulum leuiter mouens, ne ignis extinguatur. *Gauantus ibidem lit. c.*

6. Postquam Celebrans facta Confessione ad Altare ascendit, Thuriferarius surgit & accedens in cornu Epistolæ Diacono dat Nauiculam thuris apertam sine osculis, & ascendens supremum gradum Altaris Celebranti ministrando thuribulum ad imponendum thus, sustentat annulum maiorem thuribuli manu sinistra, & eleuato altero annulo operculi manu dextra, eademque manu complectente catenulas circa medium earum inter operculum, & thuribulum, *Gauantus part. 2. tit. 4. n. 4. litt. u.*

flexoque quasi genu dextro, offeret thuribulum æqualiter ad nauiculæ altitudinem eleuatum, Celebranti.

Carem. Epis. lib. 1. c. 23.

7. Imposito, à Celebrante in thuribulum incenso recipit à Diacono Nauiculam, statimque summitatem Catenularum thuribuli ponet in dextram Diaconi, & easdem catenulas prope thuribulum in sinistram ipsius. Deinde retrahens se cum Nauicula extra cornu Epistolæ, ibidem exspectat finem thurificationis Altaris, & dum Diaconus thurificat Celebrantem stat post eum, mox ab eo recepto sine osculis thuribulo, recedit ponens illa in Credentia.

Gauantus part. 2. tit 4. num 7.

8. Finita incensatione poterit redire in sacristiam, aut ad alium locum conuenientem, & præparare ignem pro thuribulo, quia non habet stabilem locum in Presbyterio; vel stat ad Credentiam, vbi se conformat Choro, stando, vel genuflectendo.

Compen. Car. cap. 20.

9. Circa finem *Alleluia Sequentia* aut *Tractus* cùm Diaconus defert librum Euangeliorum ad Altare, Thuriferarius præmissa genuflexione iterum accedens cùm thuribulo & nauicula; & posito per Diaconum libro in Altari, dabit illi nauiculam, & Celebranti ministrabit thuribulum vt suprà: impositoque thure & recepta nauicula, exspectabit sustinens illa, donec Diaconus acceperit benedictionem, & tunc facta cum alijs Altari genuflexione ibit ante Ceroferarios ad locum Euangelij: ibique stans post Diaconum tenet, ac ducit suauiter thuribulum, atque Diacono dicente *Initium* vel *sequentia sancti Euangelij* stans à sinistris Cæremoniarij offert eidem thuribulum, vel in defectu Cæremoniarij ipse Diacono, vt librum incenset; & thurificato libro illud recipiens leuiter agitabit, eleuata aliquantulùm operculi catenula, ne ignis extinguatur, cumque

cumque proferuntur verba ad quæ est inclinandum aut genesiectendum, cum alijs inclinabit & genuflectit facie ad altare versâ.

10. Finito Euangelio reuertitur eodem ordine vt antè cum alijs ad Altare, vbi rursus porriget thuribulum Cæremoniario aut Diacono & post thurificationem Celebrantis receptum loco congruo reponet, & statim ad Credentiam redit; in stando & genuflectendo se cum alijs accommodans. *Compend. Carem. ibid.*

11. Post Offertorium, etiam in Missis Defunctorum, Thuriferarius ministrabit Nauiculam & Thuribulum ordine & modo quo suprà, & dum Celebrans incensat oblata & Altare, stat in plano ante infimum gradum à dextris Acolythi, aut si non adsit Assistens, vel Acolythi sunt impediti, ipse deposita nauicula super Credentia amouet de Altari librum, cum puluinari & reponit, ne thurificationem impediat. *Castaldus praxi. Car. lib. 1 sect. 4. n. 14. & seq.* *Gauantus part 2. tit. 7. num 10.*

12. Postquam Diaconus thurificauerit Celebrantem, facta cum eodem in medio Altaris genuflexione ipsum discedentem ad alios thurificandum, præcedit cum nauicula, ad imponendum thus in thuribulum cum deficiet. Dum autem Diaconus quemquam incensat stat à sinistris ipsius, & facit cum eo debitas reuerentias. *Gauantus part. 2. tit. 7. n. 10. litt. c.*

13. Incensato Choro, cum debitis reuerentijs Diaconum præcedens, accedit ad Altare, ibique facta prius eidem genuflexione, stat à latere eius sinistro, donec Subdiaconus thurificetur, tum accipiens à Diacono thuribulum cum debitis inclinationibus antè, & pòst, thurificat illum duplici ductu; mox Acolythos apud Credẽtiam, aut in vtroque latere Altaris stantes, vtroque ductu. Deinde potest (si adsint) Dominos locorum minorum, seu Magistratus quibus proprium scamnum seu sedes ab alijs distincta parari solet *Gauantus part. 2. tit 7. n. 10. litt. c. & seq.*

solet duplici vel vnico doctu thurificare. Vltim incenset ter populum, prim ò in medio, deind versus latus Epistolæ quod est dextrum popul tertiò versus latus aliud, cum honoris significatione antè & pòst adhibita. Stabit autem Thuriferarius incensans populum in medio Presbyterij, vel ferè à latere Euangelij, si expositum est in Altari SS. Sacramentum, ne eidem tergavertat.

15. Denique accedens paulò ante eleuationem genuflexus à latere Epistolæ in infimo Altaris gradu, & immisso á se, vel ab alio thure in thuribulum absque Benedictione cum eleuatur sacra Hostia ter incensat eam, nimirum cùm Celebrans eam adorat, cùm eleuat, & cùm deponit ante, & post eleuationem profundè inclinans quæ pariter præstat in eleuatione Calicis. Si autem ibidem adsit Cæremoniarius vel Subdiaconus ad id faciendum, tunc dabit illi thuribulum vt thurificet, ipse Thuriferarius verò imponet thus Thuribulo.

16. Reposito & adorato per Celebrantem Calice surgens, factaque reuerentia genuflexionis Sacramento in Altari, reponet thuribulum cum nauicula, atque reuersus ad locũ conformabit se alijs quo ad stationem & genuflexionem.

ANNOTATIONES.

Carem. Epis. lib. 1. cap. 11.

§. 1. Minister Acolythus thuribulum & nauiculam incensi ministraturus, debet ea eleuatis æqualiter manibus tenere; videlicet, thuribulum dextrâ, pollice in annulum maiorem immisso, altero verò eiusdem munus digito minorem annulum catenulæ eleuanti coopertorium thuribuli appositum reget, & sustinebit; sinistrâ manu pedem nauiculæ cum incenso, & cochleari cautè gestabit, superpelliceum super brachia priùs reflectens.

Compen. Car. c. 3. & 9.

§. 2. Quando Thuriferarius nauiculam Assistenti vel Diacono daturus erit, tenebit eam dextrâ manu.

semia-

semiapertam & thuribulum sinistrâ: Cùm verò thuribulum dabit, tunc illud tenebit dextrâ, & nauiculam sinistrâ quando autem thuribulum offeret Celebranti ad imponendum thus, tunc illud tenebit sinistræ per annulum maiorem, & dextrâ operculum thuribuli per minorem annulum sursum trahet quando denique ipsemet alios thurificabit, obseruabit, vt sinistrâ manu catenulas, quibus thuribulum sustinetur in earum summitate tenens, & dextrâ easdem catenulas simul iunctas prope thuribulum, sinistram firmam stabilemque teneat, dextram vero manum ac brachium commodè ac tractim cum thuribulo versus personam thurificandam moueat, ita vt cum thuribulum ad se retrahit, illud sub brachio leuiter & competenti mora reducat, non personam aut caput mouens, dum thuribulum ducit & reducit.

§. 3. In vesperis & laudibus Thuriferarius in traditione & receptione tam Nauiculæ & Cochlearis quàm thuribuli obseruabit quæ superiùs dicta sunt; atq; post thurificationem Altaris Celebrante thurificato recipit thuribulum & thurificabit omnes Canonicos ordine suo duplici ductu cum profunda inclinatione antè & pòst, deinde cæteros de Choro vnico ductu primo tantùm in ordine capite inclinato.

§. 4. Cùm alicui traditurus est Nauiculam, tradit eam dextrâ; & regulariter eam sinistrâ recipit, modo alterâ sustineat Thuribulum.

§. 5. Si Thuriferarius teneat nauiculam sinistrâ, debet Thuribulum dextrâ tantùm manu porrigere per catenularum summitatem, nimis enim incommodum esset illud ambabus manibus porrigere. At si ipse Thuriferarius immediatè porrigit Thuribulum in manus Celebrantis tradit illud eodem modo quo Diaconus ambabus manibus, videlicet dextra summitatem tenens, & sinistra catenularum extremitatem prope vas ipsius thuribuli modò nauiculam non teneat alterâ manu, osculatur verò illud tunc quando porrigit Celebranti non verò alijs, soli enim Celebranti debentur oscula.

§. 6. Aduertat quoque Thuriferarius vt non omninò genuflectat, dum Celebrans imponit thus, sed sit quasi flexo genu nisi ministret Episcopo, quia tunc genuflectit ei dum thus imponit in thuribulum.

§. 7. Item aduertat vt si benedici debeat thus in thuribulo à Celebrante, Thuribulum illud non claudat.

dat, quin prius Celebrans illud benedixerit, & ideo semper apertum illud tenere debet ante Celebrantem donec benedixerit.

TITVLVS XXV.

De Thuriferarij officio in Defunctorum absolutione, & exequijs.

1. IN Missis Defunctorum Thuriferarius non portat Thuribulum initio Missæ, sed primus procedit suo ordine manibus iunctis, & nudo capite.

2. Ad Confessionem genuflexus manet prope Credentiam.

3. Ad Orationem seu plures, genuflectit sicut Chorus. Si tamen desit Cæremoniarius ministrat librum Subdiacono, & eum comitatur ad Epistolam, & eâ finitâ post genuflexionem illum recipit, & ponit super Credentiam.

4. Si distribuendæ sint Candelæ, posset eas distribuere in Choro nisi alius id efficiat. Non procedit ad Euangelium cum alijs, nisi vices gerat Cæremoniarij, quia tunc eos præcedit, & accepto in fine Euangelij cantati libro à Subdiacono post factam genuflexionem, illum reponit super Credentiam.

5. Ad oblata ministrat de more nauiculam & Thuribulum, quod incensato Celebrante, recipit.

6. Post dictum *Sanctus*, à Celebrante, portans thuribulum & nauiculam ad Altare præcedens Acolythos de more funalia deferentes, vbi cum eis genuflectit, & accedit ad cornu Epistolæ, ibique imposito thure in thuribulum idem porri-

portigit Subdiacono, in eodem cornu genuflexo, vt SS Sacramentum incenset, ipse verò manet genuflexus in plano.

7. Post eleuationem recipit thuribulum cum nauicula quod statim reportat in Sacristiam, vbi curat, vt ignis pro Absolutione non deficiat.

8. Tum redit ad Credentiam, vbi genuflexus manet prout Chorus, vsque ad *Pax Domine* exclusiuè.

9. Dum dicitur Euangelium vltimum, vel tempestiuiùs parat ignem in thuribulo pro Absolutione facienda in fine Missæ.

10. Ad absolutionem defert thuribulum ante Crucem deportandam per Subdiaconum factâ priùs Altari genuflexione cum socio suo, portans vas aquæ benedictæ à sinistris eius, & cùm peruenerit prope caput lecticæ, sinens abire Subdiaconum ad pedes ipsius lecticæ, retro post Celebrantem firmat se à dextris socij sui in parte Epistolæ. Cum cantatur vltimus versus Responsorij *Libera me Domine* facta genuflexione in medio, portigit Diacono nauiculam stans à dextris eius, & ante Celebrantem cui ministrat thuribulum, vt in illud thus imponat.

11. Deinde recedit ad priorem locum genuflectens priùs in medio & facta aspersione Lecticæ à Celebrante thuribulum tradit, factaque incensatione illud recipit. Tum si faciendæ sint exequiæ thuribulum agitat aliquantulùm ne ignis deficiat pro loco sepulturæ. Dicto per Cantores, *Requiescant in pace*, ordine quo venerat recedit.

TITVLVS

TITVLVS XXV.

De officio Magistri Cæremoniarum.

1. INter omnes ordinis Ecclesiastici ministros quorum diuersitas decorem maximum Ecclesiæ militanti semper attulit, & affert, ad Sanctam Dei cultum augendum, Cleri in Diuinorum officiorum studium iuuandum, nec non populi deuotionem excitandam; Magistri Cæremoniarum multùm prodest peritia. Parùm enim est leges condere, nisi aliquis constituatur qui sua industria eas exactè studeat obseruare.

Cærem. Epis. lib. 1. cap. 6.

2. Quapropter quilibet Ecclesiæ Rector, seu Superior, siue Decanus, aut Præpositus, quocumque nomine vocetur quantùm in se est, curet diligenter, vt ad huiusmodi officij munus is eligatur, qui ex gremio eiusdem Collegij, si commodè fieri possit, in Sacerdotali dignitate constitutus, cæteros vitæ, ac morum grauitate excellens, honestè ac decorè resplendeat, quique in ministerio Ecclesiastico, sacrisque actionibus ac ritibus eruditus, summo studio Ecclesiasticæ disciplinæ amantissimus, in omni actione, insigni quadam ratione, eius obseruantiam demonstret.

Cærem. Epis. loco citato.

3. Similiter habitudine corporis sit conspicuus, omni deformitate carens, & ab omnibus occupationibus externis expeditus, vt vni solo diuino cultui dirigendo religiosè, ritè, decorè, ac pro rei dignitate vacare valeat, atque adeò grauiter & modestè in omnibus se gerat, vt omnibus deuotionem pariat, ipseque ab omnibus commendari mereatur.

4. Is igitur qui huic muneri præficitur, sciat omnia

omnia Ecclesiastica munera ad ipsum spectare, vnde & ipsius partes erunt omnia prospicere, cuncta præuidere, maximè in solemnioribus, vt loco, ac tempore disponantur vniuersa: Altaria videlicet decenter sint ornata. Ecclesia vndique nitida, & bene aptata, sacra supplex ac reliqua necessaria commodè distributa inueniantur.

5. Festis diebus præcipuè officio suo fungatur in Missis & Vesperis solemnibus, & idcirco curet vt hora congrua Celebrans & Ministri sint parati in Sacristia, & ad hoc eos adiuuet, vel saltem ipsum Celebrantem.

6. Ad Missam solemnem Celebrandam dicta in Choro Hora conuenienti, omnibus paratis, indutisque Celebrante & ministris alijs, curet vtipse Celebrans in Sacristia ponat thus in thuribulo. Tùm facta Cruci reuerentia datoque signo egressionis vt via paretur ab ijs ad quos spectat ille manibus iunctis, & solus sequatur Ceroferarios, nudo capite, procedendo ad Altare, & in loco designato monet Celebrantem, & alios quando Chorum salutare debeant, si ante illum transeunt, vel genuflectere oporteat, si opus sit. *Carem. Epis. lib. 2 cap. 3. Gauantus Comment in Rubr Miss. part. 2 tit. 2. n. 5. sub lit. a.*

7. Diebus Dominicis, cùm facienda est aspersio aquæ benedictæ, præcedens Celebrantem cum Ministris eos ducet in Chorum, & loca in quibus facienda aspersio.

8. Cùm Celebrans peruenerit ad Altare ante Missam, facta genuflexione, accipit ipsius & ministrorum biretta & ea loco congruo deponit non tamen super Credentiam.

9. Ad Confessionem genuflectit in plano regulariter à parte Epistolæ, eaque facta ascendit cum Ministris ad suppedaneum Altaris; ibique facta genuflexione à dextris Diaconi capit nauiculam de manu Thuriferarij, eamque tradit Diacono

Diacono sine osculo. Tum accipit ab eode Thuriferario thuribulum, illudque sustinet ap tum coram Celebrante imponente thus in deinde sinistra recipit nauiculam, quam red Thuriferario, & dextra tradit thuribulum Di cono, dimisso priùs operculo ipsius.

10. Decentius tamen est vt Thuriferatii ipse porrigat nauiculam Diacono, & sustine thuribulum coram Celebrante, & non Cæremo niarius, est enim sui muneris ea peragere no Cæremoniarij; cuius officium est tantum dir gere, & docere, nisi fortè ministri non sint sat adhuc experti, & tunc poterit ea præstare; alia Thuriferarius semper ministrabit nauiculu seu Diacono seu alteri, & thuribulum sustine bit.

11. Dum Celebrans incipit incensationem a mouet Missale & cussinum de Altari, nisi ads Presbyter assistens qui id agat, eaque ambabu manibus ante pectus extra gradus Altaris prop cornu Epistolæ versa facie ad altare sustinet, & statim facta incensatione partis Epistolæ ibidem ea reponit, tum genuflexione facta descendit ite rum in planum.

12. Incensato Altari stat post Diaconum sinistris Thuriferarij, inclinans se cum eode Diacono ante & post incensationem Celebran tis, quòd semper in huiusmodi incensatione ob seruabit.

13. Dum dicitur Introitus stat prope ang lum posteriorem altaris versus ipsum Celebran tem & inclinat se Cruci dum dicitur *Gloria Pa* dictoque à Celebrante vltimo *Kyrie eleyson* i nuit Choro vt sedeat si supersit satis tempo ris.

14. Cùm cantatur vltimum *Kyrie eleyson* i Choro monet Celebrantem & Ministros, vt

medium

medium Altaris procedant, & dicto ab ipso, & à Ministris hymno angelico monet nutu eosdem vt sedeant. At dum prædictus hymnus cantatur in Choro ipse stat etiam in cornu Epistolæ prope Credentiam, ita vt etiam à Choro videri possit, & inde capitis inclinatione tempestiuè monet Celebrantem sedentem & Chorum quando inclinare se, aut nudare caput debeant, neque ipse sedere debet.

15. Circa finem Hymni Angelici, videlicet dum cantatur *Cum Sancto Spiritu* reducit Celebrantem ad Altare per gradus anteriores præcedendo Ministros. Tum redit facta genuflexione ad cornu Epistolæ vbi ostendit Celebranti Orationem, & circa finem ipsius, seu vltimæ, si plures dicantur, accipit librum de Credentia, eumque tenens per latera ipsius, ea parte qua aperitur ad dextram suam conuersa, tradit ibidem Subdiacono stanti post Diaconum in cornu Epistolæ, eumque ducit à sinistris ad medium Altaris vbi genuflectit, quantùm possibile est ad hæc verba in fine Orationis *Iesum Christum*, vel ad alia, *in vnitate Spiritus* si terminetur per *Qui viuis* aut *Per eundem*, & inde eum statim conducit ad locum vbi cantare debet Epistolam, vbi stans à sinistris eius vertit folia libri, si opus sit; Finita autem Epistola eundem reducit ad medium Altaris, & inde genuflexione facta reducit ad Celebrantem, vt ab eo benedicatur genuflexus cum illo, deinde recipit ab eo librum quem deponit super Credentiam.

16. Dum Celebrans incipit Euangelium, tradit librum Euangeliorum Diacono, eo modo quo antea Subdiacono, quem ipse solus Diaconus portat ad Altare, & circa finem Gradualis *Alleluia*, aut Tractus aut etiã citiùs ascendit cum Thuriferario ad Altare, vbi imponitur thus in thuribulo.

Posteà

Posteà descendit cum eodem Thuriferario, facta genuflexione altari & vadit ad Credentiam indeque dum Diaconus accipit librum Euangeliorum, ducit Thuriferarium & Ceroferarios ad medium Altaris in plano, vbi à sinistris Subdiaconi genuflectit super infimum gradum, & erectus præcedit omnes ad locum Euangelij.

17. Cùm peruenerit ad prædictum locum, stat à dextris Thuriferarij, & ministrat, dum tempus est, Diacono thuribulum, monetque ibi Diaconum quando inclinandum sit aut genuflectendum, & se signat cum eo in fronte, ore, & pectore.

18. Finito Euangelio recedit, præcedit omnes ad medium Altaris, vbi assistit Diacono, dum Celebrantem incensat, eique thuribulum porrigit, si necesse sit.

19. Si sermo habendus, statim post incensationem Celebrantis, ducit Concionatorem ad suggestum & finito sermone, eum reducit ad Sacristiam, aut alium locum destinatum.

20. Dum Celebrans dicit *Credo* stat in cornu Epistolæ, & genuflectit cum eo, & finito monet vt sedeat si velit vt ad *Gloria in excelsis.*

21. Paulò ante versum, *Et incarnatus est*, monet Celebrantem vt genuflectat, si sit ad Altare, vel se inclinet si sedeat, in die autem Natiuitatis Domini & Annuntiationis B. Mariæ Celebrans genuflectere debet, sed ipse Cæremoniarius semper genuflectit. Atque versu *Et incarnatus est* decantato, tradit Diacono Bursam Corporalium ambabus manibus, versa ad eum facie, ita vt pars aperta Bursæ ipsum Diaconum respiciat.

22. Circa finem Symboli reducit Celebrantem ad Altare per viam longiorem, tum facta genuflexione, redit ad Credentiam, & inchoato

Offertorio

Offertorio velum oblongum super humeros, Subdiaconi aptat, eumque à sinistris Calicem deferentem ducit ad Altare.

23. Dum Celebrans thurificat oblata assistit, vt in prima thurificatione ante Introitum.

24. Postquam Celebrans lauerit manus Cæremoniarius vadit ad sinistram Celebrantis cum genuflexione, eique assistit & folia Missalis vertit, dum Celebrans dicit secretas Orationes & cantat Præfationem. Si tamen adsit Presbyter assistens tunc Cæremoniarius ducit Diaconum in Chorum, vbique facta inclinatione monet Diaconum quos incensare debeat, cum quibus reuerentijs, & quot ductibus.

25. Circa finem Præfationis ducit Ceroferarios in Sacristiam vel ad alium locum vbi sunt intortitia, & inde eosdem intortitia ferentes, & Thuriferarium cum thuribulo ad Altare ducit, quibus loca sua assignat.

26. Deinde accedit ad cornu Epistolæ ponens ipsemet si opus sit, thus in thuribulo, & dum eleuatur SS. Sacramentum illud ter incensat.

27. Facta eleuatione SS. Sacramenti surgit accedens ad medium Altaris genuflectit, atque Thuriferarium cum Ceroferarijs, si discessuri sint, reducit in Sacristiam, vel alium locum, indeque statim redit ad Altare cum illis.

28. Postea Subdiaconum pacem in Chorum deferentem comitatur, & conducit Subdiaconum ad quos dandum est pacis osculum inclinans se illis, tantùm postquàm datum fuerit pacis osculum.

29. Tum reuersus ad Altare, facta ibidem prius genuflexione accipit pacem ab eodem Subdiacono per osculum quam statim porrigit Acolythis etiam per osculum, alijs verò scilicet Laicis cum instrumento, secundum morem locorũ,

& ideò tunc cùm Celebrans dat pacem Diacono, accipit instrumentum pacis, si illud dandum est Laicis, illudque Diacono tribuit osculandum, & ipse Cæremoniarius illud secum defert manu dextrâ cum Subdiacono incedendo, & ipse Subdiaconus Laicis dabit illud osculandum quos Diaconus incensauit.

30. Post sumptionem Sanguinis ducit Acolythum cum ampullis ad Altare, & reducit eum post datam ablutionem digitorum Celebranti.

31. Finitis Orationibus cum sua vltima conclusione, ad quas stat prope Celebrantem à dextris eius, statim claudit Missale, nisi sit legendum aliud peculiare Euangelium.

32. Ad benedictionem genuflectit cum alijs in cornu Epistolæ se signans.

33. In fine Missæ dat biretum Celebrantis Diacono, tum etiam eidem Diacono & Subdiacono sua, factisque debitis reuerentijs altari, reducit Celebrantem & ministros in Sacristiam; At cùm in Sacristiam peruenerunt facta reuerentia imagini inclinat se Celebranti, & eum adiuuat deponentem paramenta sua.

ANNOTATIONES.

§. 1. Imprimis Cæremoniarius curare debet vt non tantùm praxim habeat omnium Cæremoniarum, sed etiam cùm opus fuerit de ijs quæ fiunt rationem reddere possit. Ideoque non ei sufficit Rubricas Missalis, & Breuiarij, Rituale Romanum, Pontificale Cæremoniale Episcoporum optimè scire; sed insuper attentè legisse debet Thesaurum Sacrorum Rituum Bartholomæi Gauanti aliosque de hac materia tractantes. (*Cærem. Epis. lib. 1. c 5.*)

§. 2. Qui huic officio præficitur apud se perpendat omnia & singula Ecclesiastica munera ad seipsum pertinere. Quapropter omnibus istis diligenter prouidere debet, & non ipsa die, vel cùm tempus vrget actionem, sed mature, aut pridiè, aut citiùs si opus sit.

Item

Item cuncta à se peragenda in aliquo loco priuato sæpiùs experiatur & exerceat etiam simulatis gestibus quæ qualiterue ipse facturus & docturus est, vt eius eruditio singulis prosit.

§. 3. Diligenter aduertat vt omnes cum reuerentia debita officijs diuinis intersint, nulla sint colloquia, discursiones tumultus, omniaque profana prorsus tollantur, & si opus sit adhibeat sibi ministros, qui his inuigilent, mendicantes ex Ecclesia pellant, & præcipuè canes & alia huiusmodi diuina officia perturbantia. *Cærem Epis. loco citato.*

§. 4. Caueat quoque ne in Choro diuinis officijs, quis incomposite, & minùs modeste assistat ne inde scandala oriantur. Item ne quis gestum aliquem ab alijs differentem demonstret, v. g vt cum alij stant alius sedeat. Sed det operam vt omnes vniformiter quantùm rei ratio postulat, se gerant. *Cærem Epis. lib. 1. cap. 5.*

§ 5. Sit patiens, mansuetus, ac humilis, nec illi graue sit iuuare ministros, si opus sit, & cum aliquem monere oportet, id faciat modestè, submissâ voce, ac solo nutu, etiam leuissimo, si fieri possit.

§. 6 Ordines sessionum in Choro, vel extra distinguat, singulisque locum & ordinem assignet secundùm laudabilem locorum consuetudinem. Præcipue autem curam gerat Celebrantis & ministrorum eius vt eis præsto sit, si quid petant vel de aliqua re sint admonendi.

§. 7. In motu suo, & omnibus suis actibus ita modestè se gerat, vt non præcipitanter agat, non discurrat velociter nisi necessitas summa vrgeat, nec caput voluat, aut manus agitet indecenter, nec in suis actibus affectationis vitio notetur

§ 8. Curet etiam vt cùm aliquis, quem comitatur, inclinare se, aut genuflectere debet, ipse quoque, quasi præcedendo se inclinet, aut genu flectat. Similiter cum omnes qui sunt in Choro aut alibi inclinare se aut genuflectere debent, priùs aliquantulùm recedens è loco suo innuat illis quid agendum sit. V. g. quando dicendum *Gloria Patri*, aut aliud simile, & ad Altare quando ministri genuflectere debent aut se inclinare, ipse priùs eadem faciat aut innuat facienda

§. 9. Regulariter incedit aut stat à sinistris illius quem comitatur, nisi aliquid obstet, v. g. viæ angustia, aut populi concursus, tunc enim præcedit, nunquam verò sequitur, cùm autem ducit Prælatos aut

alios ad aliquos actus id modestè faciat, & reuerenter non cos vrgens, aut impellens, aut quasi vehens.

§. 10. Si Celebranda sint aliqua diuina officia solemniter, vt quando celebranda Oratio quadraginta horarum, & exponendum SS Sacramentum, aut processiones publicæ habendæ, aut alia huiusmodi quæ rarò obtingunt, re priùs communicatâ cum superiore præuideat omnia, curetque ea seruari, iuxta formam traditam, & non tantùm ministros sed etiam superiorum ipsum, aut alium Celebrantem instruat; si opus sit, etiam eis schedulas in scriptis præbeat, & sæpius per repetitos simulatos gestus in aliquo priuato loco doceat.

§. 11. Nouos Presbyteros, & alios recenter ordinatos accuratè instruat ideoque à Superioribus non permittendum, ne quis munera sua exerceat, nisi priùs à Cæremoniario in Sacris Missæ ritibus, & cæremoniis perfectè fuerit edoctus.

§. 12. Non conducit Diaconum dum defert librum Euangeliorum, & Bursam Corporalium ad Altare, neque Subdiaconum dum reportat Calicem ad Credentiam, quia comes tantùm datur Ministris ad aliquid cantandum, aut quando exeunt ex presbyterio.

§. 13. In Processionibus ad ipsum spectat, omnes ritè & ordine dirigere, omnemque dare operam, vt seruato ordine nullo modo interrumpatur vel perturbetur Processio, ac propterea studeat vt pari passu, graui incessu, debitaque distantia omnes ac singuli progrediantur, celeri quadam, sed graui iteratione, si opus sit, discurrendo vt omnia præcipuè eodem ritu cantentur, atque dicantur, prouideat.

§. 14. Sacerdotes si aliquid ex annotatis Rubricis prætermiserint, seu ex incuria immutauerint, vt quandoque accidit, ab eodem modestè tamen ac benignè moneantur, & omninò omnium actus in Ecclesiasticis functionibus diligentissimè obseruet, si qui à tradita forma recesserint, ab eo moneantur

§ 15. Si quis fortè ab eo præscripta exequi neglexerit, is placidè ac benignè ab eodem moneatur, cum verò res postulauerit Superiori deferatur. Vt quod eius auctoritate commodè interdum introduci aut corrigi non potest, superiorum auctoritate introducatur ac corrigatur.

§. 16. Eos, qui sacris ordinibus initiantur, vel primitias suas celebraturi sunt, diligenter instruat, muner-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

neris namque & officij sui erit, vt singuli Ecclesiæ Ministri ab eo Cæremoniarum vsum ac disciplinam ritè percipiant in omnibus peragendis, ac propterea benignè singulos in Ecclesiastica disciplina instruens omnibus suam præstabit operam: neque cuiquam primitias suas celebrare liceat nisi Decano, Pastori, aut Superiori, cui subest testimonio Cæremoniarij debitè probauerit, se in Sacris Missæ ritibus esse eruditum atque versatum, & Cæremonias omnes ad vnguem intelligere.

§. 17. Errata, in ipso actu (si quæ contingunt) vel modestè, ac leniter corrigat, vel silentio, maximè si fuerint leuia, transeat, ne fortè magis præco erroris quàm corrector appareat.

TITVLVS XXVI.

De Sacristiæ Præfecto qui in Collegiatis alijsque Ecclesijs Thesaurarius dici solet.

1. SAcristiæ munus, inter alia Ecclesiastica ministeria nequaquam minimum est, ac propterea in eo eligendo loci superior attentè consideret, vt ijs; qui eligitur, sit in sacerdotali ordine constitutus, quique rerum sacrarum & Ecclesiasticarum vsum, & scientiam habeat, & recognoscat, qua cura, & studio Ecclesiastica suppellex custodienda sit, quoue ordine atque tempore ea vtendum sit, adhibito Clericorum & inseruientium ministerio.

2. Præcipuum eius munus erit, vt Sacrosancta Eucharistia in Tabernaculo clauibus fidis obserato decenter cum luminibus accensis conseruetur, & singulis saltem quindenis, renouetur: ad infirmos debita cum reuerentia & honore deferatur, & ea quæ ad cultum eius spectant, nitidè & honestè conseruentur. Curet etiam vt *Cærem. Epis. lib. 1. cap. 6.*

Cærem. Epis. lib. 1. cap. 6.

sacrum oleum infirmorum in vase ab alijs separato, custodiatur, illudque solùm ab alijs seiunctum ad vngendos ægrotos deferatur.

Carem Epis. loco citato

3. Idem circa sacras Reliquias curet, vt scilicet fideliter, honorificè, & in loco tutissimo asseruentur.

4. Olei sancti vascula, cum sacris oleis in Ecclesiæ aut Sacristiæ loco honesto, apto, & decenti, nunquam tamen in loco in quo SS. Sacramentum asseruari solet benè custodiantur: Item Calices, Pyxides, omniaq; vasa sacra diligenter in suis armarijs recluſa seruentur: Vestimenta item Sacerdotalia, vniuersaque Ecclesiastica suppellex non solùm sarta, & integra, verùm etiam mundissima, conseruentur, nec patiatur vt ab alijs Ecclesijs, si non in pretiosa supellectile; saltem in ornatu, nitore, & diligentia, superetur.

Carem. Epis. loco citato.

5. Aquam benedictam singulis diebus Dominicis, vel etiam sæpius, si opus sit, renouet: adhibitis ad benedictionē superpellicco & stola violacei Coloris, nisi fiat in Dominica ab ipso Celebrante benedictio huiusmodi, quia tunc Stola Celebrantis sit coloris officio diei conuenientis, vt dictum est, suprà.

6. Item curet vt Ecclesia ab omni eius parte, tam in pauimento, quàm in parietibus, columnis, fornicibus, ac laquearibus ad singula eius facella, pulpita, confessionalia, altaria, & alia id genus semper munda sint, præsertim a puluere, telis aranearum, & ne per iniuriam sordescant, aut pereant

Carem. Epis. loco citato

7. Studeat quoque vt cum diuina celebrantur officia nihil desideretur eorum quæ necessaria sunt tam ad Altare quàm ad Chorum & alia, ne in ijs perquirendis & expectandis indecenter, & incommodè tempus consumatur,

8. Quid-

8. Quidquid ad Campanarum sonum spectat, ipse curet exequendum scilicet matutinas, vespetas, Missam, alias horas Canonicas, salutationem Angelicam, & alia huiusmodi secundum vniuscuiusque Ecclesiæ laudabilem consuetudinem, ac rationem temporis & festorum. *Carem. Epis. loco citato.*

9. Eiusdem muneris est Missarum celebrandarum seriem præscribere, pro quibus benè disponendis & ordinandis habeat in Sacristia Tabellam, in qua omnia nomina Sacerdotum sint descripta, & si commodè fieri possit, omnibus propria sit hora assignata, quæ per vices mutetur, ita vt non semper eidem eadem hora contingat, ac quilibet eorum in Altari, ad quod fuerit adscriptus, celebret: diligenter aduertens, ne alicuius incuria definitus ab eo ordo turbetur, neue plus quam decet Missarum celebrandarum ordo retardetur, neue simul Celebrantes concurrant; nisi fortè graui necessitate. Habeat etiam librum in eadem Sacristia, in quo Missarum celebrandarum obligatio describatur, sicut & anniuersaria, si quæ sint celebranda temporibus suis in dicto libro, vel alio habeat, vt omnibus benefactoribus satisfiat. *Carem. Epis. lib. 1. c. 6.*

10. Expedit quoque vt Sacristia habeat præterea librum vnum pro Sacerdotibus celebrantibus, in quo manu propria notent subscribantur singuli Sacerdotes, qui vnoquoque die in Ecclesia Missæ sacrificium fecerint.

11. Prætereà alium etiam habeat librum, in quo nomina mortuorum qui ibi sepeliuntur vnà cum die depositionis, & loco sepulturæ notentur.

12. Nullum presbyterum vagum, peregrinum, & ignotum sine commendatitijs Episcopi Diœcesani Ordinarij, aut eiusdem Vicarij generalis ad Celebrandam Missam admittat.

13. Caueat etiam ne sacerdotes sine habitu decenti, & corona sufficientis magnitudinis in capite celebrent. Nec permittat eis vt aperto collari celebrent, neque calceis lutulentis ad Altare accedant, & ideò in Sacristia debet esse pannus attritus quo sacerdotes calceos lutosos curent diligenter extergi, vel potiùs semper sint crepidæ in Sacristia paratæ tam pro ijs, quàm pro regularibus qui calceis non vtuntur.

14. Curet, vt in vase aquarum ex solido lapide, ad abluendas Sacerdotum manus, in Sacristia nunquam deficiat aqua munda, & hinc inde ex instrumento tornatili pendeant manutergia munda pro abstergendis manibus. Satis probanda hoc loco videtur, & vbi commodè fieri potest, etiam imitanda eorum consuetudo, qui distincta ante, & post celebrationem manutergia apponunt; vnum quod sit vsui ante, & aliud post Missam, quod sit ex mundioribus, notando ad instrumenta quibus appenduntur in schedula et verba *Ante Celebrationem & post Celebrationem*. Aliud etiam potest apponi alio loco distinctum cum sua inscriptione pro Ministris, & si fieri potest aqua lotionis manuum Presbyterorum post Missam effundatur in Sacrarium, aut alium locum separatum & honestum.

15. Procuret etiam vt in eadem Sacristia loco congruo sint duo loca accommodata, quo Sacerdotes ante Celebrationem se præparent, & peracto Missæ Sacrificio se colligant, gratiarum actioni operam dantes, adaptetur in eis scabellum ad procumbendum, ante propositam Crucifixi effigiem, vel aliam piam imaginem.

16. Adsit præterea tabella, in qua Orationes præparatoriæ ante Missam, & gratiarum actiones post Missam descriptæ sint.

17. Habeat etiam in promptu genuflexoria

cum

cum cussinis & tapetibus, quæ coram Prælatis, & principibus viris apponi possint cùm ad Ecclesiam accesserint.

18. Cùm sacras Reliquias ex armario defert ad Altare, vel reportat ad loca sua, sit superpelliceo cum stola paratus, vel etiam Pluuiali, si sit consuetudo, coloris conuenientis, & duo Clerici etiam superpelliçeis induti, vel saltem vnus cum cereis accensis.

19. Si deferendæ sunt Reliquiæ pro officio diuino ad Altare, id fiat hora commoda iuxta locorum consuetudinem, & in Altari duo saltem, si fieri possit, cerei ardeant, vel lampas aut plures. Et cum armarium aperitur vt sacræ Reliquiæ ibidem tantùm populo ostendantur, accendantur priùs duæ candelæ, ac si eas contrectaturus est superpelliceo & stola priùs induatur.

20. Quotidie ab ea hora qua prima celebranda est Missa, in Ecclesia præsto sit ad omnia, nec inde recedat, nisi prius omnibus illius diei Missis absoluris, & si rationabili ex causa eum abesse contingat, de superioris licentia alium idoneum ministrum, in sui locum substituat.

ANNOTATIONES.

§ 1. Officium Sacristæ, ab officio Cæremoniarij prorsùs distinctum esse debet, ne mutuò sese impediant, est magnæ dignitatis, fidelitatis, & laboris, ipsi enim cultus diuinus committitur, & eius probitati relinquitur totius Ecclesiæ thesaurus videlicet SS. Eucharistiæ Sacramentum, ac eius fidelitati commendantur omnes res sacræ, vasa, ac supellex Ecclesiæ.

§. 2. Sacristæ potest dari coadiutor vnus vel plures qui in hisce partibus vocari solent Custodes, æditui siue Campanarij quorum officium est aperire, vel claudere fores Ecclesiæ suo tempore, concinnare lampades præparare ampullas vinum & aquam, conficere hostias, campanas pulsare, necessaria pro Missa solemni, siue priuata præparare & alia huiusmodi peragere, quibus fortè Sacrista vacare non potest.

§. 3. Quia autem Custodes siue Campanarij Ostiariorum in Ecclesia munus gerunt, ac pleraque obire tenentur, quæ vetus Ecclesia, nullis nisi in minoribus Ordinibus constitutis agere permisit vt Sanctorum Ordinum functiones in vsum iuxta Sacros Canones reuocentur, nec ab hæreticis tanquam otiosæ traducantur, & homines laici leues, nulloque rerum Ecclesiasticarum imbuti à ministerijs Ecclesiasticis arceantur, cura deberet esse illis ad quos pertinet, vt ad Ostiariorum, Custodum, Ædituorum, seu Campanariorum ministerium non alij admittantur, quam Deum timentes, religiose pij, honestæ vitæ, non tabernarij non infames, non bigami, non aliquod officium sordidum exercentes, aut tonsura Clericali non insigniti, sed Clerici boni nominis & famæ, honestæ etiam conversationis, & cantus choralis periti.

§. 4. Barbam aut comam indecentem dicti Ædituui non nutriant, sed tonsuram ac habitum gestent Clericalem, & cùm ministeria sua exhibent, mundis superpelliceis semper induti esse debent.

§. 5. Ostia Ecclesiæ diligenter custodiant, eaque debitis temporibus aperiant, ac finito diuino officio mox claudant maximè si templa in quibus seruiunt, eo constituta sint loco vt compendij gratia quasi per plateam publicam, publicus per eam transitus irreuerenter fiat, aut non tam orationis, quàm profanæ deambulationis causa, conuenire eò hòmines soleant.

§. 6. Nullos ementes aut vendentes in propylæo Ecclesiæ, aut præ illius foribus propriùs quàm deceat, Christi exemplo patrantur; & maximè eos hinc abigant qui vinum venduut adustum, aut alia per quæ homines à frequentatione Ecclesiæ auocari solent.

§. 7. Cœmiteria ab omni spurcitie & immunditia, Sancta custodiant, caueantque ne quid in eis indecore fiat.

§. 8. Canes, porcos, aliasque bestias à domo & aula Sancta Dei perpetuo arceant, ac mox si quando illam ingressæ fuerint, eijciant.

§. 9. Prophanas deambulationes, risus, rixas, incondita & irreligiosa colloquia, inuerecundas & importunas eleëmosynarum emendicationes, & quæcumque orationis aut concionis tempore, Sacerdotum aut populi animum in diuersa trahere possunt, pro virili sua parte & domus Dei zelo, prohibeant.

§. 10. Ab

§. 10. Ab omnium sordium genere Ecclesiam sempermundam tueantur, impedimenta quæcumque ex eadem reponant, quotannis minimùm ter, omnes parietes, omnesque fenestras vitreas, sacras imagines, columnas, altaria, eorumque fornices, lacunaria atque tegumenta perpetuâ curâ ab omni puluere & aranearum telis liberent.

§. 11. Varietas & distinctio colorum in sacrificio Missæ, alijsque diuinis officijs adhibendorum non pro custodum voluntate varietur, sed iuxtà vsum Romanæ Ecclesiæ in Rubricis præscriptum mutetur.

§. 12. Diligentissimè curent, vt ne venerabiles ac pretiosæ Sanctorum Reliquiæ vilescant, ac sine cultu iaceant, vel irreuerenter ab aliquibus tractentur; sed nec ipsi id faciant, neque eas aut sacros calices, patenas, aliaque sacra vasa, corporalia, purificatoria, nisi in sacris ordinibus constituti fuerint, attingere ausint: ne temeritate sua, iram Domini super vniuersum populum inducant.

§. 13. Quandocumque quis sacrificaturus est, signo campanæ id populo indicent, altare patent, cereos accendant, cæteraque in Sacrificio Missæ necessaria præparent: Sacerdoti quoque in tempore idoneum ministrum accersant, aut si is haberi poterit, aut in administrando non rectè suo fungatur officio; ipsimet Sacerdoti administrent.

§. 14. Casulas, quibus Dalmaticæ aliquæ correspondent, ad alias Missas, quæ sine Diacono & Subdiacono celebrantur, non exponant; ne crebriori vsu inter se dissimiles fiant; & dalmaticis integris, casulæ detritæ, & consumptæ sint.

§. 15. Absoluto Sacrificio, cereos extinguant, altare contegant, omnia quæ apportauerant portent, suis locis singula restituant. Vestes sacras, non quidem tumultuariò, sed seruatâ plicandi arte ac ordine, debito modo conuoluant, & in vestiario, sine offensione, suauiter reponant

§. 16. Hostias, in singulos saltem menses nouas, recentes, pulchras, & integras habeant, ac eas quæ elapso mense superfuerunt, consumant. Vinum autem semper purum sit, ac tanto dignum mysterio ac conueniens; non acetosum, non corruptum, vel nimis aquosum, aut à natura sua deficiens. Ne quod mensis, corpotisque refectioni abominabile esset, atque voluptatis

posset esse remedium, id sacrificijs, ad placandum Dominum exercituum, satis bonum, præstans ac genere ipsum habeatur.

§. 17. Aquam etiam in vsus Sacrificiorum limpidissimam semper habeant, quotidiéque recens hausta; non in lauacro, aut situla, vnde immergendo vrceolos aut ampullas hauriatur; sed in mundissimo & decenter cooperto angustiori poculo, & huic duntaxat vsui seruiente, ex quo in ampullas fundatur.

§. 18. Aquam lustralem singulis septimanis in aquiminarijs & amulis renouent; aquiminaria & amulas mundent, & ne quis faciem, manus, vel aliud quidquam in his abluat, prohibeant.

§. 19. Candelabra ac reliqua omnia, ænea, ac stannea vasa & ornamenta, bis minimùm quotannis ab omni squalore, ac rubigine accurate expurgari faciant.

§. 20. Nunquam Domum Dei vel mundent, vel exornent nec aliquid quod tumultum in ea facere posset faciant; nisi cùm finito diuino officio fores templi clausæ esse solent.

§. 21. Horologia sua rectè dirigant, totius enim reipublicæ plurimum interest accuratum temporis haberi rationem.

§. 22. Manè, meridie, ac vesperi ad innouandam incarnationis, ac passionis Dominicæ, campanæ maioris pulsu dent signum. Idem facere debent ad eleuationem corporis & Sanguinis Domini nostri Iesu Christi sub summo Sacro.

§. 23. Cùm corpus Dominicum ex tabernaculo proferendum erit, vel aliàs aliam ob causam Tabernaculum Venerabilis Sacramenti aperiendum, non ipsi hoc faciant, multò minùs à mulieribus fieri debet vt in multis Parochialibus, alijsque Ecclesijs cum scandalo fieri solet, sed duntaxat Sacerdotes aut ad minimùm qui in sacris ordinibus sunt constituti.

§. 24. Quando tempore diuini officij Christi fideles munera sua ad altare offerunt, non ea mox à facta oblatione auferre debent, sed peracto diuino officio, actum fideliter in Gazophylacium Ecclesiæ mittant, aut ijs quibus ea tradere tenentur tradant.

§. 25. Ad recipiendas ad Altare fidelium oblationes, quæ vel stationum, vel alio quouis tempore offerri solent: nusquam, ne in monasterijs quidem aut Collegijs Virginum, femina præficiatur, aut etiam in Sacristia munus Custodis obeat.

§. 26.

§.16. Quando Christiano more cerei, aut candelæ à Christi-fidelibus offeruntur, & ad declarandam suam in Deum voluntatem, vt sint in holocaustum accendantur: non eos vel ad priuatos vel ad alios, quàm à populo offeruntur vsus auferant. Sed quod offerentes volebant, ad consumptionem suam ardere sinant, ne cadant in peccatum puerorum filiorum Heli, de quibus dicit Scriptura, *Quod erat peccatum eorum grande nimis coram Domino quia detrahebant populum à Sacrificio Domini.*

§. 27. Nihil vnquam ex Ecclesiæ ornamentis aut thesauris, aut quacumque supellectile Ecclesiastica extra Ecclesiam efferant, aut alijs ad ornandam Ecclesiam suam dent mutuum, citra consensum superiorum suorum.

§. 28. Omnia & singula, quorum cura ac custodia eis credita est, quemadmodum iureiurando tenentur, fideliter seruent, atque custodiant ac fidelitatis suæ quotannis minimùm semel, iuxta Ecclesiæ inuentarium seu repertorium faciant fidem.

§.29. Quotidiè ab ea hora quâ prima Missa celebranda est in Ecclesia, præsto debent esse ab omnia, necinde recedere, nisi priùs omnibus illius diei Missis absolutis, & si rationabili ex causa eos abesse contingat, de superioris licentia alium idoneum ministrum in suum locum substituant.

§.30. plura adhuc de Sacristia, Custodibus, Campanarijs seu Ædituis in diuersis locis huius operis dicta sunt, quæ hic commodè repeti non potuerunt ob eorum multitudinem, & varietatem.

TITVLVS XXVII.

De officio Organistæ.

1. QVicumque ad fungendum officium Organistæ in Ecclesia assumendus est, is bonis moribus præditus, & artis pulsandi organa peritus esse debet, & vbi Ecclesiastici periti inueniuntur laicis præferendi sunt, si tamen Ecclesiasticus *Cærem. Epis. lib. 1. cap. 38.*

siasticus aptus non reperiatur, laicus Catholicus, modestia, & grauitate præditus eligatur, qui semper habitu decenti, detecto capite, & qua decet reuerentia suum exequatur munus.

Carem. Epis. loco citato.

2. In omnibus *Dominicis* & festis per annum occurrentibus, maximè in quibus à seruilibus operibus abstinendum est, decet vt in Ecclesijs si non musicorum cantus, ad minus organum adhibeatur, exceptis tamen Dominicis Aduentus, *Septuagesimæ*, *Sexagesimæ*, ac Quadragesimæ cùm illis temporibus, non nisi Dominica tertia Aduentus quæ *Gaudete* dicitur, & quarta Quadragesimæ *Lætare* appellata, quæ sunt dies lætitiæ organa pulsari debent.

3. In Missis & officijs Defunctorum nunquam adhibentur organa.

Carem. ibid.

4. In festis quæ tempore Aduentus & Quadragesimæ occurrunt, organa cessant, excipiuntur tamen aliquæ festiuitates solemnes videlicet Annuntiationis in Quadragesima, Conceptionis in Aduentu & aliæ similes, aut quandocumque concurrit aliqua solemnitas in eis ferijs, quæ cum lætitia, pro aliqua re graui celebratur veluti preces 40. aut 10. horarum. In ipsa autem feria quinta in Cæna Domini pulsantur organa in Missa ad *Kyrie eleyson* & ad *Gloria in excelsis* tantùm: & Sabbatho Sancto à *Gloria in excelsis* tantùm & ad reliquum officium, vt in alijs festis solemnibus.

Carem Epis. lib. 2. c. 28.

5. In Ecclesijs igitur in quibus est vsus Organi pulsantur organa ad vtrasque solemnes Vesperas statim ac Celebrans exit à Sacristia paratus, nec priùs silet, donec in loco suo sedeat, & ei datum fuerit à Cæremoniario signum incipiendi. Deinde debent etiam pulsari in fine Psalmi post versum, *Sicut erat in principio, &c.* loco Antipho-

næ

næ quæ repeti deberet, & alternatim in versibus Hymnorum, & Cantici *Magnificat*, ita tamen vt primi versus Hymnorum, & prædicti Cantici cantentur à Choro in tono intelligibili, non autem ab Organo, quod etiam seruandum est in quibusdam versibus Hymnorum ad quos genuflectere debemus: qualis in Cantico *Te Deum laudamus* versiculus est *Te ergo quæsumus, &c.* & in Hymno *Pange lingua* versiculus *Tantum ergo Sacramentum, &c.* (quando ipsum Sanctissimum Sacramentum in Altari patenter est expositum non verò aliàs) etiam si versus immediatè præcedens fuerit decantatus à Choro. Sed etiam seruatur in vltimis versibus hymnorum, & in versu *Gloria Patri*, ob reuerentiam SS. Trinitatis, cuius laudes ore decantare debemus, quod nemini mirum videri debet, si hæc perpendantur exactè.

6. Ad Matutinas solemnes pulsantur Organa ad hymnum primi nocturni, & ad *Te Deum laudamus* alternatim, versus tamen *Te ergo, &c.* cantatur à Choro genuflexo tono intelligibili, non autem ab Organo. Ad laudes pulsantur Organa vt ad Vesperas *Carem. Epis. lib. 2 c. 5.*

7. In reliquis Horis Canonicis quæ in Choro cantantur, non est consuetum interponere Organum. Sed si in aliquibus locis consuetum esset Organa pulsari ad Horas Canonicas, præsertim sub Hora Tertia & Completorio, poterit illa consuetudo seruari, ad Tertiam quidem dum Episcopus solemniter celebraturus capit Sacra paramenta; Ad Completorium verò ad Hymnum *Te lucis. &c.* ad Canticum *Nunc dimittis. &c.* & in fine Completorij ad Antiphonã de Beatissima Virgine Maria, seruatis tamen semper regulis supradictis. *Carem. Episc. lib. 1. c. 28.*

8. In Missa solemni pulsantur Organa alternatim cùm dicitur *Kyrie eleyson, Gloria in excelsis,* *Carem. Episc. lib. 1. c. 28.*

Item

Item finita Epistola dum cantatur Graduale, & Sequentia. Item ad Offertorium, vsque ad Præfationem. Item ad *Sanctus* alternatim. Ad eleuationem SS Sacramenti grauiori & dulciori sono, & facta eleuatione, Chorus prosequitur *Benedictus qui venit, &c.* stando. Item ad *Agnus Dei* alternatim, sub Communione, & in fine Missæ. Ad Symbolum nunquam intermiscendum est Organum, sed illud a Choro cantu intelligibili tractim, ac deuote totum cantandum.

Carem. Epis. lib. 2. cap. 8.

9. Pulsantur etiam Organa quotiescumque Episcopus solemniter celebraturus Ecclesiam ingreditur, dum orat ad Altare & capit paramenta donec detur Organistæ signum cessandi, & re diuina peracta discedit.

10. Item aduenientе Legato Apostolico, Cardinale, Archiepiscopo, aut Episcopo proprio, aut etiam extraneo quem Episcopus honorare voluerit, aut etiam Principe, vbi primùm fuerint ingressi Ecclesiam, donec ad Altare genuflexi orauerint.

Carem. Epis. loco citato.

11. Possunt quoque pulsari Organa in Collatione Ordinum, & more Romano ad Hymnum *Veni Creator, &c.* & in consecratione Episcopi ad prædictum hymnum, & Psalmum *Ecce quam bonum* alternatim, si sit consuetudo, & in alijs huiusmodi actionibus. Denique dum transit Processio solemnis aliquam Ecclesiam.

ANNOTATIONES.

Carem. Epis. lib. 1. cap. 28.

§. 1. Notandum, quod quandocumque per Organum versiculis Hymnorum, aut Canticorum respondetur, semper idem proferendum esse, ab aliquo de Choro intelligibili voce, nisi sit aliquis qui cantet cum eo, quod videtur intelligendum, tantùm de officio Canonico, non de Missa, aut alijs huiusmodi.

§. 2. Aduertat benè Organista, vt hic abusus tandem aliquando tollatur, nempe ne Introitus, Epistola, Præfatio, Symbolum, & Oratio Dominica, quæ sunt præcipua,

præcipua, quæ in Missa cantanda sunt, organorum pulsatione, aut Musicorum concentu, mutilentur aut intercipiantur.

§. 3. Vigilet quoque ne tantus Organicus aut nimiâ præcipitatione ac breuitate suâ maiestati cultus diuini aliquid detrahant, aut Clero & astanti populo nimia protractione tædium aut fastidium pariat. Sed cantu Gregoriano reuerenter ac grauiter cantato, paulò diutius duret. Ideoque attentè obseruet Organista tinnitum campanulæ vel signum alicuius ad hoc constituti, quo monetur quando inchoandum, vel finiendum.

§. 4. Vt Organum rectè custodiatur, clausum semper maneat, nec nisi diebus festis, quibus eo vtendum aperiatur, & sæpè à puluere & telis aranearũ mundetur.

§. 5. Neminem quoque super vel intra Organa admittat Organista præter Cantores, aut alios quibus opus est

§. 6. Cauendum autem est ne sonus Organi sit lasciuus, aut impurus, & ne cum eo proferantur cantus, qui ad officium quod agitur non spectent, ne dum profani, aut ludicri, nec alia instrumenta musicalia, cum Organo pulsentur, nisi tubæ, tibiæ, aut corneæ; similiter leuia ac minùs decentia motteta nullo modo recitentur in fine Psalmorum, nec prorsus in toto diuino officio.

§. 7. Præterea Organista cum Magistro Chori, & Cæremoniario frequenter conueniat & de officio instituendo conferant.

§. 8. Præstet quoque vt Episcopus probet ea quæ cantanda sunt à Musicis in Organo, & non Litanias aut alia à Sede Apostolica non approbata cantentur.

§. 9. Obseruent quoque Cantores & Musici ne vocum harmonia, quæ ad pietatem augendam ordinata est, aliquid leuitatis, aut lasciuiæ præ se ferat; ac potiùs audientium animos, à rei diuinæ contemplatione auocent, quàm ad pietatem excitent; ideoque sit deuota, distincta & intelligibilis. *Cærem. Episc. lib. 1. cap. 28.*

§. 10. Denique quamuis iuxta Cæremoniale Episcoporum sub eleuatione Corporis & Sanguinis D. N. Iesu Christi Organum grauiori & dulciori sono pulsari debeat, nihilominùs vt totus animus Christi fidelium, omnesque internæ vires nullo distrahente eos sono omnimodè intendant ad recolendam mortis ac dilectionis Christi memoriam; sub eleuatione Corporis *Cærem. Episc. lib. 2. c. 28.*

poris ac Sanguinis D. N. Iesu Christi, in canticis & Organ's altissimum potest seruari silentium: omnesque quotquot sunt in templo, Clerici, Cantores, Organistæ, Custodes, iique qui Organorum folles agunt, in genua procumbere, & facie ac animo ad SS. Sacramentum conuersi, Deum cum omni deuotione ac pietate adorent.

PARS V.

TITVLVS I.

De Vesperis solemniter Celebrandis.

Cærem. Epis. lib. 2 cap. 3. Gauantus comment. in Rubr Breuiarij sect. 20. c. 3. n. 8.

1. SAcerdos hebdomadarius officium Vesperarum solemniter facturus, in Sacristia pluuiali coloris tempori seu festo conuenientis supra superpelliceum sine stola aut etiam super Amictum, Albam, Cingulum, & stolam in modum crucis ante pectus indutus, medius inter duos assistentes similiter indutos iunctis manibus & cooperto capite procedit è Sacristia ad chorum hoc ordine.

Gauantus loco cit.

2. Procedunt duo Acolythi deferentes candelabra cum candelis accensis; quos sequitur solus Cæremoniarius, si adest, tum alij de clero bini, deinde ministri pluuialibus induti bini & bini, postremò Celebrans medius inter duos vltimos pluuialibus indutos, qui fimbrias anteriores pluuialis ipsius parumper eleuant: & omnes hi, exceptis Acolythis, operto capite, iunctis manibus, oculis demissis & incessu modesto procedunt, nemini caput detegentes nisi Episcopo, aut alijs Prælatis, aut summis Principibus.

Cærem. Epis. lib. 2. c. 1.

3. Cùm peruenerint ante Altare, discedentibus alijs ad Chorum, Celebrans, ministri pluuialibus induti, & Acolythi stabunt Lineâ rectâ, Ceroferarij erunt omnium postremi hinc, inde à

lateribus, in eorum medio presbyteri pluuialibus parati, & inter ipsos medius sacerdos Celebrans paratus: simulque omnes detecto capite genuflectent, genuflexique parumper orabunt, deponentibus Acolythis sua Candelabra, cum cereis extinctis super gradu Altaris laterali seu plano Capellæ.

4. Sacerdos Celebrans cum assistentibus & Cæremoniario, postquàm aliquantulùm orauerint surgit, & facta pariter altari profunda inclinatione, vel si in eo sit Sanctissimum Sacramentum denuò genuflexione, ducente Cæremoniario accedit ad parata scamna in cornu Epistolæ, ibique Celebrans sedet altiùs alijs assistentibus puluino saltem supposito. Vel Celebrans cum ministris prædictis salutando canonicos ab vtraque parte Chori capitis inclinatione, ducente Cæremoniario, accedit ad primum stallum seu sedem ab ea parte vbi illa hebdomada Chorus assignatur, in qua sede positum sit puluinar, & alterum cum tapete super scamno seu genuflexorio ante eundem posito super quo erit liber continens Antiphonas, Hymnum. & alia quæ erunt dicenda ad vsum Celebrantis, vel super legili; quod apponitur, & amouetur, pro vt opus est. Reliqui parati ibunt ad scamna loco congruenti parata in plano Chori. Celebrans verò sedet ibi paululum stantibus alijs paratis ante eum in plano: interim campanæ pulsantur, & organa tanguntur, donec per Cæremoniarium detur signum Celebranti, incipiendi, tunc enim statim cessant organa. *Cærem. Epis. loco cit.*

5. Cùm per Cæremoniarium sit signum inchoandi, Celebrans surgit, surgentibus omnibus de Choro, & stans detecto capite, dato bireto Cæremoniario, aut alio Clerico, versus Altare dicit manibus iunctis & secretò *Pater noster* & *Aue Maria* *Cærem. Epis. lib. 2. cap. 1.*

quibus

quibus integrè dictis eleuatur eidem pars dextra pluuialis anterior per viciniorem paratum, seu per Cæremoniarium, & idem manu dextra, palmæ manus ad se versa, & omnibus digitis iunctis & extensis, faciens sibi signum Crucis à fronte ad pectus cantat intelligibili voce *Deus in adiutorium meum intende.* Et pro vnoquoque verbo tangit manu primò frontem, deinde pectus, mox humerum sinistrum, vltimò dextrum ita vt finiat verba & Crucis signum & in fine iungit manus ante pectus.

6. Cùm chorus cantat versum *Gloria Patri, &c.* annuente Cæremoniario Celebrans & omnes alij caput inclinant versus Crucem super Altari vsque ad versiculum *Sicut erat, &c.* qui cum dicitur primus ex assistentibus ministris paratis, factâ altari reuerentiâ, ac ducente Cæremoniario, aut alio, si absit, accedit ante ipsum Celebrantem, cui profundè se inclinat, cauens tamen ne terga vertat Altari & expleto per Chorum Versiculo *Sicut erat, &c.* & *Alleluia* vel *Laus tibi Domine, &c.* ipse stans præintonat illi antiphonam primi psalmi, qua per Celebrantem repetitâ, ipse iterum factâ reuerentiâ ante illum, & Altare, vt priùs, recedit cum Cæremoniario ad sedilia in plano Chori deposita, hinc inde, & ornata panno viridi, aut tapetibus, ibi stat cum alijs.

Carem Epis. loco citato.

7. Expleta per Chorum Antiphona ipsi Assistentes ex consuetudine aut duo Cantores superpelliceis induti, intonant primum versum psalmi vsque ad medium in medio Chori. Quo inchoato, & non priùs Celebrans & omnes alij sedent, tecto capite sicque remanent, sedentes vsque ad Capitulum, nisi quatenus pro intonatione Antiphonarum & Psalmorum surgere debeant.

8. Cùm dicitur versus *Gloria Patri, &c.* in fine cuiuslibet psalmi, omnes caput deregunt, illudque

que sedentes profundè inclinant, eo modo inclinati permanentes vsque ad versiculum *Sicut erat*, &c. exclusiuè.

5. Reliquas quatuor Antiphonas Cantores duo præintonant Canonicis ab vtraque parte Chori per ordinem incipiendo à dignioribus ; & cùm aliquis ex Canonicis resumpturus Antiphonam surgit, pariter omnes, tam Canonici, quàm alij de clero surgunt & illo sedente, sedent. *Carem. Epis. lib. 2. c. 1. & 5*

6. Cùm cantatur vltimus Psalmus, thuriferarius, facta debita reuerentia Celebranti, & Choro, accedet ad Altare, vbi facta ei priùs genuflexione, accendit cereos Ceroferariorum. Deinde facta iterum genuflexione recedit in Sacristiam vbi in thuribulo ignem præparat & alia sibi necessaria.

10. Circa finem eiusdem vltimi Psalmi, Ceroferarij comite Ceremonario factis Celebranti, & Choro debitis reuerentijs accedunt ad Altare, vbi genuflectunt, candelabra cùm cereis accensis accipiunt, & dum repetitur vltima Antiphona, vel citius, ambo, eodem comite Cæremoniario cum eisdem cereis accensis simul cum dictis ministris paratis accedunt ad Celebrantem, eique faciunt reuerentiam, seque hinc inde ante eum & à lateribus eius in plano collocant facie ad se inuicem versa.

11. Finita vltima Antiphona seu sono organi, Celebrans surgens, biretum tradit Cæremoniario, capite detecto iunctisque manibus stans Capitulum cantat ex libro super pulpitum vel genuflexorium posito, vel etiam ab aliquo Clerico sustentato.

12. Finito Capitulo, & responso per Chorum *Deo gratias* vnus ex ministris assistentibus paratis, priùs facta altari debita reuerentia, accedit propriùs ante faciem Celebrantis, eique præintonat *Carem. Epis. lib. 2. cap. 1.*

nat initium Hymni, quo per eum repetito, assistentes factis iterum debitis reuerentijs, recedunt ad loca sua, vbi stant nudo capite sicut & Cæteri de Choro vsq; ad finem Hymni; Ceroferarij post inchoatum Hymnum reponunt Candelabra in loco aliquo congruo Chori, vel iuxta Altare, si Chorus non multum ab Altari distet.

13. Post Hymnum duo ex ijsdem paratis assistentibus, accedentes ad medium Chori ante Altare cum debita reuerentia æqualiter ibi stantes cantant simul Versum voce altiori, quibus Chorus respondet. In plurimis tamen Ecclesijs, duo Acolythi, & sæpè Ceroferarij, pari disciplina, eundem versum in eodem loco decantant manibus iunctis, & sine candelabris.

14. Dum Chorus respondet ad versum, dignior assistentium comite Cæremoniario, rediens ante celebrantem cum debita reuerentia præintonat illi Antiphonam ad *Magnificat*, qua per Celebrantem repetita, ipse Celebrans, & alij omnes in Choro sedent, si sit festum duplex quousque per Chorum perficiatur.

15. Interim duo Acolythi, seu ipsi Ceroferarij accendunt ad Altare, vbi facta genuflexione hinc inde, eleuant partem anteriorem veli, seu tapetis illi superpositi, nisi fortè illud iam antè factum fuerit. Deinde Candelabra recipiunt & cum debita reuerentia accedunt ad Celebrantem, vel ad medium Chori, vbi stantes Celebrantem expectant. Si tamen Chorus sit iuxta vel prope Altare, ibidem expectant.

16. Finita Antiphona in Choro, duo ex assistentibus pluuialibus indutis, intonant Canticum *Magnificat*, & tunc omnes surgunt; Celebrans verò, omnesq; alij assistentes depositis biretis suis super sedilia sua, factoq; sibi signo Crucis à fronte ad pectus, saluantes hinc inde Canonicos

nonicos capitis inclinatione nudo capite, manibusque iunctis ad Altare procedunt : Thuriferario, Ceroferarijs, & Cæremoniario ante eos præcedentibus, ita vt duo postremi assistentes, hinc inde eleuent partem anteriorem pluuialis Celebrantis.

17. Deinde ante infimum gradum, facta Altari debita reuerentia Celebrans cum duobus dignioribus assistentibus ascendit ad medium Altaris, eoq; osculato cõuertens se ad cornu Epistolæ, imponit ac benedicit thus in thuribula ministrante primo assistente Cochlear & Nauiculam, & Thuriferario Thuribulum ; acceptoque Thuribulo per manum eiusdem assistentis Thurificat Crucem, Reliquias, seu imagines & Altare nihil dicens eo prorsùs modò , vt pagina 286. præscriptum est, Assistente à dextris ipsius, eleuante partem dextram pluuialis, altero à sinistris, ne ipsum Thurificantem impediant ; interim verò alij assistentes, si adsint, stant in plano versâ facie ad Altare. *Carem. Epis. lib. 2.*

18. Si aliud Altare est incensandum, puta in quo asseruatur SS. Sacramentum , seu alicuius Sancti, pro more locorum de quo fuit festum, præcedunt Acolythi, & procedunt alij parati, vt in initio Vesperarum ; atque Celebrans ea omnia facit quæ in incensatione Altaris fiunt, excepto quod non ponit incensum in Thuribulum. *Gauantus sect. 10. c. 3. num. 18.*

19. Incensatione Altaris, seu Altarium peracta , Celebrans reddit Thuribulum primo assistenti, & ille Thuriferario stanti in cornu Epistolæ, tum rediens ad medium Altaris, & assistentes hinc inde simul cum eo caput inclinant Cruci, posteà in planum descendentes , debitas facient Altari reuerentias & eo ordine in Chorum redeunt quo venerant, ac seruatis ijsdem salutationibus. *Gauantus loco citato. n. 19.*

20. Mox

20. Mox Celebrans stans in loco suo, inuito priùs ad honorem incensationis capitis inclinatione Canonico proximiori seu digniori qui immediatè, post eum incensari debet, incensatu à digniori assistente triplici ductu, cum profunda inclinatione ante & post incensationem, cui etiam Celebrans modicum respondet.

21. Deinde Thuriferarius recepto de manu eiusdem Assistentis thuribulo, thurificat omnes Canonicos Ordine suo, cum reuerentijs ante & pòst duplici ductu. Si Assistentes sint eiusdem ordinis cuius sunt Canonici, incensantur ante Canonicos, quia sunt parati; Si verò inferioris, post Canonicos, sed semper duplici ductu, cæteros de Choro vnico ductu, & postremò populum, vt in Missa, in medio, à dextris & à sinistris, Celebrante autem cantante *Dominus vobiscum* cessabit à thurificatione quamuis non omnes thurificati fuerint.

Carem. Episc. lib. 2. cap. 3.

22. Dum dicitur versus *Gloria Patri*, Thuriferarius cessans ab incensatione se inclinat versus Altare, quo dicto, prosequitur incensationem, si iam non est completa.

23. Cùm repetitur Antiphona post Canticum Magnificat, tunc, non priùs, sedent omnes. Interim Acolythi duo cum Candelabris, ac Cereis accensis & ministri parati accedunt ad Celebrantem assistendo, vt suprà, factis solitis reuerentijs.

24. Expleta Antiphona, omnes surgunt, & Celebrans iunctis manibus, ac nudo capite, cantat versus Altare *Dominus vobiscum*, *Oremus*, & Orationem cum sua conclusione, vel plures pro qualitate temporum, secundum regulas & Rubricas Breuiarij.

25. Quâ seu quibus finitis, dum Celebrans dicit *Dominus vobiscum* duo ex assistentibus, facta inclina-

inclinatione Celebranti, accedunt ad medium Chori versus Altare, vbi anteà versum decantauerunt, ibique facientes priùs Altari debitam reuerentiam, cantant *Benedicamus Domino*, tum facta iterum debita reuerentia ad Celebrantem redeunt, responsoque per Chorum seu Organum *Deogratias* Celebrans humiliore voce dicit versum *Fidelium anime, &c.*

26. Dum dicitur *Benedicamus Domino* Ceroferarij cum debitis reuerentijs recedunt & candelabra vbi priùs in Choro deponunt, si statim Celebrans non debet recedere in Sacristiam. Thuriterarius verò depositò suo thuribulo in sacristia, redit in Chorum.

27. Si faciendæ sint aliquæ commemorationes, Antiphonæ debent inchoari à quibusdam Cantoribus designatis regulariter, vel à duobus ex Assistentibus, versus verò à duobus tantùm Cantoribus debent decantari.

28. Si Completorium immediatè dicitur post Vesperas, dicto a Celebrante *Fidelium animæ*, vt suprà, Assistentes, sumptis biretis de manu Cæremoniarij, cum Ceroferarijs, & eodem Cæremoniario salutatis Clericis, nudo capite ab vtraque parte Chori, discedunt per Chorum, & extra illum tecto capite, eodem ordine quo venerant in Sacristiam redeunt, & si contingat eos transire ante, vel prope maius Altare, genuflectere debent ad gradus illius, vt initio Vesperarum, ibique aliquantulùm orent: si verò non sint oraturi. Ceroferarij semper genuflectunt, & alij profundè se inclinant nudato capite, posteà in Sacristiam redeunt.

29. Si verò non sequatur Completorium, dicto à Celebrante grauiori voce *Dominus det nobis suam pacem*, post Orationem Dominicam, *Gauantus sect* 10. *c.* 8. *num.* 23.

Celebrans incipit eadem voce Antiphonam de B. Maria Virgine, quam posteà stans ibidem, vel genuflectens pro ratione temporis prosequitur cum alijs; quâ finitâ ipse Celebrans etiam stans, vel genuflexus dicit versum, & stans semper dicit *Oremus* & Orationem, in cuius fine dicit *Diuinum auxilium, &c.* Tum Ceroferarij candelabra sua resumunt, ad Celebrantem accedunt, & cum eo & alijs facta debita Choro, & posteà Altari reuerentia, omnes, paramenta deponunt, adiuuantibus ijsdem Ceroferarijs.

30. Si immediatè post Vesperas facienda sit Processio, aut cantandæ Litaniæ tam B. Mariæ Virginis quàm omnium Sanctorum, aut continuandum aliud officium, statim dicto *Benedicamus Domino*, id faciendum est omisso versu *Fidelium anima, &c.* Qui versus etiam non dicitur quando immediatè dicitur officium Defunctorum; aut immediatè post horam aliquam dicitur Missa siue solennis, siue priuata, modò sit Conuentualis.

ANNOTATIONES.

a *Cæremon. Episc. lib. 2 cap. 3.*

§ 1. Notandum quod supradicto ordine semper iuxta Dominicis, & festiuis, quæ à populo obseruantur, à Canonico Hebdomadario, tam in Collegiatis, quàm Cathedralibus absente Episcopo, Vesperæ secundentur, eâ tamen moderatione adhibitâ, quod in festis solemnioribus, vt in Natali Domini, Epiphania, Paschate Ascensione, festo Pentecostes, Corporis Christi, Apostolorum Petri & Pauli, Assumptionis B. Mariæ Virginis, omnium Sanctorum, Sancti Titularis Ecclesiæ & Patroni Ciuitatis vel Ecclesiæ Dedicatione ser minister cum pluuialibus Sacerdoti Vesperas celebranti assistere possint. In alijs festis immediate subsequentibus diem Natalis Domini, Paschæ & Pentecostes. Item in festis Circumcisionis Domini, Purificationis, & Annuntiationis B. Mariæ, Trinitatis, & S. Ioannis Baptistæ, quatuor cum pluuialibus adhibeantur, in Dominicis & alijs festis duo.

§. 2. Quan-

§. 2. Quando Officium Vesperarum sit sine assistentibus, vt in minoribus Ecclesijs, & quibusdam Congregationibus, horâ competenti Celebrans indutus paramentis suis, vt suprà, procedit tecto capite in Chorum præcedentibus Thuriferario sine thuribulo, & alio Acolytho, si fieri potest, à sinistris eius, iunctis manibus, & nudo capite, quos sequuntur Ceroferarij cum candelabris accensis, & pergunt ad Altare vt præcedenti titulo dictum est. Facta oratione ad Altare vadit ad locum suum, vbi incipit Vesperas, intonat Antiphonam primam, alias verò Antiphonas intonant alij Clerici, sicut & Psalmos secundùm consuetudinem. Celebrans cantat Capitulum, incipit Hymnum, & Antiphonam ad *Magnificat*, & cum supradictis quatuor Acolythis præcedentibus cum thuribulo, & candelabris procedit ad Altaris incensationem, vt tit. præcedenti, & tum thuriferarius & eius socius supplent vices Assistentium in ministrando nauiculam & thuribulum, & eleuando hinc inde pluuiale Celebrantis dum incensat Altare dimissâ priùs nauicula ab eo qui eam ministrabat in loco congruo. Postea reddito thuribulo, & factâ Altari reuerentiâ redit in Chorum cum prædictis ministris, ibiq; incensatura Thuriferario, & alij omnes vt suprà: & finitis Vesperis redeũt eo ordine quo venerant in Sacristiam. Hic modus Celebrandi Vesperas in Ecclesijs ruralibus & Parochialibus minoribus, videtur aptior & conuenientior, & valde conformis Cæremoniali Episcoporum. Atque si in prædictis Ecclesijs immediate sequitur. Completorium, dicto *Fidelium animæ* debet statim deponere Pluuiale quod alter Acolythorum defert in Sacristiam, & ipse Celebrans reliqua prosequitur.

§. 3. In Vesperis Psalmi decantari debent à Choro, & ab ipsismet Canonicis ac Beneficiatis alijsque in tono & cantu Gregoriano cum grauitate, & decoro, ita vt eorum verba ab omnibus intelligantur; sed Versiculus *Gloria Patri, &c.* poterit solemniore vocis modulatione recitari, ad quem omnes detectis capitibus sedentes, vel prout reperiuntur inclinant: & si placuerit, finito quolibet Psalmo, poterit Antiphona repeti per Organum, modo per aliquos eadem Antiphona repetatur. Et si quis esset qui cum Organo cantare vellet, nihil aliud cantare debet quam ipsam Antiphonam. *Cærem. Episc. lib. 2. c. 2.* *Cærem Episc. lib. 1. c. 28.*

§ 4. Hymnum Chorus prosequi debet in cantu plano *Cærem. Episc.* *lib. 2. c. 6.*

plano, vel Musicali prout placuerit, dummodo verba distinctè intelligantur, cui etiam Organum intermisceri poterit, cùm tamen verba ipsa Hymni clara voce per aliquos pronuntientur, vel cum Organo cantentur. Eademque obseruari debent circa prosecutionem Cantici *Magnificat*.

Carem. Epis. lib. 1. cap. 38.

§. 5. Regulare est siue in Vesperis, siue in Laudibus, vt primùs versus Canticorum, & Hymnorum, in quibus genuflectendum est, qualis est versiculis *Te ergo quæsumus, &c.* & versiculus *Tantum ergo Sacramentum, &c.* quando ipsum Sacramentum est super Altari & similes, cantentur à Choro in tono intelligibili, non autem ab Organo sic etiam Versiculus *Gloria Patri, &c.* etiamsi Versiculus immediate præcedens fuerit a Choro pariter decantatus; idem seruandum in vltimis versibus Hymnorum.

Carem. Epis. lib. 2. cap. 1.

§. 6. Si fuerint Hymni *Veni creator Spiritus, &c.* aut *Aue maris stella &c.* dum Celebrans Hymnum intonat, omnes genuflectunt, & statim ipse Celebrans etiam in suo loco genuflectit, permanens in genuflexione vsque ad finem primi versus; quo finito surgit, surgentibus omnibus, & stat quousque perficiatur.

Car. Epis. lib. 2. cap. 14. Gauantus comment. in Rubr. Breuiarij sect. 10. c. 3. n. 15.

§. 7. Si initium Hymni continet inuocationem Christi vel Dei, v. g *Iesu nostra redemptio? Deus tuorum militum, &c. Veni creator, &c. Iesu redemptor omnium, &c.* Celebrans eleuat & iungit manus, & caput versus Altare inclinat.

§. 8. Si Thuriferarius aduertat non satis restare temporis ad complendam totam incensationem ante Orationem, statim post versum *Gloria Patri*, relicta incensatione Cleri in completa, vel ijs incensatis, quasi sine mora, pergat ad incensandum populum, dum dicitur versus *sicut erat*.

§. 9. In Ecclesijs Cathedralibus, & Collegiatis vrbis, duo Canonici, & duo Beneficiati bini solent procedere post Celebrantem ad Altaris incensationem, & versus Altare genuflectunt, vel se inclinant, dum thurificatur Altare vti facit Celebrans, stantes versâ facie ad Altare: & post incensationem eodem ordine quo venerant sua sedilia repetunt cum honoris significatione ad Celebrantem, ibique cum alijs suo ordine thurificantur. Et hæc consuetudo laudanda, & probanda videtur maximè quando Tabernaculum SS. Sacramenti, est ad altare, aut quando est expositum, sed hæc sicut & alia omnia in hoc Compen-

dio.

dio, & non in ipsis Rubricis, comprehensa superiorum iudicio relinquuntur.

TITVLVS II.

De Vesperis solennibus præsente Episcopo.

1. SI Episcopo placeat, parabitur ei sedes ampla à latere Euangelij prope Altare, ita vt respiciat partem meridionalem, dum sedet super eam. Pro Celebrante verò parabitur scamnum oblongum à parte Epistolæ sed paulò infrà sedem Episcopi, ne Celebrans sit omninò è regione, ita vt Celebrans sit quasi è regione dexteræ Episcopi. *Cærem. Epis. lib. 1. cap. 12.*

2. At cum Celebrans accedit ad Altare cum Ministris, vt suprà & assistentibus suis, salutat prius Episcopum nudo capite, & profundâ inclinatione; deinde altare, Thuriferario, Ceroferarijs & Cæremoniario genuflectentibus; Tum ad altare parumper orant, & posteà factâ iterum altari debita reuerentia, & Episcopo, recedunt ad locum prædictum vbi Celebrans stat in medio suorum Assistentium, si sit consuetudo, vel illi accedunt in Chorum postquàm Celebrantem comitati fuerint ad sedem, & ei primam Antiphonam præintonauerit primus Assistens, siquem si situs loci vbi Celebrans sedet ad id cogat. *Cærem. Epis. cap. 2. n. 2.*

3. Deindè dicitur secretò *Pater noster*, & *Aue Maria*, quod dicto Celebrans facit Episcopo profundam reuerentiam, quasi licentiam petens. Deinde præintonat primam Antiphonam Celebranti primus Assistens, qua præintonata recedunt omnes Assistentes in Chorum præsertim si Psal-

mos & Antiphonas præintonare debent, vel si remanent, vt suprà.

4 Capitulum non per Celebrantem cantatur sed per aliquem non paratum ex Cantoribus in loco vbi cantatur Epistola, cui nulli Assistunt præter Cæremoniarium ex more.

5. Hymnus præintonatur illi, & ipse eum repetit, sicut & Antiphonam ad *Magnificat*, cui etiam ea præintonatur, & dum ea cantatur in Choro, Cæremoniarius ducit Thuriferarium, & (deficiente Presbytero assistente Episcopi,) primum assistentem Celebrantis, ad Episcopum cum debitis reuerentijs, cui ministrat profundè inclinatus, nauiculam, & porrigit ei cochlear vacuum cum solitis osculis dicens ei *Benedicite Pater Reuerendissime*, vel si sit Cardinalis *Eminentissime*, & Thuriferarius ministrat genuflexus, thuribulum.

6. Benedicto incenso & accepta etiam Benedictione ab Episcopo redeunt ad Celebrantem, qui factis debitis reuerentijs Episcopo, & Altari, incensat ipsum altare de more, quo incensato redit ad sedem, vbi duplici tantùm, ductu incensatur, tum Episcopus thurificatur triplici, & duplici ductu eius Assistentes, si habeat. Deinde alij secundum consuetudinem; & reliqua peragit vsque ad *Benedicamus Domino* inclusiuè.

Cærem. Epis. lib 2. c. 6.

7. Responso à Choro *Deo gratias* immediatè, & non præmisso *Fidelium animæ*, Episcopus dat solemnem benedictionem siue sit paratus (& tunc tenet manu sinistra baculum) siue non.

8. Aduertant autem Assistentes, & alij ministri vt semper salutent cum inclinatione profunda vel genuflexione Episcopum dum transeuntem eum, & dum præintonant Celebranti Antiphonam, reuersi non vertant, sicut neque

Cerofe-

Ceroferarij dum tenent candelabra ante eum ad Orationem, & tunc decet vt tam Assistentes, quàm Ceroferarij stent facie sibi conuersa.

TITVLVS III.

De Completorio.

1. QVandocunque Completorium solemni ritu est Celebrandum, Sacerdos Celebrans, aut hebdomadarius, stabit in loco suo Chori, habitu ordinario chorali indutus, officium verò ipsius erit circa hæc, videlicet, vt dicente Cantore *Iube Domne benedicere*, ipse stans respondeat *Noctem quietam, &c.* & post lectionem breuem subdit idem Celebrans *Adiutorium nostrum, &c.* se signans, deinde *Pater noster*. Tum profundè inclinatus dicit *Confiteor* dicens *vobis fratres*, & *vos fratres* conuertit se ad collegiales suos, & sic manet inclinatus donec Chorus totus dixerit *Misereatur tui, &c* conuersus ad ipsum Celebrantem, & tunc surgit, Chorus repetit *Confiteor* ad quod sunt inclinati omnes profundè, & se conuertunt ad Celebrantem dicentes *Tibi Pater*, & *te Pater*, & dum Celebrans dicit *Misereatur vestri, &c.* conuertit se ad Chorum, & ad *Indulgentiam* se signat. *Caerem. Epis. lib. 2. c. 4.*

2. Deinde facto sibi signo Crucis super pectus, pollice dextro, dicit *Conuerte nos*, & *Deus in adiutorium, &c.* se signando à fronte ad pectus, vt aliàs: & incepto Psalmo sedebit. Cætera omnia dicentur per Chorum vsque ad Capitulum quod Hebdomadarius cantat sicut & initium Antiphonæ ad Canticum *Nunc dimittis* scilicet *saluos nos*, Preces, versus, & orationem, vt in Breuiario, demùm benedictionem dabit dicens *Benedicat*

vos omnipotens. &c. finitaque Antiphona de Beatissima Maria Virgine collectam eidem correspondentem subiunget.

3. Quando verò post Completorium Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum reponendum erit, vt in precibus 40. horarum fieri solet. Hebdomadarius, aut alius in fine Completorij sub Antiphona de Beatissima Maria Virgine in Sacristia indutus superpelliceo, & Stolâ, & si haberi potest, pluuiali albi coloris. Deinde Thuriferario cum Thuribulo, Nauicula, cochleari, & duobus saltem Acolythis cum luminaribus præcedentibus, medius si commodè fieri potest) inter duos Presbyteros superpelliceis ac Stolis indutos, procedit iunctis manibus ad Altare in quo expositum est Sanctissimum Sacramentum, factaque ibidem vtroque genu in plano Capellæ genuflexione, ministrante Presbytero assistente à dextris, aut in eius defectu alio cochleari absque osculo; & nauiculam nihil dicendo, & Thuriferario thuribulo ter imponit thus in thuribulum; deinde in supremo Altaris gradu genuflexus ante SS. Sacramentum illud thurificat triplici ductu antè & pòst thurificationem profundè inclinans; mox accedit ad Altare præuiâ genuflexione accipiet Monstrantiam cum SS. Sacramento quam eleuatam ambabus manibus versus populum tenens cantante Choro *Genitori Genitoque* benedicet cum ea populum, facie Hostiæ ad eundem versa, in modum crucis, nihil dicens, & gyrum perficiens, reuerenter reponit: Deinde surgens repetita ante infimum Altaris gradum genuflexione cum ministris, vt antè, redit ad Sacristiam.

ANNO-

ANNOTATIONES.

§. 1. Ad Canticum *Nunc dimittis* nulla fit thurificatio Altaris.

§ 2. Organum in Completorio non adhibetur nisi quando solemniùs in solemnioribus festis celebretur, quo casu Organum adhiberi poterit, iuxta normam superius Tit XXVIII. traditam ad Hymnum, Canticum *Nunc dimittis* & in fine ad Antiphonam Beatissimæ Mariæ Virginis. *Cærem. Epis. lib. 2. cap. 4.*

§. 3. Cùm Episcopus in Completorio præsens est & officium non facit omnia per Hebdomadarium in suo habitu Chorali fiunt, obseruatis tamen debitis reuerentijs versus Episcopum, nam ipse Hebdomodarius ad versiculum *Indulgentiam, &c.* in principio, & ad versiculum *Benedicat vos Omnipotens Deus, &c.* in fine inclinabit se profundè versus Episcopum. Reliqua fient ac si Episcopus præsens non esset. *Cærem Epis. loco citato.* *Cærem. Epis. ibidem.*

TITVLVS IV.

De Matutino.

1. AD matutinas solemniter cantandas horâ competenti congregantur omnes ad Sacristiam, vbi habitu suo Chorali omnes induti & congregati progrediuntur hoc ordine ad Chorum. Præcedit Magister Cæremoniarum, deinde duo Cantores, tertiò loco Hebdomadarius seu Presbyter facturus officium, sequuntur alij Canonici seniores & digniores, deindè iuniores & minus digni. Cùm peruenerint ante Altare omnes genuflexi aliquantum orant Canonicus seu Presbyter facturus officium cum suis Clericis in plano Chori, ante Altare, alij hinc inde in eodem plano ab vtraque parte Chori. Surgente Canonico aut Presbytero prædicto cum suis Clericis omnes pariter surgunt. Qui facta Altari debita reuerentia salutatisque hinc inde *Carem. Epis. lib. 2 cap. 30 & 6.*

Clericis ab vtraque parte Chori, ascendit Chorum in primo stallo, seu sede ex ea parte, vbi ea hebdomada Chorus assignatur. Sistit se & prope ipsum stat vnus magister Cæremoniarum. Sub ipso in plano Chori, erunt duo Cantores, qui simul venerant, alij omnes ad sua loca redeunt. Interim Canonicus facturus officium sedet in pulvinari supra sedem suam posito, habens ante se tapetem super scabello cum pulvinari, super quo positus sit liber apertus continens Antiphonas, Hymnum, & Orationem, quæ legêdæ sunt, vel super legili, vt dictum in Vesperis.

2. Postquàm omnes venerint ad sua loca, indicante Cæremoniario, surgit Celebrans prædictus, dicit secretò *Pater noster*, *Aue Maria*, & *Credo*. Deinde signans labia sua pollice dextræ manus cantat in tono competenti *Domine labia mea*, &c. & responso à Choro, *Et os meum annuntiabit laudem tuam* eadem manu dextra producens sibi crucem à fronte ad pectus eodem tono dicit *Deus in adiutorium meum intende*. Cum dicitur *Gloria Patri & Filio*, &c. tàm ipse quàm alij omnes profundè se inclinant. Cùm dicitur *Sicut erat* erigunt se annuente Cæremoniario.

Carem. Epis. lib. 2. cap. 5. & 6.

3. Interim duo illi Cantores accedunt ad medium Chori, facta priùs altari genuflexione, cantant ex libro super legili ante se posito, Inuitatorium integrè quod à Choro resumitur integrè, & psalmum *Venite*, interim omnibus stantibus vsque ad primum versiculum primi Psalmi.

4. Cùm cantatur *Et procidamus ante Deum*, tam Cantores & Celebrans quàm alij omnes genuflectunt, posteà surgunt & prosequuntur *ploremus coram Domino qui fecit nos*, &c. in fine Psalmi, post *Gloria Patri*, &c. repetita à Choro vltima parte Inuitatorij repetunt Inuitatorium vsque ad medium principium illius, quod

Chorus

Chorus prosequitur: & interim duo illi Cantores facta Altari genuflexione accedunt ad Celebrantem, & stantes in plano ante ipsum, facta ei profunda reuerentia vnus ex illis à dextris præintonat illi Hymnum, quo per Celebrantem intonato, Chorus prosequitur ab eadem parte, vbi est Celebrans, deinde vicissim ex altera parte, donec Hymnus expleatur; & in fine cùm nominatur Sancta Trinitas omnes profundè inclinant.

5. Expleto Hymno, idem Cantor qui intonauit Hymnum stans ante Hebdomadarium facta illi profunda reuerentia præintonat ei Antiphonam primi Nocturni, quam ille intonat ex libro ante se posito, qua intonata, duo illi Cantores, facta reuerentia, accedunt ad librum Antiphonarum in medio Chori existentem, & facta primum in plano genuflexione versus Altare, expleta Antiphona incipiunt psalmos primi Nocturni cantantes primum versum in tono Antiphonæ assignato.

6. Primo versu psalmi intonato Hebdomadarius faciens officium, & cæteri omnes sedent: Cantores iterum facta reuerentia Altari redeunt ad suum locum in plano Chori, & ibi faciebus ad altare versis in scabello panno viridi cooperto etiam sedent.

7. Circa finem cuiusque psalmi surgunt, & amboaccedunt ad alteram partem Chori: cumque pertranseunt ante Altare in medio genuflectentes reuerentiam faciunt Altari; deinde Canonicum in primo stallo, seu sede ab illa parte Chori sedentem adeunt: & repetita prima Antiphona facta ei debita reuerentia alter ex eis vt supra illi intonat secundam Antiphonam, & sic vicissim semper faciũt successiuè singulis Antiphonas præintonantes, & semper post inchoatum psalmum

Caerem. Epist. lib. 4. c. 5.

ad suum scabellum redeunt, vbi sedent, dum psalmus perficitur.

8 Circa finem tertij Psalmi cuiusque Nocturni surgunt, & accedunt ad librum, & factis debitis inclinationibus altari, & Choro, cantant versiculum, quo incepto omnes surgunt, & à Choro responso, Canonicus faciens officium intonat *Pater noster* & reliquum dicit secretò.

9. Interim dum cantatur versiculus, Cæremoniarius accedit ad iuniorem Canonicum, aut alium iuniorem, qui cantaturus est primam lectionem, & facta ei profunda reuerentia ipsum ducit ad legile, paulò antè cùm libro lectionum præparatum in medio Chori nudum id est, sine aliquo panno, vel coopertorio, quo cùm peruenerit, genuflectit cum Cæremoniario versus Altare, deinde profundè facit reuerentiam Canonicis, primum à parte Chori, vbi est Canonicus faciens officium, deinde ab altera parte & mox propriùs accedens ad legile respicit aliquantulùm in libro lectionem, quam lecturus est, & sic stans exspectat donec Hebdomadarius faciens officium cantauerit versiculum, *Et ne nos inducas, &c.* & absolutionem *Exaudi Domine, &c.* cui responso per Chorum *Amen*. Ipse Hebdomadarius stans apud legile caput versus Celebrantem profundè inclinans, petit ab eo intelligibili voce benedictionem dicens *Iube Domne benedicere*, & non *Domine*, ad quem sic inclinatum permanentem Hebdomadarius faciens officium conuersus stans respondet benedicens, videlicet *Benedictione perpetua, &c.* non tamen manu signans & responso per Chorum *Amen*. Hebdomadarius & omnes alij sedent, cantans verò lectionem, eam prosequitur altiori voce, distinctè, & modestè in tono competenti.

Cærem Epis. loco citato

10. Lectione finita cùm dicturus est *Tu autem Domine*

Domine genuflectit versus altare. Tum surgens factis debitis reuerentijs ijs, qui in choro existunt, discedit. Idem per omnia facit secundus, & tertius ac successiuè alij in secundo & tertio Nocturno lectiones cantaturi, idemque per Hebdomodarium & Chorum obseruatur quoad absolutiones, benedictiones, & alia quæ occurrunt, dum Psalmi, & lectiones cantantur, quod in primo nocturno seruatum fuit. *Cærem. Epist. lib. 2. cap. 6.*

11. Lectiones cantantur festis præsertim diebus à Canonicis incipiendo à iunioribus ad seniores, & quando non adsunt tot Canonici primas cantant alij Clerici in choro existentes.

12. Post Lectiones cantantur Responsoria, quæ à duobus Cantoribus inchoantur in medio Chori, & ab ijsdem versus eorum integri, stando, vel ab alijs secundum locorum consuetudinem, vt plurimùm tamen versus prædicti debent à duobus Cantoribus cantari in medio Chori. Ad versum *Gloria Patri* omnes nudo capite se inclinant.

13. Cùm cantatur per Canonicum textus Euangelij pro septima lectione Hebdomadarius, & reliqui omnes stant, donec dicatur per dictum Canonicum *Et reliqua* & incepta homelia, sedent. Ipse autem Canonicus non debet recitando textum Euangelij librum, nec seipsum signare, nec manus iunctas tenere, sed super libro, prout in alijs lectionibus.

14. Dum cantantur primæ Lectiones tertij Nocturni, Acolythi accendunt cereos qui pro Laudibus sunt accendendi, & eos quos in candelabris suis deferre debent, & dùm cantatur octaua Lectio Celebrans pluuiali delato à Sacristia aut alio, induitur vt ad Vesperas, sed in loco suo, adiuuantibus Cantoribus & Cæremoniario; ibique etiam duo Cantores induant etiam pluuialia sua.

15. Dum cantatur octauum Responsorium duo Acolythi cum cereis accensis accedunt ad Celebrantem paratum cum debitis reuerentijs, vbi sic te manent stantes dum cantat vltimam lectionem.

16. Finito octauo Responsorio, accedunt duo Assistentes prædicti ante Celebrantem facta ei debita reuerentia, & ipse inclinatus versus dignioremm petit benedictionem ab eo, licet ipse Celebrans sit superior; qua data, stans cantat vltimam Lectionem ex libro ante se posito, ad quam omnes de Choro stant pro eius reuerentia, & nudo capite. Ipse verò in fine dicens *Tu autem Domine miserere nobis* profundè se inclinat Altari tantùm sine genuflexione.

Castaldus praxi Car. lib. 2. sect. 5. n. 11. n. 11.

17. Responso à Choro *Deo gratias* primus Cantor præintonat illi hymnum *Te Deum* facta inclinatione antè & pòst, quem statim ipse repetit, & Chorus cum prosequitur in cantu plano, vel musicali, adhibito etiam organo; dummodo versus *Te ergo quæsumus, &c.* à Choro semper canetur, ad quem omnes de Choro genuflectunt. Inchoato autem hymno Assistentes ibidem remanent, vel si sedes eorum sit in medio parata, facta Celebranti reuerentia accedunt ad medium Chori, vbi facta tunc tantum profunda reuerentia, stant ad totum Hymnum.

ANNOTATIONES.

§. 1. Parantur horâ competenti omnia necessaria pro Matutinis, Ad Altare paulò ante initium accendantur cerei Altaris, & pulsentur campanæ solemniori ritu. In medio Chori super pulpitum nudum ponitur liber Antiphonarum, & Breuiarium grādioris formæ. In parte suprema Chori etiam in medio ponitur aliud pulpitum nudum, super illud etiam ponitur aliud Breuiarium grandioris formæ signaculis suis aptatum, vt ex eo legantur lectiones.

§. 2. Pre-

§. 2. Præintonationes in Matutinis fiunt Hebdomadario à Cantoribus, si est Dominica, aut fiat Officium solenne, alioquin, si Officium non est solenne, neque Dominica omnia sine præintonatione, ab ijs ad quos spectat, intonantur. *Directorium Chori in prim.*

§. 3. Cantores vocantur qui ex officio ad hoc sunt deputati.

§. 4. Quando Lectiones noctu cantantur, Cæremoniarius, aut alius, adhibet paruam Candelam aut plures in Choro, si necesse sit, nec à pulpito longiùs discedat, donec Lectiones cuiusque Nocturni fuerint decantatæ, nisi quando Lectores ad legile conducit.

§. 5. Lector cantans Lectiones inclinatus manere debet donec benedictio expleta sit. Tum erigit se, & postquam omnes sederint, incipit, & non priùs suam lectionem in cuius fine dicens, *Tu autem*, genuflectit quisquis ille sit: quod semper debet obseruari in pari casu, excipitur tamen Episcopus, & Celebrans paratus, qui non genuflectunt, sed tantùm se profundè inclinant Altari. *Carem Episc. lib 2. cap. 4. & 5.*

§. 6. Lectiones cantantur in festis solennioribus à Canonicis, vel alijs dignioribus, incipiendo semper à iunioribus, at quando non sunt tot Canonici, priores cantantur à Clericis dignioribus de Choro, reliquæ à Canonicis. Cantare autem debent singuli eas voce & tono conuenienti, deuotè & modestè, ita vt quæ leguntur ab omnibus audiri & percipi possint, manusque super librum positas habere debent vsque ad finem, semper Cæremoniarius ducit & reducit Lectores de sede ad Legile, & de Legili ad sedem.

§. 7 Ad cantandas vel legendas Lectiones in publico Ecclesiæ Conuentu aut confessu, nulli admittendi sunt pueri nisi qui ea quæ ad rectam pronunciationem & distinctionem requiruntur, optimè calleant.

§. 8. Quicumque ille sit, qui cantat Lectiones, inferior Episcopo, dicit, *Iube Domne*, non *Domine*; & secundus in Choro, si maior: illo non sit ibidem, profert verba Benedictionis. Quod autem Cæremoniale tribuit Episcopo ratione tantæ dignitatis, non debet inferioribus, eò quia maiorem in Choro non habeat, alioquin cuilibet maiori de Choro illud idem cõueniret. *Gauantus comment. in Rubr. Breuiarij sect. 10. & 3. n. 4.*

§. 9. Hymnus *Te Deum* inchoari debet semper à Celebrante, nisi alia sit Ecclesiæ consuetudo, sicut etiam Hymnus post Inuitatorium. *Gauantus loco cit.*

§. 10. In

§. 10. In Matutinis Clero sedendum est ad Lectiones, &, vbi est consuetudo, ad Responsoria.

TITVLVS V.

De Laudibus.

Carem. Epis. lib. 2. c. 7.

1. EXpleto Hymno *Te Deum* Celebrans incipit Laudes, in quibus omnia respectiuè seruantur circa intonationem Antiphonarum, Psalmorum, Hymni, & alia quæ do Vesperis solennibus superiùs dicta sunt. Nam statim finito Hymno *Te Deum* absolutè inchoabit Laudes cantando *Deus in adiutorium* signando se signo Crucis à fronte ad pectus, prout ibi dictum fuit. Antiphonas eodem modo, & ijdem præintonabunt Canonicis dignioribus, vt in dictis Vesperis, eademque obseruabuntur in sessione, surrectione, & reuerentijs, dum psalmi & Antiphonæ decantentur, quæ ibidem dicta sunt. Sic etiam quoad Capitulum, & Hymnum: & cùm inchoatur Canticum *Benedictus* imposito thure in thuribulum, thurificat Altare, prout ibidem explicatum fuit.

Carem. Epis. lib. 1. c. 28. & lib. 2. c. 7.

2. Organum quoque ad Hymnum, & Canticum *Benedictus*, & in fine psalmorum poterit adhiberi, cum norma, & regula superius tradita. Denique omnia alia fient prout in Vesperis latiùs enarratum fuit. Adsunt tamen duo Assistentes tantum parati, & non plures. Dicto autem versu *Fidelium anima*, si Hora prima continuetur, discedit cum illis, sin minùs, dicit priùs Antiphonam B. Mariæ cùm suo versu & Oratione, & in fine Versum *Diuinum auxilium*.

Carem. Epis. lib. 2. c. 7.

3. Reliquæ Horæ Canonicæ non solent solennitèr celebrari, nisi fortè Prima in vigilia Nati-

uitatis

nitatis Domini, & sæpè Tertia in quibusdam locis, ad quam assistit Celebrans albâ & stolâ indutus & circa finem, parant se Ministri Sacri in Sacristia, vt ea finita assistant statim Celebranti.

TITVLVS VI.

De Vesperis, & Matutinis pro Defunctis.

1. QVia in officijs Defunctorum diuersæ ab aliis cæremoniæ in multis obseruantur, ideò de eis est subiungendum: Et primò de Vesperis, & Matutinis, quæ celebrantur quotannis pro commemoratione, & suffragijs omnium fidelium Defunctorum immediatè post secundas Vesperas festiuitatis omnium Sanctorum, quæ simul, & iunctim in multis Ecclesijs recitari solent; hoc est, statim post Vesperas omnium Sanctorum, Vesperæ, & Matutinæ Defunctorum ad hoc, vt populi commodiùs, & frequentius illis interesse possint. *Carem. Epist. lib. 2. c. 10.*

2. Postquàm igitur in secundis Vesperis omnium Sanctorum per Hebdomodarium facientem officium obseruata fuerint, ea omnia, quæ suprà part. 5. tit. 1. expressa sunt de Vesperis solemnibus, & ipsis secundis Vesperis expletis Hebdomadarius paratus pluuiali nigro supra superpellicem aut saltem, stola nigra, parumper sedet in suo loco atque interim mutari poterit pallium Altaris, & Candelæ, videlicet remoris albis apponi ex cera communi poterunt. *Carem. Epist. ibidem.*

3. Post paululùm moræ surgit Hebdomadarius & detecto capite, versus altare dicit secretò *Paternoster* vsque in finem, & Chorus incipit Antiphonam *Placebo Domino, &c.* illam integrè recitando; quæ finita & incepto psalmo *Dilexi* ca- *Carem. Epist. loco citato.*

put

put cooperit & sic sedens manet, quousque i
choetur à choro *Magnificat, &c.* tunc surgit,
stat detecto capite vsque in finem ; & cùm rep
titur per Chorum Antiphona post *Magnificat*
det ; & eâ finitâ surgit, detecto capite, & comp
tenti voce dicit *Pater noster*, quod secretè com
plet. Interim duo Acolythi Ceroferarij accedu
ante Hebdomadarium cum Candelabris, & c
reis accensis, qui solent fieri ex cera commun

Carem Epis. lib. 2. c. 10. Hebdomadarius alta voce cantat ea verba or
tionis Dominicæ; videlicet *Et ne nos induca, &*
cum alijs Versiculis, respondente Choro, q
habentur in Breuiario post Vesperas defunct
rum, & orationem *Fidelium Deus, &c.* qua finit
versiculum *Requiem æternam, &c.* Choro respo
dente *Et lux perpetua, &c.* deinde Chorus *Requ*
cant in pace.

4 Quo dicto sedet & post modicam mora
capite detecto, dicit secretò *Pater noster* eo finit
adhuc stans capite aperto, Chorus incipit lau
tatorium *Regem cui omnia viuunt* pro Matutin

Carem. Epis. ibidem. cum psalmo *Venite exultemus, &c.*

5 Cùm chorus incipit psalmum primi No
cturni Hebdomadarius & omnes alij sedent coo
perto capite, & sic manent quousque dicatur pe
Chorum responsorium Versiculi ante primam
lectionem primi Nocturni ; tunc surgit, & dete
cto capite, dicit secretò *Pater noster, &c.* vsque i
finem, mox, sedet capite cooperto, quousque di
ctum fuerit Responsorium Versiculi ante quar
tam lectionem secundi Nocturni, & tunc pari
ter surgit, detecto capite, dicens *Pater noster, &*
mox sedens prout in primo Nocturno, idem fa
cit post Responsorium Versiculi tertij Nocturni
ante septimam lectionem.

6. Lectiones ipsæ cantantur per Cantores ve
per Canonicos; iuxta consuetudinem loci, in

tono consueto lectionum, & Responsoria lectionum per Chorum.

7. Deinde dicuntur Psalmi cum suis Antiphonis pro laudibus ; & cùm inchoatur Canticum *Benedictus* surgunt omnes , & cum repetitur Antiphona post *Benedictus* iterum accedunt Acolythi ad Hebdomadarium, & omnia fiunt, prout suprà proximè dictum fuit in fine Vesperarum huiusmodi. *Cærem. Episc. loco citato.*

8. Cùm verò Vesperæ, & Matutinæ huiusmodi recitandæ erunt alijs temporibus, quàm prædicta die Anniuersaria omnium Defunctorum, tunc seruandæ erunt rubricæ positæ in Breuiario, in ipso officio Defunctorum, nisi essent celebrandæ pro anniuersario Episcopi , aut pro aliquo viro Principe, vel Prælato proximè defuncto tunc enim vt superius omnia seruari poterunt.

ANNOTATIONES.

§. 1. Proprios mores vnaquæque habet Ecclesia & laudabiles aliquando consuetudines in horis canonicis in Choro recitandis quas non tolli à Cæremoniali Romano, neque à Rubricis Breuiarij, sæpiùs sacra Rituum Congregatio declarauit , sed cauendum ne ita pugnent cum vniuersali Ecclesia, vt minùs laudabiles sint peritorum iudicio quod ne fiat tam bene ea quæ præcedentibus titulis huius Partis quintæ dicta sunt quàm sequentes annotationes diligenter notandæ & obseruandæ sunt. *Gauantus comment. in Rubr. Breuiarij sect. 10. cap. 2.*

§. 2. Quoniam maximus orationis fructus à condigna præparatione pendet : ideoque Ecclesiastici omnes statim ac diuini officij signum per campanas, aut aliquid aliud datur , mox ab omnibus negotijs se expedire debent, vt melius animum colligentes. & ab omni tam exteriore, quam interiore tumultu auocantes, vni Deo intendere debent ad Ecclesiam. ac si Dei Opt. Max. aut saltem Angeli inuitantis, ac diuinas laudes

laudes decantandas vocem audirent non autem expectare vltimum campanæ motum, & auari irreligioſique hominis præ ſe ferre notam deſinente campanarum ſono ad Eccleſiam certatim accurrere, & inſtar venatorii canis hiante ore ſpiritum trahere.

§. 3. Valde ergo laudabile eſt, & obſeruatu dignißimum, vt dato vltimo ſigno conueniendi in chorum vel citiùs, ſinguli Clerici, antequam in illam ingrediantur, in Sacriſtia ſeu alio loco ſuum induant habitum choralem, tuncque bini procedant in chorum, primò ſeniores, deinde iuniores, niſi incedant proceſſione ſacrâ, hoc tamen intelligendum eſt de feſtis ſolennioribus ſufficit enim alijs diebus, qui non ſunt primæ aut ſecundæ claſſis, aut non ſo emnes, vt congregentur in Chorum horâ conuenienti.

Carem. Epiſ. lib. 2. c. 15.

Carem. Epiſ. lib. 2. c. 3.

§. 4. Quando autem incedunt proceſſione facta cum Ceroferarijs, & Celebrante parato, cum aſſiſtentibus, vt ad veſperas ſolennes, præcedunt primò iuniores, tum ſeniores, mox aſſiſtentes parati, & vltimo celebrans.

Carem. Epiſ. lib. 2. c. 16.

§. 5. Cùm peruenerint ante Altare, omnes genuflectunt, ſi in eo ſit Tabernaculum SS Sacramenti, at verò ſi ſit in Altari tantùm Crux, & ſint Canonici, profundè ſe inclinant, alij verò ſemper genuflectunt, tum ſingulí ad locum ſui ordinis accedunt, vbi genu flexi manent orantes, donec detur ſignum ſurgendi, & incipiendi à ſuperiore, quo dato ſurgunt & ſtant, vniformitatem in omnibus, quantum fieri poteſt, obſeruantes.

Carem. Epiſ. lib. 2. c. 30.

§. 6. Altiſſimum in Choro ſeruari debet ſilentium, nec vlla prorſus in illo debent haberi colloquia, niſi quis cogatur ex neceſſitate loqui de ijs quæ tantùm ad functionem ſuam pertinent, nemo in Choro priuatim officium dicere debet, atque vocem Choro ſubtrahere, nemo literas, aut libros quoſcumque, præter Breuiarium, aut Diurnale, eaque tempore debito, & cùm opus eſt legere: neque vt alterius errorem corrigat murmurando, ridendo, vel alio modo publicum officium perturbare. Neque hac aut illac, vano animo curioſoque oculo reſpicere: multò minùs huc atque illuc per templum vagari, aut confabulandi gratia, ſine neceſſitate in Sacriſtiam vel alium angulum ſe recedere.

Carem. Epiſ. lib. 1. c. 5.

§. 7. Quiſque manus benè pariter compoſitas, complicatas videlicet, vel iunctas, vel ſupergenua, ſi ſedent,

sedent, extensas, si aliquando opus est, habeat, si librum non tenet, nullas item deferre debet Chirothecas sub officio diuino, pedes etiam bene compositos, & quasi simul bene iunctos, nec vnquam vnum super alterum tenere, nec eos etiam super sedilia inferiora eleuatos habere.

§. 8 Omnes modestè suis subsellijs innixi manere debent nec loca mutare, ne occasione quidem flectendi genua in alio commodiori loco.

§. 9. Omnes in stando, genuflectendo, aut alio quouis actu vniformitati studere debent, quando simul omnes eadem facere conuenit: nemo in dimittendis, attollendisque sedibus, vel per Chorum incedendo strepitum facere debet, & qui ante finem discedere cogitur, conuenit vt aliquantulum extra sedem, vel omninò in plano Chori hinc inde se inclinet, semperque in ingressu, & egressu maiori reuerentiam facere omnes debent.

§. 10. Cumque aliquis Antiphonam intonaturus, vel aliquid aliud facturus, pertinens ad commune officium, surgit, reliqui omnes, vel saltem ij qui sunt in eadem parte Chori, etiam surgere debent, dummodò non sint superioris ordinis. *Carem Epis. lib. 1. cap. 18.*

§. 11. Omnes promptè, & sine cunctatione simul surgere debent, paulò antequàm finiatur aliquid, post quod standum est, aut genuflectendum, nec antè sedeant, quàm id quod sequitur priùs inchoatum fuerit, v.g. cùm lectiones dicendæ sunt, non antè sedeant quin prius Chorus responderit *Amen* ante initium Lectionum.

§. 12. Si quis ex Clericis iam inchoato officio vel Missa, veniat in Chorum, ante Altare genuflexus, paruper orat, tum surgens, ibidem facit iterum debitam reuerentiam Cruci Altaris genuflexionem, deinde inclinatus salutat Superiorem & reliquos de Choro hinc inde nudo capite, qui etiam assurgentes eum consalutant, secundum personæ qualitatem; Tum ad locum suum accedit. Qui autem egressurus est, priùs reuerentiam faciat Choro, & postea Altari. *Carem. Epis. lib. 1. c. 18.*

§. 13. At si interim in Vesperis aut alijs Horis, dicatur *Deus in adiutorium. Gloria Patri, &c.* Oratio, vltimus versus Hymnorum, vel in Missa fiat Confessio, aut dicatur Euangelium, vel denique aliquid aliud, ad quod Chorus vel stat, vel est inclinatus, vel genuflectit per aliquam moram, expectet respectiuè stans vel inclinatus,

clinatus, vel genuflexus separatim in medio Chori, prout ipse Chorus, & mox factis reuerentijs, vt supra, ad locum suum accedit.

Carem. Epis. lib. 1. c. 26.

§. 14. Aliquo absente, conuenit vt, qui proximè illum sequitur, aut si infra se alius non fuerit, qui immediate super eum erit, suppleat vices illius.

Carem. Epis. lib. 1. c. 28.

§. 15. Quod spectat ad Cantum Ecclesiasticum, vitandus est quantùm fieri potest, cantus lasciuus, profanus, raucus, asper vel dissonans, sed vox cantorum sit canora, suauis, liquida, atque acuta habens sonum, & melodiam sanctæ Religioni conuenientem. Audiant Cantores, quid de Cantoribus dicat B. Birgitta; Clericorum inquit, cantus non sit preceps, non fractus, non dissolutus, sed honestus, & grauis, uniformis, & per omnia humilis, psalmodia plus redoleat suauitatem mentis, humilitatem & deuotionem, quam aliquam ostentationem. Non vacat culpa animus, quando cantantem plus delectat nota, quàm ea quæ canitur, omninoque est abominabile Deo quando mentis eleuatio plùs fit propter audientes, quam propter Deum.

§. 16. Neque Clerici Angelicum cantandi officium, pigri, somnolenti, neque oscitantes, neque sine causa parentes vocibus sed alacriter peragere debent, & quo maiore funguntur honore, quoue nobilitatis genere secundum carnem fuerint clariores, eò clariore voce & affectu omnes pariter senes cum iunioribus, in Psalmis, Hymnis, & canticis laudare debent nomen Domini, non autem instar mutuarum statuarum stallum Chori occupare.

§. 17. Singuli versus, singula verba, singulæque syllabæ, ad gloriam, honorem, & cultum Dei, ad cantantium & audientium ædificationem, studiosè, reuerenter, distinctè, clarè, & intelligibiliter pronuntianda sunt vt canentium & audientium mens, sensus verborum percipiatur, priusquam verba ipsa transmittantur: minimè verò syllabæ syllabis, verba verbis, versus versibus inuoluendi. Præterquam enim quod præceps & inordinatus cantus cultui Dei plus detrahat quàm adijciat, populum magis scandalizet, quàm ad deuotionem & pietatum excitet; magnam quoque animi impotentiam; atque imperfectionem Cantorum arguit: eoque potiùs effreni quodam animi rapi, quàm rectæ rationis imperio duci conuincit.

§. 18. Eccle-

§. 18. Ecclesiastici minimè se satisfeciſſe arbitrentur, si inani verborum sono, voluntariâ distractione, & non attendendi animo dent sine mente sonum; vt sint velut æs sonans aut cymbalum tinniens, sed eadem quæ dicunt intelligant; aut cor suum seque ipsos totos in hoc quod verba sonant conforment: vt ijs quæcunque legunt aut cantant correspondeat in animo cantantis aut legentis internus pietatis affectus, & cantent in vocibus, cantent in cordibus vocesque eorum, voces sint Christi, voces sint Spiritus Sancti, non voce tantum tenens, & ministerio, sed & affectu, desiderio, opere, totiusque interioris & exterioris hominis similitudine ac conformitate.

§. 19. Omnis cantus eâ moderatione inchoandus est, vt cum suaui vocis modulatione, sine incondita vociferatione, boatu, vocisque raucedine, aut defectu perfici queat: vt verè cantus sit, & non clamor, aut diuersarum vocum strepitus. Optimus enim ille cantus est, qui moderatâ ac alacri modulatione suauissimus est.

§. 20. Curandum quoque est, vt sub diuinis officijs in sedendo, stando, genua flectendo, incipiendo, dimittendo, extollendo, finiendoque vocem omnes & singuli, vnum eundemque seruent tenorem, modum & ordinem; vt externa illa harmonia, internæ deuotionis & charitatis vnitas iuuetur, illiusque vna perfecta, in omnibus nascatur similitudo. Nullus quidquam facere debet, quo singularis præ alijs videri velle notari possit. Omnes tanquam vir vnus, anima vna vox vna, pariter incipere, pariter progredi, pariter subsistere, pariter finire: vltimamque versiculi syllabam, nemo pro alijs aut protrahere, aut præcipitare, sed eadem mensura qua priores decantate sunt, eandem conformiter finiri debent.

§. 21. Insuper notandũ quædam cantanda esse tardiori, & solenniori, alia verò minùs solenniori cantu; alia item cantanda potiùs recitando quàm cantando. Diebus Dominicis & festiuis ob eorum solennitatem, cantus tardior esse debet, & solennior, præsertim Hymnorum, Canticorum *Magnificat*, *Benedictus Dominus Deus Israel*, *Nunc dimittis*, Hymni *Te Deum laudamus* & aliorum omnium, sicut omnium etiam Psalmorum, quam diebus ferialibus, similiter etiam in Officio Canonico, quàm in Officio de B. Maria. Item versus *Gloria Patri & Filio* potest etiam solenniori vocis modulatione recitari.

§. 22. Offi-

§. 22 Officium Defunctorum quod dicitur in principio mensis, in Aduentu & Quadragesima, non solemniter Psalmi Graduales, & Pœnitentiales, regulariter dicuntur in directum, sed tamen clarè, & distinctè ab omnibus proferri & audiri debent.

Denique omnis Ecclesiasticus, tam in Choro quàm extra eum conetur in omni cantu, lectione, oratione aliisque functionibus sacris veram in se excitare fidem quâ se quisque Diuinæ Maiestati assistere, & cum Deo viuo & vero agere credat. Ex hac fide nascatur verecundia, quâ ob diuinæ Maiestatis excellentiam, & multiplices offensiones proprias persuasum esse decet hominem peccatorem, impetrandi, & obtinendi illicuius gratia Deum accedentem. Verecundiæ adsit humilitas, qua se in omni virtute pusillum agnoscat & de propriis meritis nihil altum, aut præsumptuosum sapiens diffidat. Humilitatis indiuiduus comes sit spes, qua cor contritum & humilitatum, licet non omni quantum decebat exornatum & instructum virtute non despiciendum se, nec aspernandum sentiat. Spei coniuncta sit fiducia, qua orantis animus in spe exauditionis confirmetur, nec se in vanum laborare, aut frustrà in ministerio cultus Dei versari confidat; sed præmium in Domo Dei habitantibus, & in eadem cum consensu ambulantibus promptum se consecuturum speret; quod omnibus decorem Domus Dei diligentibus opto & precor.

PARS

PARS VI.

De Ritibus seruandis in quibusdam præcipuis diebus & festis occurrentibus per annum.

TITVLVS I.

De tempore Aduentus.

1. TEmpus Aduentus Domini partim est luctus, partim lætitiæ: Ideoque *Alleluia* in quibusdam omittitur, & in quibusdam officijs additur. Omittitur quidem post Graduale in Missis quæ dicuntur in ferijs de Aduentu, non tamen in Dominicis; additur verò multis Antiphonis, quæ eodem tempore dicuntur. Omittitur etiam Hymnus Angelicus in Missis de ipso Aduentu & Hymnus *Te Deum* ad Matutinum in Dominicis & officio de tempore.

2. Toto hoc tempore Aduentus, quando officium fit de eo, vtendum est colore violaceo, etiam Dominicis diebus infra octauam aliquam occurrentibus.

3. Diaconus & Subdiaconus in maioribus Ecclesijs scilicet Cathedralibus, Collegiatis, & in Ecclesijs Regularium insignioribus in Missis de Aduentu vtuntur Planetis plicatis ante pectus ex Missali & Decreto congregat. Rit. Excipitur tamen Dominica tertia, quæ dicitur *Gaudete*, in qua vtuntur Dalmaticis consuetis, sicut in hebdomada sequenti quando tantùm dicitur Missa de eadem hebdomada. Planetæ autem illæ sunt eiusdem formæ & coloris, ac illa Celebrantis, sed tantum plicatæ intrinsecus vsque ad pectus, vel reuolutæ aciculis aut quibusdam

vinculis firmatæ, ne pars earum anterior decidat. Finita autem Missa possunt eædem aciculæ aut vincula auferri, & sic inseruire poterunt alijs Sacerdotibus pro celebratione Missarum.

4. In ijsdem sumendis aut deponendis hic ordo seruari debet, Subdiaconus cantaturus iam Epistolam, paulò antequam accipiat librum, eam deponit in aliquo loco congruo & conueniente ad id deputato adiuuante eum aliquo Acolytho in cornu Epistolæ; cantataque Epistola, & accepta benedictione à Celebrante, eam resumit antequam deferat librum Euangeliorum Celebrantis.

5. Diaconus similiter suam deponit eodem modo & eodem loco paulo antequam accipiat librum Euangeliorum, & assumit aliud genus stolæ latioris & eam aptat super humeros, eo modo quo solitam stolam. Resumit verò planetam plicatam tantùm post Communionem Celebrantis scilicet postquam Missale detulerit ad cornu Epistolæ post depositam stolam latiorem.

6. In minoribus Ecclesijs Diaconus ministrat Alba, Stola, & Manipulo violaceis indutus, Subdiaconus verò Alba & manipulo tantùm. Excipitur tamen Dominica tertia, vt supra dictum est, & ijs diebus, quibus dicitur Missa de eadem Dominica, quia tunc vtuntur Dalmatica & Tunicella.

7. In ipsa etiam Dominica tertia pulsantur Organa, & Altare aliquantulum solemnius paratur, quàm alijs Dominicis, in quibus abstinendum est solemniori apparatu.

8. Feria secunda cuiusque hebdomadæ Aduentus, dicitur officium defunctorum, & dicatur Missa conuentualis pro eis quando festo nouem lectionum non impeditur, quia non est Missa peculiaris pro ipsa die. Quando verò fe-

ria

riæ omnes secundæ impediuntur aliquo festo nouem lectionum etiam translato, tunc eo anno omittitur toto Aduentu & non propterea dicitur alia feria. Omittitur etiam in vigilia Natiuitatis Domini, si occurrat feria secunda.

9. Si in qualibet Dominica Aduentus occurrat dies alicuius octauæ Sabbatho præcedenti dicuntur vesperæ integræ de Sabbatho cum commemoratione tantùm de die octaua. Si tamen fit festum semiduplex à capitulo tantum fit de Dominica, & commemoratio de octaua, & postea de festo semiduplici & sequenti die Dominica non dicentur preces ad Primam & Completorium & adhibebitur color violaceus. Et hoc seruari debet in Dominicis Septuagesimæ, Sexagesimæ & Quinquagesimæ vt definiuit sacra Rit. Congregatio. *Gauantus sect. 3. cap. 9. num. 13.*

TITVLVS II.

De vigilia, nocte, & die Natiuitatis Domini nostri Iesu Christi, & aliis festis & diebus vsque ad Purificationem.

1. SI vigilia Natiuitatis Domini occurrat in Dominica quarta Aduentus, fit quidem de Dominica quarta vsque ad Laudes, exceptis ijs quæ sunt propria vigiliæ, vt in Breuiario. Reliqua erit de vigilia cum commemoratione Dominicæ. *Gauantus part. 4. tit. 3. num. 1.*

2. In prima huius vigiliæ solet cantari Martyrologium cum maiori quàm alias solennitate in quo Natiuitas Christi annuntiatur; qua in re quisque abundat in ritu suo. Illud verò obseruandum, vt quando lector Martyrologij dicit *In Bethleem Iuda* eleuet

vocem & ſtatim omnes genua flectant vſque ad ea verba ſecundum carnem eâ ratione qua ad Miſſam genuflectimus in Symbolo ad ea *Et incarnatus eſt*: & in vltimo Euangelio ad ea, *Et verbum caro factum eſt*. Humiliato namque Deo, & nos vſque ad terram profundiùs ſolito humiliari decet, vt bene additum eſt in poſtrema Martyrologij recognitione.

Gauantus part. 4. tit. 3. num. 1.

3. Si vigilia Natiuitatis Domini venerit in Dominica, Miſſa cantanda erit poſt Tertiam, & poſt aquæ benedictæ aſperſionem, quia eodem non ieiunatur. Si verò alijs diebus infra hebdomadam Miſſa dicitur poſt Nonam, nec Euangelium Dominicæ legitur in fine Miſſæ vigiliæ.

4. Cantata Nona terminatur tempus Aduentus & ceſſat verſus *Angelus Domini* cum Collecta *Deus qui de beatæ*.

5. Veſperæ ſolenniſſimæ nihil extraordinarium habent. Si poſt eas ſit è Choro diſcedendum dicitur Antiphona *Almæ Redemptoris mater, &c.* verſus *Poſt partum, &c* cum Oratione *Deus qui ſalutis, &c.* vſque ad Completorium poſt ſecundas Veſperas feſti Purificationis B. M. excluſiuè.

6. Circa veſperum Sacriſta præparat in credentijs Altarium aliquod vas mundum vacuum pro ablutione digitorum Celebrantis in eo poſt primam & ſecundam Miſſam facienda, quia nec purificationem, nec ablutionem in vtraque Miſſa, ſi tres dicere velit, ſumere debet. Item parat ſuper eaſdem Credentias pocula cum vino & aqua, ex quibus Miniſter poſſit in ampullas vinum & aquam pro Miſſis priuatis infundere & Hoſtiariam cum Hoſtijs, inconueniens enim eſt pro ſingulis Miſſis ad Sacriſtiam recurrere.

7. Ante Matutinum Celebrans poterit orationes præparatorias recitare, ſi velit, ne durante

tante officio indecenter eas dicere cogatur.

8. Matutinæ congruo & tali tempore inchoandæ vt non ante sed post duodecimam noctis horam absoluantur, quia his immediatè subiungi debet solenne Missæ officium, quod ante dictam horam ob ieiunium naturale incipere non licet.

9. Dum cantatur octaua lectio Celebrans accipit amictum, albam, cingulum & Stolam dicendo orationes pro singulis paramentis, ac tandem accipit pluuiale, & sedet donec completum sit octauum Responsorium, interim ad ipsum accedentibus duobus Acolythis cum candelabris & cereis accensis.

10. Finito octauo Responsorio Celebrans petitâ benedictione stans cantat vltimam lectionem ex libro ante se posito, ad quam omnes de Choro stant nudo capite. Ipse verò in fine dicens *Tu autem Domine miserere nobis* profundè se inclinat Altari & responso à Choro *Deo gratias* inchoat sibi præintonatum Hymnum *Te Deum laudamus* quem Chorus stans prosequitur de more.

11. Interim Ministri sacri parant se in Sacristia, ibiq; Celebrantem expectant, qui finito prædicto hymno, astantibus sibi Ceroferarijs cum cereis & assistentibus cantat orationem, qua dicta Assistentes cantant versum *Benedicamus Domino* & responso à Choro *Deo gratias* Celebrans non subdit *Fidelium animæ* sed cum prædictis Ceroferarijs recedit in Sacristiam, vbi deposito pluuiali, accipit manipulum & planetam, & imposito de more thure in thuribulum, procedit ad Altare vbi celebrat Missam solemnem.

12. Celebrans in hac Missa & secunda non sumit purificationem, sed hausto diligentius toto sanguine, quantùm fieri potest, statim calicem

Corporali imponit attendendo ne purificatorio eundem extergat nisi in fine tertiæ Missæ ; Deinde dicendo orationes consuetas *Quod ore sumpsimus.* & *Corpus tuum Domine, &c.* abluit digitos quibus tetigit SS. Sacramentum in prædicto vase nequaquam in Calice Subdiacono vinum fundente, quæ ablutio sumetur à Celebrante in tertia Missa post purificationem, vel etiam porrigi poterit qui communionem sumpserint.

13. Subdiaconus post ablutionem digitorum Celebrantis reponendo Calicem non extergat Calicem, sed illum deferet ad Credentiam aut potius Sacristiam sine purificatorio, vbi suppositio Corporali decenter seruatur vsque ad Missam secundam, seu solenniter, seu priuatim celebrandã; ne impediat altaris incensationem in laudibus faciendam. Idem seruandum in secunda Missa.

14. Finitâ Missâ, Celebrans cum ministris sacris descendit ad cornu Epistolæ, facta debita in medio altaris reuerentia, ibique depositis Planetâ & manipulo, accipit pluuiale album adiutus ab ijsdem ministris, inde facta debita reuerentia in Chorum redit, sine ministris sacris, qui statim in Sacristiam, factis Altari genuflexionibus, discedunt ibidem deposituri paramenta sua.

15. Celebrans in Choro absolutè sine oratione Dominica incipit *Deus in adiutorium* & prosequitur laudes de more, & ad Canticum *Benedictus* fit thurificatio Altaris maioris more consueto.

16. Antequam illucescat Aurora, dato signo solemni salutationis Angelicæ, cantatur Prima in Choro. Tum Missa secunda solennis, in qua fiunt de purificatione Calicis, quæ supra in prima Missa præscripta sunt.

17. Tertia Missa dicitur solennissimè post

Tertiam.

Tertiam, in qua Celebrans sumit purificationem & ablutionem, & in fine post *Ite Missa est* Subdiaconus defert Missale ad cornu Euangelij, vbi Celebrans dicit Euangelium Epiphaniæ *Cum natus esset Iesus.*

18. Communi omnium sententia, qualibet hora post mediam noctem possunt celebrari tres Missæ supradictæ priuatim, hoc enim singulariter hac nocte tam gloriosa Natiuitate Christi illuminata Sacerdotibus fidelibus concessum est, quo piè ad tantum mysterium celebrandum detinerentur. Ad secundam & tertiam Missam non extergitur Calix ante infusionem vini & aquæ pro oblatione facienda, ne fortè guttæ sanguinis Christi Calici adhærentes extergantur.

19. In Missis priuatis, si successiuè dicantur, finita prima aut secunda minister accedit ad latus Euangelij, vt in alijs Missis, vbi respondet genuflexus Celebranti. Celebrãs autem lotis manibus post Communionem in prædicto vase (non enim decet in Calice lauare manus super sacras species quæ in Calice manserunt) ponit hostiam super patenam, & adaptat Calicem vt initio Missæ, illum velo cooperiens, & ponens super corporale extensum. Finito verò vltimo Euangelio S. Ioannis statim accedit ad medium Altaris, & facta reuerentia Cruci, descendit in planum, vbi incipit Missam vel secũdam vel tertiam. Et quamuis fortè remanserint aliquæ species vini in Calice, non tamen propter à Celebrans debet genuflectere, quando transit ante Calicem. In secunda & tertia Missa Celebrans post oblationem hostiæ, non debet extergere Calicem ante infusionem vini, ob guttas sacras Calici fortè adhærentes.

20. Si quis vnam tantùm Missam rationabili de causa celebret, conuenit vt tertiam celebret quæ maximè est de die, habensq; orationem ipsi diei *Ganantus part. 11. 3. num. 65.*

propriam. & officio diuino conuenientem.

21. Antiphonæ in secundis Vesperis, *Tecum principium*, ita sunt priuilegiatæ, vt nunquam omittantur infrà octauam quocumque festo occurrente, quod fit præter morem aliarum octauarum.

Gauantur fol. 6. c. 6. n. 6. & 7.

22. Si S. Ioannes aut SS. Innocentes sint Patroni alicuius Ecclesiæ, non autem Altaris, habebunt ipsi respectiuè primas & secundas Vesperas, in die festo S. Stephani & S. Ioannis integras, quia tunc sunt festa primæ classis. Ad Laudes & Missam non fit alia commemoratio de die octaua, nisi de octaua Natiuitatis Domini vt constat ex Rubricis generalibus.

23. Si titulus Ecclesiæ fuerint Innocentes officium fit in paramentis rubeis non violaceis, & dicitur ad Matutinum *Te Deum laudamus, Gloria in excelsis* & *Alleluia* ad Missam.

Gauantur fol. 6. c. 6. num 7.

24. Quæ dicta sunt de prædictis quando sunt Titulares Ecclesiarum, valent etiam de sequentibus Festis S. Thomæ Cantuariensis, S. Syluestri & Dedicationis Ecclesiæ, quibus tamen hodie negatur octaua. Et si S. Syluester sit patronus Ecclesiæ, in secundis Vesperis eiusdem dicentur Antiphonæ de laudibus Conf. Pontif. quia Antiph. *Tecum principium* non habent amplius locum, terminatæ iam in primis Vesperis eiusdem, & fiet tantùm commemoratio de festo circumcisionis.

TITVLVS III.

De festo Purificationis B. M. V. candelarum benedictione, & distributione nec non processione illo die instituenda.

Gauantur commun. in

1. SI festum Purificationis venerit in Dominicis Septuagesimæ, Sexagesimæ, vel Quinquagesimæ

quagesimæ fit tantùm eo die benedictio & distributio candelarum & Processio, festum verò cum eius Missa in sequentem diem transfereretur, ex Decreto Clementis VI. In Ecclesijs tamen Beatissimæ Mariæ Virgini dicatis dicetur in eadem Dominica semper Missa solennis de Purificatione, cum commemoratione de Dominica, in cuius fine dicetur Euangelium de eadem Dominica. Priuatæ tamen Missæ erunt de Dominica, nisi B. M. V. sit Patrona Ecclesiæ sub hoc titulo, & tunc omnes Missæ erunt de festo cum commemoratione Dominicæ, sicut & tunc dicitur officium de ea ibidem.

Rubr. Miss. part 4 tit. 14. num. 3.

Carem Epis. lib. 2. c. 16.

2. Vt omnia fiant decore, si festum huiusmodi in Dominicam priuilegiatam non venerit hora competenti ante Tertiam apratur pallium violaceum ante Altare, amouendum facilè dum fiet Processio, vt posteà pro Missa appareat album.

3. Sacrista præparat in plano ad cornu Epistolæ versus posteriorem angulum ipsius Altaris, Credentiam, seu aliquam mensam quæ sit prope gradum infimum lateralem Epistolæ, pulchro linteo tectam vndequaque, super quam ponit candelas in tanta quantitate, quæ sufficiat pro numero & qualitate personarum Cleri, & illa Celebrantis sit pulchrior cæteris, omnesque istæ Candelæ teguntur alio linteo mundo, remouendo facilè ante earum benedictionem. Ibidem paratur etiam vas aquæ benedictæ, cum aspersorio, & thuribulum cum nauicula & thure, in ipso cornu Altaris collocatur Missale apertum. Item præparantur in Sacristia paramenta violacea & alba.

4. Circa finem Tertiæ accenduntur cerei Altaris & Celebrans in Sacristia parat se Amictu, Alba, cingulo, stola, & pluuiali violacei coloris, adiuuantibus sacris ministris, qui deinde Amictibus,

bus, Albis, & cingulis induti parant se, Diaconus scilicet stola & planeta plicata ante pectus, Subdiaconus verò Planeta etiam plicata coloris violacei, ambo, sicut Celebrans, sine manipulis.

5. In minoribus Ecclesijs Celebrans indutus amictu, Alba, cingulo, & stola sine pluuiali & manipulo, Diaconus sola Alba & stola Diaconali, & Subdiaconus sola Alba faciunt officium.

6. Celebrans & ministri sic parati Tertia finita procedunt ad Altare præcedentibus Thuriferario sine thuribulo manibus iunctis & Ceroferarijs cum candelis accensis, denique sequuntur ministri sacri hinc inde à lateribus Celebrantis manu proximiori (alcera infra pectus admota) fimbrias anteriores Pluuialis eius tenentes. Celebrans verò tenet manus iunctas. Si tamen Celebrans non habet Pluuiale Ministri sacri procedunt vnus post alium manibus iunctis, & capite tecto.

7. Cùm ad Altare peruenerint, facta eidem debita reuerentia ascendunt ad idem, quod Celebrans osculatur, & interim ministri sacri genuflectunt, Ceroferarij deponunt candelabra super Credentiam, Celebrans verò osculato Altari accedit ad cornu Epistolæ, vbi aliquantulum conuersus ad candelas medius inter Diaconum & Subdiaconum stantes, incipit in tono feriali *Dominus vobiscum*, non se vertens ad populum, neque extensas sed iunctas manus habens. Dum dicit *Oremus*, vel profert nomen Iesu, vertit se ad Crucem semper iunctis manibus & inclinans se. Et dum Celebrans ipse format signum Crucis super Candelas, dexteram ponit super Altare, & interim Diaconus fimbrias Pluuialis subleuat à parte sua.

8. Cùm

8. Cùm fit benedictio, Clerici in Choro stant capite detecto versus Altare inclinantes se ad nomen IESV, & respondentes Celebranti cùm opus est.

9. Finitis orationibus Celebrans in eodem cornu Epistolæ imponit & benedicit de more thus in thuribulo quo in Missa, Diacono ministrante nauiculam & Thuriferario thuribulum, Subdiacono verò dextera attollente fimbriam dextram Pluuialis; deinde accipiens ab eodem Diacono aspersorium cum debitis osculis, ter candelas, in medio scilicet, à dextris, & à sinistris earum, aspergit dicens tantùm Antiphonam *Asperges me Domine, &c.* sine cantu, & sine psalmo, & mox sumpto thuribulo ab eodem Diacono, ex more similiter incensat ter easdem candelas eo modo quo eas asperfit, eodem Diacono attollente Pluuiale in aspersione & thurificatione.

10. Quibus factis Celebrans accedit ad medium Altaris stans in eodem supremo gradu, & conuertit se ad populum, mox dignior de Choro cum suo habitu Chorali accedit cum reuerentijs ad Altare, ibique accepta à Diacono stante à sinistris Celebrantis Candela benedicta pulchriori, sine osculis, eidem Celebranti stanti in suppedaneo altaris candelam eandem tradit cum osculo ipsius tantùm, ab vtroque, & non manus. Mox Celebrans eam tradit alicui Acolytho tenendam, vel alteri, donec facta sit tota distributio.

11. Deinde Diacono acceptam aliam candelam ab Acolytho stanti à dextris eius, tradit eandem Celebranti, etiam cum osculo tantùm illius, quam Celebrans tradit ipsi digniori genuflexo super suppedaneum à quo prius accepit suam, deinde dat Diacono & Subdiacono

paratis & alijs Clericis singulatim per ordinem, vltimò Laicis, omnibus genuflectentibus, candelam & manum Celebrantis osculantibus, exceptis Prælatis, si adsint, Diacono a ministro sine osculis candelas accipiente, easque sigillatim Celebranti tradente cum osculis earum tantum, Subdiacono semper attollente fimbriam pluvialis eius.

12. Cùm inchoatur distributio candelarum, statim Cantores in habitu Chorali, vel cum Pluvialibus violaceis incipiunt Antiphonam *Lumen ad revelationem*, quam Chorus prosequitur, eamque post singulos versus Cantici *Nunc dimittis* integrè repetit, quos versus Cantores ipsi decantant Soli, & possunt repeti cum Antiphona prædicta, vsque ad finem distributionis, secundum concursum populi. Versus tamen *Gloria Patri* debet dici tantùm semel, scilicet in fine totius distributionis. Vnde post finem vltimi versus repetitur *Nunc dimittis* & sic vicissim donec completa sit distributio.

13. Non conuenit vt fiat distributio Candelarum fœminis per Celebrantem ad Altare, si ergo magna sit frequentia populi deputetur aliquis Sacerdos qui superpelliceo & stola violacea indutus candelas minutiores per Ecclesiam distribuat populo vtriusque sexus, Acolytho ministro eas offerente cum osculis ipsarum tantùm. Et si etiam multitudo tanta sit, vt non possit omnibus fieri distributio, sed populus proprias conferat candelas benedicendas, tunc Celebrans cum benedicet Candelas ad Altare intentionem suam diriget ad omnes quæ sunt in Ecclesia, cum aliter fieri non possit.

Extrem. Edit. c. 2. c. 16.

14. Completa distributione & non priùs Cantores incipiunt *Exurge Domine* sicut Introitum Missæ, quod Chorus prosequitur; Et interim

Celebrans

Celebrans lauat manus in cornu Epistolæ, Acolytho ministro fundente aquam, & Ministris sacris ministrantibus hinc inde manutergium, deinde stans in cornu Epistolæ, dicto *Exurge* subdit immediatè *Oremus* Diacono à dextris stante & immediatè genuflectente cantando *Flectamus genua* omnibus genuflectentibus, & Subdiacono à sinistris etiam primo omnium surgente cantando *Leuate*. Tum Celebrans dicit Orationem, stantibus ministris vt suprà; In Dominicis tamen ante Septuagesimam, non dicitur *Flectamus genua*, nec *Leuate*, sed statim Celebrans post *Oremus* dicit Orationem *Exaudi* & nunquam Celebrans genuflectit. *Carem Epis. lib. 2. c. 16.*

15. Finitâ oratione supradictâ, Celebrans accedit ad medium Altaris, vbi imponit & benedicit thus in thuribulum de more, omnibusque cereis accensis per Cæremoniarium aut alium ordinatur Processio hoc modo: Diaconus stans versus populum à tergo Celebrantis altâ voce cantat *Procedamus in pace*, quo dicto, Chorus respondet, *In nomine Christi, Amen*. Tunc Celebrans vertit se ad populum, & descendit in planum factâ reuerentiâ altari, Mox præcedit Thuriferarius cum thuribulo fumigante, deinde Subdiaconus paratus deferens Crucem processionalem medius inter duos Acolythos cum Candelabris accensis imagine crucifixi versa ad ipsum Thuriferarium, sequitur Clerus per ordinem, iuniores primo bini, deinde Seniores. Denique vltimus omnium procedit Celebrans tecto capite habens Diaconum à sinistris non attollentem fimbriam pluuialis ipsius Celebrantis. Quatuor primi sunt nudo capite etiam extra Ecclesiam, sicut & Clerus intra Ecclesiam, sed extra tecto procedit capite, omnesq; Candelas tenent accensas in manibus, exceptis quatuor prioribus,

& qui à dextris sunt dextera, à sinistris verò sinistra Candelas deferunt, altera manu Rituale seu Processionale habentes.

16. Antiphonæ cùm inchoatæ fuerint à Cantoribus debent à Choro continuari & compleri vti moris est. Et si processio longior sit, repetantur eædem Antiphonæ. Interim dum processio fit remouetur pallium violaceum ab Altari, si nimirum Celebranda sit Missa de festo, alias enim illud relinquitur.

17. In reditu Processionis Cantores intrantes in Ecclesiam statim & absolutè incipiunt Responsorium *Obtulerunt* vt in Rituali, quo dicto omnes Candelas extinguunt, quas conseruant accendendas vt infra. Celebrans verò & ministri depositis paramentis violaceis in Sacristia accipiunt alba pro Missa de festo celebranda.

18. Si Missa dicatur de Dominica priuilegiata, Celebrans deponit tantùm pluuiale, & accipit manipulum & planetam, ministri etiam deponunt planetas plicatas, si ijs vtuntur, & capiunt manipulos, Dalmaticam, & Tunicellam violacei coloris. Quo facto, imposito & benedicto incenso, procedunt omnes sine candelis, exceptis Ceroferarijs ad Altare pro Missa celebranda.

19. In Missa dum cantatur Euangelium candelæ tenentur accensæ, quo dicto, extinguuntur, sed iterum accenduntur paulò ante eleuationem SS. Sacramenti, & sic accensæ tenentur vsque ad completam Communionem Celebrantis & aliorum, non tamen à ministris altaris, sed ab omnibus alijs. Celebrans autem data benedictione Diacono, ante Euangelium, stans in cornu Epistolæ accipit à Sacrista aut alio Candelam suam accensam, eamque tenet ad Euangelium quod Diaconus cantat, quo dicto, candelam

dem reddit Sacristæ aut alteri, antequam librum osculetur.

20. Si Missa dicatur de Dominica, fiet tantùm benedictio & distributio Candelarum & processio, vt suprà, & in Missa non tenentur candelæ accensæ. *Gauantus part. 4 tit. 14. n. 10.*

21. Si transfertur festum Purificationis Beatæ Mariæ Virginis continuatur adhuc Antiphona *Alma redemptoris*, & dicitur vsque ad Completorium illius diei in quem transfertur exclusiuè. & si festum habeat octauam tota octaua dicitur eadem Antiphona *Alma* vsque ad vltimum Completorium diei octauæ.

22. Si paucis diebus ante feriam quartam Cinerum occurrat festum Purificationis B. M. V. aut etiam aliud habens octauam, & ea octaua non sit completa, tunc feria tertia ante prædictam feriam quartam, cessant prædictæ octauæ ad Nonam inclusiuè, & Vesperæ huius diei erunt de feria, & non amplius de festo, ideo si dies octaua Purificationis incideret in hanc feriam tertiam, diceretur finita Nona Antiphona *Alma Redemptoris* & non amplius, & tunc post ad Vesperas cantaretur Antiphona *Aue Regina cælorum*, si seorsim dicerentur à Completorio, alias enim post Completorium ipsum.

TITVLVS IV.

De feria quarta Cinerum.

Sic vocatur hæc feria quarta ab impositione Cinerum super capita fidelium, estque principium pœnitentiæ, non tamen Quadragesimæ.

2. Hora competenti per Sacristam, paratur Altare simpliciter colore violaceo cum quatuor candelabris sine floribus aut alijs quæ solennitatem sapiunt. Item paratur credentia vt moris est super quam præter consueta ponitur Thuribulum cum nauicula, & vas aquæ benedictæ cum aspersorio; Vas argenteum, vel ex alia materia cum cineribus mundis & aridis, non in modum luti factis de ramis oliuarum, seu altarum arborum, præcedenti anno benedictis positum esse debet in cornu Epistolæ Altaris.

3. Finita Nona, dictoque *Benedicamus Domino*, sine versu *Fidelium animæ* accensisque cereis super Altare, Celebrans indutus Amictu, Alba, Cingulo, Stola & Pluuiali violacei coloris, vel in defectu pluuialis stola, sine casula, & Diaconus cum Subdiacono indutus planetis plicatis, vel in minoribus Ecclesijs Diaconus indutus alba & Stola sine manipulo, atque Subdiaconus indutus amictu alba, & Cingulo tantum procedunt ad Altare.

4. Celebrans facta reuerentia debita Altari cum ministris ascendit ad Altare, illud osculatur, ministris genuflectentibus, accedit ad cornu Epistolæ, vbi stans inter ministros sacros legit submissa voce Antiphonam *Exaudi*, quam Chorus cantat vt Introitum Missæ, deinde eodem modo stans, & non se vertens ad populum cantat in tono feriali, *Dominus vobiscum*, & orationem conuersus tantisper ad cineres, & dum dextera format signum Crucis super cineres sinistram ponit super altare, & Diaconus stans a dextris eius eleuat anteriorem partem, pluuialis omnibus de Choro stantibus & ad Altare conuersis.

5. Dum Celebrans benedicit cineres Thuriferarius parat Thuribulum, & alias Acolythus vas aquæ benedictæ, & firmant se prope Diaconum.

num. Tum, finita oratione Celebrans imponit & benedicit thus, teraſpergit, in medio, à dextris, & à ſiniſtris aqua benedicta cineres dicendo Antiphonam *Aſperges* nimirum totum verſum & nihil præterea ſine cantu & ſine pſalmo, deinde reddito aſperſorio Diacono, ab eodem accipit thuribulum & eodem modo tertio thurificat cineres quo aſperſit.

6. Facta incenſatione Celebrans accedit ad medium Altaris, ibique vertit ſe ad populum medius inter Diaconum à dextris tenentem vas cinerum, & Subdiaconum à ſiniſtris.

7. Tum dignior de Clero in ſuo habitu chorali accedit ad Altare & facta Altari & Celebranti in plano debita reuerentia, aſcendit ad ſecundum gradum, vbi ſtans imponit cineres ſuper caput inclinatum ipſius Celebrantis ſtantis manibus iunctis verſus populum & non genuflexi, atque imponendo cineres dicit, formans ſignum Crucis *Memento homo quia puluis es, & in puluerem reuerteris.*

8. Si verò non ſit alius Sacerdos, ipſemet Celebrans verſus Altare genuflexus, ſibi ipſi imponit cineres nihil dicens, quaſi cineres à Deo accipiens, cui omne genu flectitur.

9. Celebrans acceptis cineribus ſtans nudo capite dum cantantur Antiphonæ & Reſponſorium Diacono tenente vas cum cineribus à dextris primò imponit ipſi digniori Sacerdoti, à quo ipſe accepit genuflexo ſuper ſuppedaneum Altaris; deinde miniſtris paratis genibus flexis coram Altari & manibus iunctis. at Diaconus accepturus cineres, vas ponit in manibus Cæremoniarij aut alterius, illudque recipit acceptis cineribus.

10. Poſteà accedunt alij bini, vt ſuprà manibus iunctis, & pari diſciplina, & etiam capite inclinato.

clinato. Si tamen sint Canonici, non genu flectunt, neque etiam Ecclesiæ superior, seu Rector, si ipse non distribuit cineres, aliqua fortè rationabili de causa.

11. Datis cineribus Clero ad Altare, descendit ad cancellos, vbi eodem modo distribuit cineres populo vtriusque sexus, singulis verba supradicta repetens semper in masculino genere, licet fœminis distribuat, & his non supra velum, sed supra capillos, si commodè fieri potest, ne benedictus cinis supra velum deperdatur. Interim Diaconus à parte sua sinistra, Subdiaconus verò dextra, elevant partes anteriores Pluvialis Celebrantis.

12. Distributis cineribus Celebrans lavat manus suas in angulo Altaris, deinde stans in cornu Epistolæ versus Altare manibus junctis, cantat Orationem *Concede* cum Pluviali, stantibus hinc inde à lateribus eius ministris sacris.

13. Deinde descendit in planum Altaris in medio, vbi deposito Pluviali, capit Manipulum & Planetam, eo modo quo post aspersionem aquæ benedictæ, & ipse incipit Missam solemnem.

14. Si dicatur Missa solemnis, & Ministri vestiantur Planetis plicatis, seruentur ea quæ dicta sunt initio Aduentus. Ad versum *Adiuua nos* cum cantatur à Choro omnes genuflectunt, exceptis duobus Cantoribus, qui eum fortè, secundum morem locorum, decantant in medio Chori stando.

15. Antequam autem inchoetur prædictus versus *Adiuua nos*, Celebrans & ministri descendunt ad secundum gradum altaris, & ibi genuflectunt dum cantatur à Choro. Quo versu dicto, Diaconus, deposita planeta plicata, & accepta stola lationi incensum ministrat; dicit *Munda cor meum*,

Gauantus comment. in Rubr. Miss. part. 1. tit. 17.

nium, & alia peragit vt in alijs Missis. Celebrans autem ita metiatur tempus, & Chorus, vt quantum fieri possit, Euangelium suum perfecerit ante initium huius versus, vt quantùm fieri possit, Euangelium suum perfecerit ante initium versus, ne nimia interponatur mora intra Missam, ideò Chorus ea omnia lentius decantare debet, vt debito ordine & maturè fiant. Celebrans verò dum illum versum dicit priuatè, genuflectit tantùm in principio, & statim surgit.

TITVLVS V.

De Tempore Quadragesimæ vsque ad Dominicam Palmarum.

1. SAbbatho ante Dominicam primam Quadragesimæ, dicuntur Vesperæ ante comestionem quod seruatur omnibus diebus quadragesimalibus etiam in festis, exceptis tantum diebus Dominicis quibus dicuntur horâ consuetâ.

2. Dominica quarta Quadragesimæ, pulsantur Organa, & in Missa solenni ministri sacri vtuntur Dalmatica & Tunicella violacei coloris: altare verò paratur festiuius quam in alijs Dominicis, possunt enim adhiberi flores & imagines, aut Reliquiæ, non verò in alijs Dominicis.

3. Dominica Passionis, quæ est quinta Quadragesimæ omnes imagines quæ sunt per Ecclesiam, teguntur, velis violaceis ad primas Vesperas scilicet Sabbatho & non antè, sicque tectæ manent vsque ad finem Litaniarum Sabbathi Sancti inclusiuè. Similiter Cruces velaminibus violaceis omnino nudis absque vlla Crucis figura, neque in illis

velis-

velis insignia debent esse Passionis Christi, contra vsum quorundam, qui in illis figuram Christi Crucifixi apponunt, & alias Cruces, & insignia Passionis, non benè.

TITVLVS VI.

De Dominica Palmarum.

1. OFficium huius Dominicæ, hoc est benedictio & distributio Ramorum, deinde Processio, similia ferè sunt in omnibus officio Purificationis B.M. in benedictione & processione candelarum, paucis exceptis, Ideo legenda sunt, quæ de ijs suprà posita.

Gauantus comment in Rubr par 4. tit 7. n. 7.

2. Sacrista præparat numerum ramorum oliuarum & palmarum siue aliarum arborum, tam pro Clero quàm laicis sufficientem, & ponantur super credentiam in cornu Epistolæ, prope altare versus cornu posterius linteo pulchro vndequaque tectam, ac alio linteo, seu mappa munda tegi possunt vsque ad eorum benedictionem.

3. Parantur etiam super eandem Credentiam aut etiam aliam Thuribulum cum nauicula, Missalia pro passione cantanda, Crux processionalis, Rituales libri pro Processione. Item deputentur ministri necessarij.

4. Omnibus necessarijs præparatis, circa finem Tertiæ accenduntur per Acolythos cerei altaris.

5. Completa Tertia, Sacerdos sine manipulo paratus amictu, alba, cingulo & pluuiali, si fieri potest, vel sola stola violacea & ministri planetis plicatis cum manipulis quia Epistolam & Euangelium sunt cantaturi, procedit ad Altare medius inter ministros sacros, præcedente Acolytho cum vase aquæ benedictæ, & alijs duobus cũ cereis accensis.

6. Cum

6. Cum peruenerint ad Altare, Celebrans & ministri depositis priùs biretis, debitam faciunt reuerentiam, & statim ante aspersionem aquæ benedictæ, Ceroferarij deponunt Candelabra super Credentiam, & fit aspersio de more vt supràtit. VI. pag. 452. annotatum est.

7. Facta aspersione aquæ benedictæ, & dicta oratione solita *Exaudi* Celebrans ascendit ad Altare, illudque osculatur Ministris sacris genuflectentibus Cruci Altaris, & interim per Sacristam aut alium rami discooperiuntur. Deinde Celebrans accedit ad cornu Epistolæ, ibique medius inter ministros sacros manibus iunctis non vertens se ad populum, cantat *Dominus vobiscum*, & orationem in tono orationis Missæ ferialis. *Gauantus loco citato.*

8. Interim Subdiaconus deposita planeta, si ea vtatur, & sumpto libro, factaque Altari debita reuerentia, vadit ad locum vbi cantari solet Epistola, & eodem ritu quo in Missa solemni cantat Epistolam, quam interim Celebrans legit submissa voce, assistente sibi Diacono, vt in Missa solemni, qui in fine respondet ipsi *Deo gratias*. *Gauantus loco citat.*

9. Epistola cantata, Subdiaconus, facta genuflexione Altari, de more accipit benedictionem à Celebrante, resumit planetam plicatam, si ea vtitur, non tamen defert Missale Celebrantis ad cornu Euangelij, quia Celebrans illud legit, præmissis Graduali, & *Munda cor meum* ibidem, & non in medio Altaris. *Gauantus loco citat. num. 9.*

10. Interim dum à Choro cantatur Responsorium *Collegerunt*, Diaconus, deposita priùs planeta, si ea vtitur defert de more librum Euangeliorum ante pectus super medium Altaris, & Thuriferarius tempestiuè accedit ad cornu Epistolæ cum thuribulo & nauicula, ibique Celebrans, Diacono ministrante & stante à dextris *Gauantus loco citat. num. 1. 10.*

eius,

eius, ponit thus in thuribulum cum benedictione, vt ad Euangelium. Deinde Diaconus dicit *Munda cor meum, &c* in medio Altaris, accipit librum de Altari, petit benedictionem à Celebrante stante in cornu Epistolæ versus eum, quam de more cum solito osculo dat. Deinde Diaconus procedit ad locum Euangelij cum ministris & reuerentijs solitis, Euangeliumque cantat more solito, Subdiacono librum tenente, medio inter duos Acolythos tenentes candelabra accensa, quo finito Subdiaconus defert librum osculandum Sacerdoti, qui & incensatur à Diacono, quo facto Diaconus deposita Stola latiore, resumit Planetam vt priùs, alioquin remanet cum stola & manipulo, vt anteà.

Gauantus ibidem n. 11.

11 His omnibus peractis Celebrans manibus iunctis, benedicit prædictos ramos aliquantulum ad eos conuersus. Ministris sacris stantibus, hinc inde manibus iunctis, dicens in tono feriali *Dominus vobiscum* & alia, vsque ad finem, etiam Præfationem, prout notatur in Missali.

Gauantus ibidem sub num. 12.

12. Dum dicit *Sanctus* Ministri prout erant, se inclinant cum Celebrante, manibus iunctis, illudque cum eo dicunt, & ad *Benedictus qui venit* erecti se signant.

Gauantus loco citat. num. 12.

13. In orationibus autem nihil est immutandum, neque detrahendum, licet benedicantur rami aliarum arborum, & non palmarum, aut eliuarum, quia habentur loco palmarum.

Gauantus loco citat. num. 11.

14. Cum Celebrans ramos dextra benedicit, sinistrâ super Altare posita, Diaconus eleuat Pluuiale Celebrantis, Interim qui sunt de Choro stant versus Altare nudo capite inclinantes se ad nomen IESV.

15. Circa finem quintæ Orationis, Acolythorum alter accipit de Credentia vas Aquæ benedictæ

dictæ cum aspersorio, & vnà cum Thuriferario accedit ad Celebrantem prope Diaconum.

16. Absoluta benedictione Celebrans ponit incensum in thuribulum ministrante Diacono Nauiculam & Thuriferario thuribulum, deinde accepto aspersorio de manu Diaconi cum solitis osculis & reuerentijs ter aspergit ramos, id est in medio, à dextris ramorum, & à sinistris eorum dicendo submissa voce versum illum Psalmi *Asperges me Domine Hyssopo, & mundabor lauabis me, & super niuem dealbabor.* & ter adolet incenso, eo scilicet modo quo aspersit nihil dicens. Diaconus autem in aspersione & incensatione eleuat fimbriam pluuialis. *Gauantus loco citat. num. 13.*

17. Completa benedictione, Celebrans accedit ad medium Altaris & renes ei vertens, conuertit se ad populum, ibique stat in medio Diaconi à sinistris & Subdiaconi à dextris nudo capite.

18. Interim dignior ex Clero in habitu suo Chorali comite Cæremoniario, accedit ad Altare, vbi accipit de manu Diaconi ramum, quem Celebranti stanti offert cum osculo rami ab vtroque facto, non verò manus, ipsumque ramum Celebrans statim tradit alicui ministro custodiendum. Deinde Celebrans à Diacono ramos acceptos distribuit primùm digniori, à quo ipse accepit; mox Diacono & Subdiacono paratis, & alijs Clericis singulatim per ordinem, vltimò laicis: omnibus genuflectentibus, & ramum ac manum Celebrantis osculantibus exceptis Prælatis & Canonicis qui ramum tantum & non manum osculantur, neque genuflectunt. *Gauantus loco citat. num. 14.*

19. Facta

19. Facta distributione Choro & Magistratibus ad Altare Celebrans descendit ad cancellos vbi eosdem ramos allatos à ministris, distribuit populo vtriusque sexus, & si sit magnus concursus populi, vt sæpe accidit, potest fieri alia distributio per aliquem *Presbyterum* superpelliceo & stola coloris violacei indutum cum Acolytho qui ei ramos ministret distribuendos.

Gauantus loco citat. n. 24 litt. h.

20. Cum inchoatur distributio statim, & non prius, Clerici cantant in Choro Antiphonam *Pueri Hebræorum* & sequentem, repetanturque sæpius secundum concursum populi.

21. Completa tota distributione ramorum, Celebrans lauat manus in cornu Epistolæ. Tum in eodem cornu iunctis manibus, vt prius, medius etiam inter prædictos ministros versus Altare cantat *Dominus vobiscum* & orationem vt in Missali.

Gauantus loco citat. num. 15.

22. Finita oratione, Celebrans accedit ad medium Altaris, vbi interim ministrantibus Diacono Nauiculam cum cochleari & Thuriferario Thuribulum benedicit de more incensum.

23. Tum Diaconus deposito suo manipulo, porrigit Celebranti ramum eius cum debitis osculis & suum pariter capit, atque vertens se ad populum dicit: *Procedamus in pace.* Et Chorus respondet: *In nomine Christi, Amen.* Subdiaconus interim deposito suo manipulo accipit Crucem processionalem.

Gauantus loco citat.

24. Deinde per Cæremoniarium ordinatur Processio hoc ordine. Præcedit Thuriferarius cum thuribulo fumigante: sequitur Subdiaconus paratus deferens Crucem, medius inter duos Acolythos cum candelabris & cereis accensis, deinde Clerus per ordinem, Clericis qui sunt à dextris tenentibus ramos dextra, & qui sunt à sinistris, sinistra, altera manu Ritualia cantantibus

Antipho-

Antiphonam *Cum appropinquasset* & alias, quando opus erit, possunt que repeti si longior sit, & breuiari, si breuior, vltimò Celebrans cum Diacono à sinistris, omnes cum ramis in manibus.

15. In reuersione Processionis, duo vel quatuor Cantores intrant in Ecclesiam, cuius fores claudunt, ibique expectant Processionem. Et cùm aduenerit ad prædictas fores Subdiaconus deferens Crucem, versus ad eas medius inter Ceroferarios, assistente Cæremoniario, sistit se; Chorus verò stat in duas partes diuersus medium habens Celebrantem, stante Diacono à sinistris eius, directe conuersum ad Crucem, habentem imaginem Crucifixi tunc ad ipsum Celebrantem conuersam.

16. Tum Cantores qui sunt in Ecclesia stantes versa facie ad Processionem incipiunt versum *Gloria, Laus*, & decantant duos primos versus. Sacerdos verò tecto, & alij extra Ecclesiam nudo capite repetunt eosdem versus etiam integrè. Deinde qui sunt intus, cantant alios versus sequentes, vel omnes, vel partem, prout videbitur, & qui sunt extra, ad quoslibet duos versus respondent, *Gloria, Laus*, sicut à principio. *Gauantus loco citat. n. 17. litt. q.*

17. Posteà cantatis omnibus versibus ex Missali recognito Subdiaconus Crucem deferens ima parte hastili Crucis percutit portam, nihil dicens: qua statim aperta, Processio intrat Ecclesiam cantando Responsorium *Ingrediente Domino*. *Gauantus loco citat. num. 16.*

18. Cùm peruenerint ad Altare, Subdiaconus Crucem in loco congruo deponit prope Credentiam, quæ statim per aliquem Acolythum in Sacristiam defertur. Ceroferarij deponunt Candelabra sua super Credentiam, Celebrans ante Altare deponit ramum suum & pluuiale, & accipit Manipulum (sicut & ministri sacri suos

accipiunt, quos ante Processionem deposuerant) & Planetam induit, atque incipit Missam solemnem.

Gauantus part. 4 tit 7. num. 18.

29. In Missa Rami tenentur in manibus dum cantatur Passio & Euangelium tantùm; Cùm Subdiaconus pronuntiat in Epistola ea verba *vt in nomine Iesu, &c.* ipse & omnes alij etiam Celebrans genuflectunt vsque ad verbum *inferorum* inclusiuè. Celebrans verò genuflectit cum Diacono à sinistris eius super suppedaneum altaris, ante medium ipsius.

Cærem Epis. lib. 2. c. 25.

30. Tres qui cantaturi sunt Passionem, dum cantantur Epistola & Tractus, parantur in Sacristia amictu, alba, cingulo, manipulo, & Stola ab humero sinistro pendente, coloris violacei; & circa finem Tractus, procedunt è Sacristia hoc ordine; Antecedit Cæremoniarius, tum ille qui Euangelistæ personam gerit, portans sibi librum, tum ille qui turbarum, vltimo qui Christi; factis autem debitis reuerentijs Altari, accedunt versus cornu Euangelij ad cantandum medium locum relinquentes agenti personam Christi, & dextram Euangelistæ.

Cærem Epis. loco citat.

31. Si tot Cantores desunt ad Passionem cantandam, eo casu solus Diaconus Missæ eam decantat in pulpito nudo: Et tunc circa finem Tractus, Acolythus aliquis collocat legile nudum vbi solet Euangelium decantari. Diaconus deponit planetam & capit Stolam latiorem, vel remanet in Alba, & capit librum, & præcedente vnico ministro, illum defert ad prædictum legile, facta priùs genuflexione Altari, ibique ex libro aperto cantat Passionem vsque ad eam partem, quæ pro Euangelio haberur, & eâ finitâ, redit ad Altare, ac reliqua facit pro parte postrema vt infrà dicetur latius.

Gauantus p. 4 tit. 7. num. 25.

32. Cùm

31. Cùm inchoatur Passio à Cantoribus, Celebrans surgit si sedeat, & accedit ad cornu Epistolæ vbi palmam tenens sinistra eam leget paululum ad Cantores conuersus, ministris stantibus apud eum vt in Introitu Missæ, etiam ramos sinistrâ tenentibus. sicut etiam omnes alij qui sunt in Ecclesia manibus eos tenent. Et cùm Celebrans ad mortem Christi peruenerit non genuflectit, nisi simul cum prædictis Cantoribus. At postquam eam integrè legerit, conuertit se omnino ad Cantores, & Ministri sacri similiter, vnus post alium, Diacono stante à sinistris Celebrantis, & Subdiacono à sinistris huius, & dum profertur nomen IESV inclinant se versus Crucem Altaris. *Carem. Epis. lib. 2. c. 41.* *Gauantus part. 4 tit. 9. n. 5. litt. h.*

32. Adhæc verba *Iesus autem voce magnâ exclamans, emisit Spiritum*, & similia in alijs Passionibus genuflexio facienda est vtroque genu, etiam à Cantoribus versus librum, nec priùs surgendum, quin post aliquam pausam (quæ potest durare spatio vnius *Pater noster*) Celebrans autem & eius ministri, paulò ante prædicta verba *Iesus autem, &c.* accedit ad medium Altaris, & descendit ad secundum gradum, ibique super suppedaneum genuflectit cum ministris hinc inde, donec Diaconus surrexerit. *Gauantus part. 4. tit. 9. num. 7. lit. h.*

34. Post genuflexionem quæ fit in morte Christi, Subdiaconus mutat librum Celebrantis à cornu Epistolæ ad cornu Euangelij, genuflectens in medio. Tum Celebrans dicto in medio altaris *Munda cor meum* de more, & *Iube Domine* accedit ad idem cornu, vbi non signans librum, nec seipsum, legit eam partem Passionis, quæ habetur loco Euangelij, assistente sibi Subdiacono vt aliàs, quâ finitâ Subdiaconus respondet *Laus tibi Christe* vt in alijs Missis,

35. Lecto à Celebrante Euangelio, si adhuc aliquid superst temporis ipse Celebrans redit ad cornu Epistolæ, vbi se conuertit ad Cantores, donec Passionem finierint. Quâ finitâ, tres prædicti Cantores acceptis codicibus suis prout venerant redeunt in Sacristiam. Interim Diaconus Missæ ministrat nauiculam Celebranti, qui imponit & benedicit thus in thuribulo, dicit *Munda cor meum*, & petit benedictionem de more genuflexus & more solito cum alijs procedit ad locum consuetum Euangelij, vbi illud decantat, sed priùs incensat librum, quem non signat nec se, neque dicit *Dominus vobiscum*, sed absolutè incipit *Altera autem die* Subdiacono tenente librum.

Gauantus part. 4. tit. 7. n. 20.

36. Celebrans, datâ benedictione Diacono, retrahit se ad cornu Epistolæ, ibique stat versus ad Diaconum cantantem, & in fine librum osculatur in principio illius postremæ partis, quæ pro Euangelio habetur & similiter incensat cum de more.

Gauantus part. 4. tit. 7. n. 20.

37. Non probatur ista distributio partium Passionis inter Celebrantem, Diaconum, & Subdiaconum, ita vt Celebrans vices Christi, Diaconus Euangelistæ, Subdiaconus Turbarum gerant. Non enim decet Celebrantem tunc cantare.

Gauantus part. 4. tit. 9. n. 5. litt. g.

38. Notæ illæ quæ in Missali Passioni apponuntur videlicet †. C. S. significant Cristum, Chronistam & Synagogam, vel Christum, Cantorem, & Succentorem: quia hodie Diaconi isti vocantur Cantores Passionis.

Gauantus part. 4. tit. 7. num 20.

39. In Missis priuatis, dicto Tractu à Sacerdote, Minister defert Missale ad cornu Euangelij cum debitis genuflexionibus, & Celebrans ad illud etiam accedit, factâ priùs in medio inclinatione, ibique non se signans, Passionem dicit absolutè, grauiter & deuotè: Ad verba *Emisit Spi-*

Gauantus loco citat. num. 20.

ritum

ritum genuflectit ipse versus librum, pausans aliquantulum, aliaque peragit vt in alijs Missis, sed in fine dicitur Euangelium *Cum appropinquasset.*

40. Si Processio extra Ecclesiam exire nequeat, fiat intra & circum eam, & quod ante portam agendum erat, fiat in reditu ad vestibulum Capellæ maioris, vel Chori, aut alterius commodioris loci. *Gauantus loco citat. n. 24.*

41. Ad Capitulum Nonæ non genuflectitur à Clero. Nec feria quarta sequenti genuflectunt ad Introitum Missæ, quæ incipit *In nomine Iesu.* *Gauantus loco citat. num. 26.*

TITVLVS VII.

De Matutinis Tenebrarum celebrandis feriis quarta, quinta, & sexta maioris Hebdomadæ.

1. POst Dominicam Palmarum nullæ occurrunt solennitates quæ indigeant speciali declaratione ante officium Tenebrarum, nam licet tertia & quarta feria celebrari solet Missa solemnis, & infra eam decantari Passio, celebrabitur secundum ritum & Cæremonias, quæ solent obseruari in diebus ferialibus.

2. Passio etiam cantabitur prout Dominica præcedenti, tam quoad libitum, & numerum ministrorum, quam quoad alias Cæremonias.

3. Ipsa verò feria quarta paratur in plano Presbyterij ad cornu Epistolæ, vbi scilicet Subdiaconus solet assistere dum Celebrans dicat Introitum Missæ candelabrum triangulare ligneum, in quo quindecim Candelæ ceræ communis, pro Maturinis Tenebrarum tantùm, affigantur hinc inde gradatim insurgentibus septenis clauis ferreis *Cærem. Epis. lib. 2.* *Gauantus comment. in Rubr. Breuiarij sect. 6. c. 13. n. 6.*

reis in supremo loco habentes quintumdecimum, æqualiter inter se distantes, suntque cerei prædicti duarum aut trium vnciarum, & quotidie hoc triduo, si fieri possit, renouentur.

4. Altare paramentis violaceis ornetur & super illud sex candelabra. Item arundo pro cereis extinguendis.

5. Horâ igitur competenti antequam Matutinæ inchoentur, accenduntur sex cerei altaris & quindecim supradicti incipiendo ab altiori, & continuando priùs à parte Euangelij, deinde à parte Epistolæ.

6. Dato vltimo signo Matutinarum omnes versus Altare dicunt *Pater, Aue & Credo* tum præter missis omnibus Celebranti hebdomadam præintonatur principium primæ Antiphonæ, quod iuxta tonum ei traditum repetit & Chorus eandem prosequitur & Cantores Psalmum intonant, & eodem ordine proceditur in dandis reliquis Antiphonis, Clericis, vnam tamen ab vno latere, alteram ab altero, seruato ordine dignitatis Cantoribus verò incipientibus psalmos.

7. Quia hoc triduo non dicitur versus *Gloria Patri*, in fine psalmorum & Canticorum, ideo deflectitur vox aliquantulum in fine eorum, vt finis psalmi cognoscatur. Item deflectitur vox in fine lectionum secundi & tertij Nocturni, quia non dicitur *Tu autem*. Item in fine orationis *Respice quæsumus* ad verbum *tormentum*.

8. Finito quolibet psalmo, aliquis Acolythus accedit cum debitis genuflexionibus ad altare cum virga aut arundine extinguit vnam ex candelis in candelabro triangulari positis, incipiens ab ea quæ est remotior in parte Euangelij, & post finem secũdi psalmi extinguit candelam, quæ est in latere Epistolæ: & sic successiuè alternatim ab vtroque latere, singulos cereos extinguit in fine

omnium

omnium Psalmorum Matutinarum & Laudum vsque ad supremum cereum qui est in cuspide exclusiuè.

9 Dum Psalmi, Antiphonæ, Lectiones, & Responsoria cantantur, sedent omnes recto capite, exceptis ijs qui incipiunt Antiphonas, & Cantoribus dum incipiunt Responsoria prolixa, & versus eorum, & Lectiones decantant.

10. Dicta vltima Antiphona cuiusque Nocturni, dicitur versus à duobus Cantoribus, ad quem omnes stant nudo capite, & ad *Pater noster*. Tum deputati incipiendo à iunioribus accedunt ad legile nudum in medio chori præparatum, dicto-quo *Pater noster* cantant lectiones.

11. Laudes cantantur eodem modo, quo matutinæ sedentibus omnibus, cum extinctione vnius cerei, in fine cuiusque psalmi: & dum cantatur Canticum *Benedictus* omnes stant nudo capite, & interim lampades omnes, & alia omnia luminaria Ecclesiæ extinguuntur, præter illa quæ ardent coram SS. Sacramento. Item cerei altaris extinguuntur hoc modo. Dum inchoatur versus *vt sine timore, &c.* aliquis accedit ad cornu Euangelij & ad quemlibet versum, extinguit candelam vnam in altari, incipiendo ab ea, quæ est cruci remotior in eodem cornu Euangelij: ijsque tribus extinctis, accedit ad aliud cornu, facta in medio debita Altari reuerentia, eodem ordine extinguit tres alias in cornu Epistolæ, etiam incipiendo ab ea quæ est remotior à Cruce.

12. Cùm repetitur Antiphona Cantici *Benedictus*, Cæremoniarius aut alius Capellanus, remouet cereũ ex Candelabro triangulari positum, cumq; accẽsum eleuata manu sustinet super cornu Epistolæ altaris, & cùm inchoatur *Christus factus est pro nobis*, illum sic accensum abscondit retro altare vel alio modo vt lumen nullo modo appareat. *Cerem. Epis. lib. 2. c. 22.*

13. Repetita antiphona Cantici, omnes genuflectunt, ac simul omnes incipiunt ac cantant versum *Christus factus est, &c.* Quo finito dicitur *Pater noster* à Choro sub silentio, eoque absoluto superior absolutè incipit Psalmum *Miserere mei Deus* quem Chorus prosequitur in directum vel modulatâ, sed flebili voce & demissiori quàm reliquum officium iuxta locorum consuetudinem.

Carem Epis. lib. 2. c. 22.

14. Finito Psalmo prædicto, Cebrans adhuc genuflexus, & alij omnes cum eo, capite inclinato, dicit clara voce, & deuota Orationem *Respice quæsumus* & in fine vocem aliquantulum deflectit dicens *Qui vivis* quod secretò complet: & omnes sub silentio exeunt, vt in Breuiario.

15. Oratione completa, fit fragor & strepitus per breue spatium, manu vel alio instrumento, donec Minister prædictum cereum accensum, qui fuerat absconditus, populo ostendat & tunc eo in summitate candelabri, vt priùs, reposito omnes cessare debent à strepitu.

16. Prædicta omnia respectiuè obseruantur etiam duobus sequentibus diebus, cum aliqua tamen differentia, nam altare his diebus sequentibus, parimentum, & alia similia prorsus denudantur, & aduertatur, vt Matutinæ hora tarda, hoc est sole occidente completæ sint.

TITVLVS VIII.

De Feria 5. in Cœna Domini.

1. HAc die solennissima, Crux altaris, dum dicitur hora Nona, tegitur velo albo, vt suprà, & Crux Processionalis eodem colore. Altare maius paratur pretiosioribus ornamentis albis,

Violaceo

albis, ita tamen vt ad denudationem altarium facilè remoueri possint. Alia tamen altaria remanent parata suis ornamentis violaceis, cum Crucibus rectis eiusdem coloris: at aciculæ aut spinulæ remoueantur de tobaleis prædictorum altarium, vt facilius denudari possint post vesperas.

2. Item paratur aliqua Capella seu locus honestissimus omnino ab Altari ad quod manè celebratur, distinctus, decenterque, quoad fieri potest, ornatus velis pretiosis, nequaquam nigris, luminibus, floribus aliisque ornamentis, ita vt id quod ibi apparet, solennitatem & splendorem demonstret, nec vllo modo luctum & tristitiam.

3. Præparandus super Credentiam Calix amplus & pretiosus, cum palla & patena & velo albo ex pulchrioribus pro imponendo SS. Sacramento & conseruando in sequentem diem. Item velum album oblongum pro humeris Celebrantis in processione; sufficientes hostiæ paruæ pro communione Clericorum & aliorum. Duo thuribula, Paramenta alba pro Celebrante & ministris. Baldachinum album in processione adhibendum, Crux processionalis, stolæ sufficientes pro Sacerdotibus communicaturis, Candelæ vel faces pro Clericis iuxta numerum eorum in processione deferendæ. Instrumentum ligneum locotinabuli vsurpandum.

4. Missæ priuatæ hac die non debent dici ordinariè, in aliqua autem necessitate aut causa sufficienti dicantur in loco secreto & sine scandalo.

5. Missa cantatur solennissimè, in qua non dicitur *Iudica me Deus*, neque versus *Gloria Patri*.

6. Cùm Celebrans dicit *Gloria in excelsis*, pulsantur Campanæ, & deinceps silent vsque ad Sabbathum Sanctum, dum idem *Gloria in excelsis* incho-

choabitus, & earum loco habetur instrumentum ligneum, seu tabula lignea pro horis canonicis, non pulsatur igitur ad eleuationem SS. Sacramenti, neque ad Processionem. Graduale lentissimè à Choro cantari debet, vt Celebrans commodè suum Euangelium legere, incensum, & Diaconum benedicere possit. Dicitur ter *Agnus Dei* de more & in fine vltimi etiam *dona nobis pacem*. Pax non datur, licet dicantur tres sequentes orationes solitæ.

7. Hodie Celebrans consecrat duas magnas Hostias, quarum vnam sumit de more cum toto sanguine, & alteram reseruat pro die sequenti, in quo non dicitur Missa. Itaque ad oblationem duæ magnæ Hostiæ super patenam positæ offeruntur. Hostia magna reseruanda pro die sequenti ponitur in parte dextra Corporalis, id est, à sinistra Celebrantis, è regione alterius Hostiæ magnæ, nec ostenditur, nec eleuatur, sed semper relinquitur in loco suo.

8. Paulò ante consecrationem Hostiæ, aliqui Acolythi, afferunt funalia accensa, ibique remanent: donec fiat Processio, & sic se locant vt non sint alijs dum fit Communio impedimento, & si sint accepturi Communionem substituunt sibi alios, qui ea sustineant, atque post Communionem eadem recipiunt.

9. Dicto *Agnus Dei*, Ministri statim mutant loca, Diacono accedente ad librum, & Subdiacono ad dextram Celebrantis. Sumpto pretioso Sanguine à Celebrãte diligentiùs, statim Subdiaconus tegit palla Calicem, eumque collocat super Corporale versus cornu Euangelij.

10. Tum facta genuflexione vadit ad Credentiam, & inde Calicem vacuum pulchriorem cum palla, patena & velo sine purificatorio affert ad Altare quem tradit Diacono assanti-

assanti dextræ Celebrantis, eumque discooperit & tenet ante Celebrantem apertum, qui facta genuflexione, in eo reuerenter ponit supradictam Hostiam dextra, tum iterum genuflectit & Diaconus prædictum Calicem collocat in medio Corporalis, illumque palla, patena & paruo velo cooperit, interea à Choro *Communio* cantatur.

11. Cùm Sacerdotes omnes, siue dignitates, siue Canonici non debeant celebrare, sed Communionem accipere de manu Celebrantis, iuxta morem vniuersalis Ecclesiæ in memoriam quod Christus Dominus hac die manu propria Apostolos communicauit. Ideò cantato *Agnus Dei* accedunt ad Altare & alij de Choro incipiendo à dignioribus, ibique manent expectantes Communionem & Stolas capiunt Sacerdotes. Interim Diaconus descendit in planum Epistolæ, facta prius genuflexione, ibique profundè inclinatus dicit Confessionem clara, & alta voce in cantu Tũ ipse Celebrans dat absolutionem de more, & genuflectẽs accipit Pyxidem & versus ad Communicandos dicit *Ecce Agnus Dei* & alia.

12. Tum communicat primò Diaconum & Subdiaconum paratos; deinde Sacerdotes cum Stolis & alios secundum ordinem suum.

13. Finita Communione, Celebrans, infuso nunc vino in suo Calice, sumit purificationem, & ablutionem non extra gradus altaris sed in loco solito, factis tamen debitis genuflexionibus, atque more solito absoluit Missam.

14. Finita Missa, Celebrans cum ministris accedit ad medium altaris, factaque ibidem reuerentia accedit ad cornu Epistolæ, vbi

adiutus à ministris, deponit Planetam & Manipulum, qui etiam suos deponunt, & ipse induitur pluuiali suo.

15. Posteà per planum incedēs manibus iunctis, & nudo capite, medius inter Ministros sacros eleuantes hinc inde more suo, anteriores fimbrias Pluuialis, accedit ad medium, vbi genuflectit in plano vtroque genu, & inclinans se etiam profundè, tum erectus ascendit cum illis ad secundum gradum vbi genuflectunt iterum super suppedaneum, & parumper orant.

16. Interim, vel citius, prout opus est, accenduntur cerei ad locum vbi deferri debet SS. Sacramentum, distribuuntur Clero cerei qui & accenduntur. Subdiaconus etiam parat se in Sacristia habitu Subdiaconali ad Crucem processionalem deferendam. Interim etiam defertur Baldachinum ante altare extra cancellos.

17. Deinde duo Thuriferarij cum suis thuribulis igne instructis accedunt ad Altare, statimque Celebrans surgens imponit incensum ministrante Diacono nauiculam in Thuribulo primi Thuriferarij sine vlla benedictione & absque osculis ob præsentiam SS. Sacramenti, tum ipse Thuriferarius paululū recedit dans locū secundo Thuriferario, in cuius Thuribulo etiam Celebrans imponit thus ex priori nauicula, quam ideo retinuerat apud se Diaconus.

18. Posito incenso in duobus Thuribulis, Celebrans genuflectit vt priùs, deinde Diaconus tradit Thuribulum vnum sine osculis Celebranti genuflexo, qui facta inclinatione, ter incensat SS. Sacramentum, Ministris eleuantibus partes anteriores Pluuialis, & se inclinantibus cum Celebrante antè & post.

19. Deinde Celebrans reddit Thuribulum Diacono à dextris genuflexo, & hic Thurifera-

tio, Tum Diaconus & Subdiaconus extendunt velum oblongum super humeros Celebrantis, ita vt æqualiter fluat super brachia & manus eius.

20. Posteà surgit Diaconus, ascendit ad Altare genuflectit & surgens reuoluit anteriorem partem veli super Calicem & posteà partem posteriorem eodem modo, atque ambabus manibus dictum Calicem reuerenter accipit, dextra nodum tenens, sinistra pedem, & conuersus stans ipsum calicem porrigit Celebranti genuflexo, qui illum capit sinistram per nodum velo paruo circumdatum, & dexteram super velum paruum ponit, cuius partem posteriorem ipse Diaconus priùs explicuit, ita vt Calix sit vndique coopertus velo paruo, exceptâ parte anteriori, quæ est ante Celebrantem.

21. Celebrans accepto Calice surgit, & ad planum supremi gradus ascendit, ibique ad populum se conuertit, & tunc Cantores adhuc genuflexi deuotè intonant Hymnum *Pange lingua*, &c. mox surgunt omnes, & Chorus Hymnum prosequitur grauiter & deuotè pausando aliquantulum ad singulos versus, si locus paratus multùm distet, & Processio sit longior, quæ tamen hac die & sequenti nequaquam exire debet Ecclesiam ex Decreto Sacræ Rit. Cong.

22. Inchoato Hymno procedit Processio hoc modo. Præcedit Subdiaconus cum Cruce medius inter duos Ceroferarios, tum Clerici binâ portantes candelas accensas dextera vel sinistra respectiuè, tum aliqui Acolythi cum facibus ardentibus, deinde duo Thuriferarij cum suis thuribulis. Denique Celebrans medius inter Diaconum & Subdiaconum sub Baldachino procedit tenens eleuatum calicem ferè ob oculos, quos defixos deuotè semper habet in eum, submissa voce cum Ministris recitans deuotè Hymnum

prædictum *Pange lingua*, & alios ac etiam Psalmos, si opus sit, non enim decet vt cantet cum Clero.

23. Cum peruenerint ad Sacellum aut locum designatum, Subdiaconus & Ceroferarij sistunt se in loco congruo, vnde nullum impedimentum afferant Celebranti, & alijs. Tum Clerus diuiditur in duas partes hinc inde, vt Thuriferarij, Ministri sacri, & Celebrans sub Baldachino transire possint per medium illorum. Iuniores remanent prope Crucem; seniores verò ex ordine proximiores sint Sacramento, qui omnes ante illud genuflectunt, & sic manent genuflexi donec inde recedant. Baldachinum relinquitur ab ijs qui illud gestabant ad portam Capellæ.

24. Postquam ingressi fuerint Capellam Celebrans & ministri ascendunt ad secundum gradum Altaris, & Diaconus ascendit super suppedaneum, vbi genuflectit & Celebrans stans porrigit illi Calicem, quem reuerenter accipit, & conuersus ad Celebrantem paululum expectat donec Celebrans adorauerit SS. Sacramentum, deinde ponit deuotè Calicem super Corporale in medio Altaris explicatum quem vndique cooperit, atque facta genuflexione, descendit ad Celebrantem adhuc genuflexum, & cum Subdiacono remouet velum oblongum ab humeris ipsius Celebrantis.

25. Postea surgit Celebrans & impoit incensum vni thuribulo ministerio Diaconi sine osculis, tum idem genuflexus, sumpto thuribulo ter SS. Sacramentum incensat cum inclinationibus solitis ante & post, interim Chorus cantat *O Salutaris Hostia*, vel *Tantum ergo Sacramentum* in cantu pio & deuoto.

Carem Epist lib. 2. c. 23.

26. Facta incensatione, & reddito thuribulo Diacono ipse Diaconus ascendit ad Altare, genuflectit

flectit imponit Calicem capsulæ super corporale in ea prius explicatum, & eum tegit vndequaque. Iterum genuflectit, capsulam claudit & obserat claui, quam dat Sacristæ: non enim videndus est Calix à populo, & multò minùs Hostia patere debet populo. Neque dari debet clauis laico, quantumuis nobili ex Decreto Sacræ Rituum Congregationis 30 Ian. 1610, sed in defectu Sacristæ ei qui sequenti die officium est facturus.

Gauantus comment. in Rub. Miss. part. 4. tit. 8. n. 9. lit. C.

27. Interim Celebrans & omnes alij genuflexi erant, atque facta oratione surgunt omnes, factaque reuerentiâ SS. Sacramento extinguunt suos cereos, atque in Choro dicunt Vesperas sine cantu, Celebrans verò in Sacristia deponit Pluuiale & Stolam albam. Interim in Choro dicuntur Vesperæ sine cantu.

TITVLVS IX.

De denudatione Altarium.

1. POst Vesperas Celebrans cum alba statim parat se in Sacristia stola tantùm violacea, in modum Crucis ante pectus, Diaconus etiam alba stola violacea Diaconali super sinistrum humerum, & Subdiaconus sola Alba sine manipulis. Sic autem parati proceduntad denudationem altarium, Thuriferario, sine thuribulo & Cerofetarijs sine candelabris, & Cæremoniario præcedentibus, omnes manibus iunctis, ita vt Celebrans sit in medio Diaconi à dextris, & Subdiaconi à sinistris.

2. Incipiunt à maiori Altari, ante quod omnes genuflectunt propter Crucem ibidem positam, excepto solo Celebrante, qui tantùm se profundè inclinat, cum ab eo remouentur mappulæ

cum

cum pallijs, & alijs paramentis, quæ Sacrista statim in loco congruo deponit, relicta tamen Cruce velata cum candelabris super Altaria; auferuntur etiam cortinæ & alia.

3. Antequam inchoetur denudatio Altaris maioris Celebrans incipit alta voce, ita vt audiatur à Choro, Antiphonam *Diuiserunt sibi*, &c. quæ non duplicatur. Deinde Cantor incipit Psalmum *Deus Deus meus respice in me*, quem prosequitur, sicut & Celebrans submissa voce cum ministris interim alia altaria, sicut maius, per eosdem. Non autem repetitur Psalmus, neque Antiphona, licet sint plura altaria, sed ita, lentè cantandus est, neque antiphona, licet sint plura altaria, sed ita lentè cantandus & dicendus à Celebrante vt statim ad denudationem vltimi Altaris, vel paulò celeriùs dicatur si vnicum sit Altare, aut duo tantùm. Genuflectunt autem omnes excepto solo Celebrante ante & post denudationem Altaris, accedentes scilicet aut recedentes ab eo propter Crucem, quæ numquam inde auferri debet.

4. Deinde facta denudatione Altarium redeunt omnes prout venerant in Sacristiam. Deinde omnes parietes Ecclesiæ denudantur & pulpita, etiam Concionatoris, quamuis fieri debeat concio post meridiem: quia pulpitum non indignum est ac Altare.

TITVLVS X.

De mandato seu lotione pedum.

1. HOra competenti & solita paratur in loco vbi faciendum est *Mandatum* scamnum oblongum super quod sedeant ij quibus lauandi sunt pedes. Dicitur autem *Mandatum* tum quia Christus

Christus mandauit lotionem pedum, tum quia Antiphonæ decantandæ in ipsa sacra actione, ab hac Mandatum nouum, inchoantur.

2. In illo loco paratur Altare, aut mensa in modum Altaris cum mappa munda, antipendio, Cruce albo contecta velo, & cum duobus candelabris, ac totidem candelis ceræ albæ, quæ accendi debent paulò antequam Clerus accedat ad mandatum.

3. Item ad latus eius sinistrum, si fieri potest, paratur Credentia, super quam collocetur Missale pro Euangelio, seu liber Euangeliorum, linteum amplum quo Celebrans præcingi debet, & duæ manicæ lineæ cum aliquot aciculis. Item tredecim mappulæ in vna lance, vel ijs deficientibus paratur aliud linteum satis amplum.

4. Prope prædictum scamnum, vel alio loco commodiori tria vasa, vna aqua calida plenum, & herbis odoriferis; alterum aqua frigida ad temperamentum aquæ calidæ, si opus sit, & tertium in quod aqua peluium effundatur post cuiusuis pedis lotionem, si opus sit, nisi fortè effundenda sit in aliquo loco ad id deputato. Debent autem esse ita capacia ista vasa, vt sufficiant ad lotionem integram.

5. Item in Sacristia parantur Amictus, Alba, Cingula, Stola, & Pluuiale violacei coloris pro Celebrante, & Stola cum Dalmatica coloris albi pro Diacono, sicut & Tunicella pro Subdiacono cum duobus manipulis etiam coloris albi, quia tunc debet cantari Euangelium. His omnibus commodè & tempestiuè paratis, Celebrans & ministri induuntur prædictis paramentis, interim accenduntur candelæ quæ sunt super Altare, vbi faciendum est *Mandatum*. Tum Subdiaconus capit Crucem processionalem, & Ceroferarij sua candelabra, accensis priùs eorum candelis

candelis & collocat se retro post Celebrantem. Deinde ministrantibus Diacono & Thuriferario de more, stantibus à dextris Celebrantis, ipse Celebrans imponit & benedicit thus in thuribulo, stans ante Crucem vel imaginem Sacristiæ. Tum facta prædictæ Cruci vel imagini debita reuerentia ab omnibus, exceptis Subdiacono & Ceroferarijs, procedunt ad locum paratum hoc ordine præcedit Thuriferarius, tum Subdiaconus cum Cruce medius inter duos Ceroferarios cum Candelabris, deinde Cæremoniarius, & Clerus, & tandem Celebrans habens à sinistris Diaconum paratum iunctis manibus, & tecto capite.

6. Cum ad locum deputatum peruenerint, Subdiaconus deponit Crucem in aliquo loco congruo, Ceroferarij verò hinc inde à lateribus altaris in plano expectant, Clerus verò in duas partes diuiditur & sua loca occupat, Celebrans ascendit ad Altare, illudque osculatur; & Diaconus statim accedit ad Credentiam, accipiens librum Euangeliorum, quem de more portat ad Altare, illumque in medio collocat, tum ipse Celebrans ministrante Diacono Nauiculam imponit de more thus thuribulo, atque Diaconus præmisso *Munda cor meum, &c.* accipit librum de Altari, & tenens librum Euangeliorum ante pectus genuflexus ante Celebrantem stantem apud dictum Altare in cornu Epistolæ, petit benedictionem, & accedens ad locum Euangelij astantibus duobus Acolythis cum candelabris & cereis accensis & Subdiacono librum tenente, signat librum & incensat vti moris est & cantat Euangelium, *Ante diem festum Paschæ* vt in Missa hodiernæ diei.

7. Finito Euangelio Celebrans osculatur librum à Subdiacono delatum de more, & incensatus

satur à Diacono, Ceroferarij deponunt candelabra super Credentiam, Thuriferarius thuribulum & Diaconus atque Subdiaconus manipulos suos, vt Celebranti liberius inseruiant.

8. Posteà Celebrans exuitur pluuiali, per eosdem, illudque tradunt alicui Ministro qui illud loco congruo deponit, & per eosdem præcingitur magno linteo à Ceroferarijs allato, eleuata prius, si opus sit, anteriori parte Albæ suæ, eāq; cingulo ipsius constringūt, ne eam ipse Celebrās maculet.

9. Deinde Celebrans medius inter Diaconum & Subdiaconum accedit ad lotionem pedum, & per ordinem. dispositis ijs qui lauandi sunt, Clericis peluem & aquam ministrantibus, Subdiacono singulorum pedum dexterum vel manum (vtū in hisce partibus consuetudo obtinet) tenente, genuflectens singulorum pedem vel manum lauat, extergit, & osculatur, nullo facto super pedē aut manum signo crucis, manu, Diacono præbente linteum ad abstergendum: stans à dextris Celebrantis colligens linteū ipsum quo Celebrās est præcinctus & extēdēs quādo opꝰ est, vt extergat.

10. Dum Celebrans incipit lotionem, Cantores in habitu Chorali cantant Antiphonam *Mandatum nouum, &c.* & alia vt in Missali.

11. Post lotionem Celebrans lauat manus, & abstergit alio linteo: deinde deponit linteum quo erat præcinctus, reducēsq; ad latus Epistolæ in plano, Pluuiale resumit ministerio Diaconi & Subdiaconi, atque stans in medio ante Altare dicit manibus iunctis Diacono & Subdiacono tenentibus librum *Pater noster* cum reliquis vt in Missali Romano.

12. Omnibus expletis exuitur ibidem Celebrans paramentis, vel redit cum ministris in Sacristiam ordine quo venerat.

13. Hora congrua & solita dicitur Completorium

sine

Gauantus part. 2. sect 6. c. 17. n. 20.

sine lumine, in cuius fine non dicitur *Pater noster*, nec *Aue Maria*, nec *Credo* sicut nec crastino die.

14. Denique laborandum vt mandatum illud sit sobrium ac religiosum, multi enim isto dicitur mandatum seruant, vt suis compotationibus, alijsque excessibus non vereantur ieiunium Ecclesiasticum violare, & casu quo aliquid in simili mandato sumendum est, tunc potius à prandio abstinendum, quàm vt illius mandati occasione pluribus quàm vna refectione, vtantur, seu vt pransi, cænando soluendi ieiunij periculum adeant. Quia qui vnius diei ieiunium soluit totam Quadragesimam inhonorat.

TITVLVS XI.

De officio feriæ sextæ in Parasceue.

1. Feria sexta in Parasceue Altare erit omnino nudum cum cruce velata velo nigro, ita aptato vt suo tempore facile detegi possit. Super illud altare parari debent sex candelabra coloris obscuri, ferrea aut lignea cum candelis ceræ communis, nihilque aliud super illud præter Crucem & Candelabra prædicta apponendum.

2. Credentia simplex, linteo cooperta in superiori parte tantùm, cum necessarijs ad officium, nempe Bursa cum Corporali & purificatorio, ampullæ cum vino & aqua, cum peluicula & manutergio, Missalia duo cum cussino nigro, mappa oblonga plicata extendenda super Altare initio officij. Velum album oblongum Celebrantis humeris imponendum ad processionem. In alio ioco conuenienti eria puluinaria coriacea supponenda Capitibus Celebrantis & ministrorum

rum ſacrorum, initio officij. Tapes magnus pulcher violaceus.

3. In cornu Epiſtolæ apponitur ſcamnum oblongum & omnino nudum pro Celebrante & miniſtris ſi ſedere velint.

4. Hora competenti, pulſata campana lignea dicuntur horæ diuinæ voce humili ſine lumine ad Altare, Celebrans verò & miniſtri lauant manus & parant ſe paramentis nigris

5. Finita Nona procedunt ad Altare more ſolito omnes iunctis manibus, Sacerdos cum miniſtris vnus poſt alium, vt ad Miſſam, præcedentibus Acolythis ſine candelabris & miniſtri Sacri in albis tantùm.

6. Cum ad Altare peruenerint, genuflectunt omnes recta linea in plano ante infimum gradum, & ſtatim Celebrans & miniſtri ſacri proſternunt ſe ponentes capita ſua ſuper cuſſinis ibidem collocatis: ita vt genua eorum ſint in plano, caput verò & brachia ſuper gradum altaris, ſic proſtrati orant per vnius Miſerere ſpatium.

7. Dum Sacerdos orat cum miniſtris Acolythi interim vnam tantùm tobaleam ſuper altare extendunt, & præterea Miſſale cum cuſſino nigro ſuper illud apertum collocant in cornu Epiſtolæ.

8. Sacerdos cum miniſtris facta oratione, aſcendit ad Altare, oſculatur illud in medio, & accedit ad cornu Epiſtolæ, vbi ſubmiſſa voce legit Prophetiam ſine titulo, ſtantibus miniſtris ſacris vt in Introitu Miſſæ Acolythis ad Credentiam.

9. Interim Lector accipiens librum accedit ad Altare vbi genuflectit, ſurgit & accedit ad lo- *Cærem. Epiſ. lib. 2. c. 25.*
cum Epiſtolæ, vbi ſibi ipſi tenens librum, non autem ſuper legile cantat Propheriam in tono lectionis, vocem aliquantulum inflectendo in fine, caque completa redit ad medium altaris,

vbi

vbi genuflectit & erectus redit ad locum suum & reponens librum.

10. Finita Prophetia à Celebrante, ipse potest sedere super scamnum nudum, & dum ea cantatur, omnes sedent in Choro, eaque finita cant int Tractum.

11. Circa finem Tractus, Celebrans redit ad idem cornu Epistolæ, & stans ibidem cantat, *Oremus*, Tum Diaconus genuflectens ante alios dicit *Flectamus genua*, & statim omnes genuflectunt cum eo, excepto solo Celebrante, Subdiaconus verò ante omnes alios surgens, dicit *Leuate*, & omnes similiter surgunt.

12. Deinde Celebrans extensis manibus cantat orationem ad quam ministri stant vnus post aliũ post Celebrantem, finitaq; oratione Subdiaconus in loco consueto cantat lectionem in tono Epistolæ, in cuius fine non osculatur manũ Celebrantis, ipse verò Celebrans interim dum cantatur lectio per Subdiaconum legit eandem lectionem cum Tractu submissa voce, assistẽte sibi Diacono à dextris, qui non respondet *Deogratias* in fine.

13. Interim dum à Choro cantatur Tractus tres qui cantaturi sunt Passionem parati Amictibus Albis manipulis & stolis nigri coloris egrediuntur Sacristiam omniaque seruantes quæ superius in die Palmarum notata sunt, exceptis, quod non petatur benedictio cùm tam à Celebrante, quàm à Diacono ad eam partem, quæ legitur in tono Euangelij, dicatur tantùm; *Munda cor meum*, sine *Iube Domine*, *&c.* non deferantur luminaria, neque incensum, Subdiaconusque librum tenens medius inter Acolythos in fine illum non tradit osculandum Celebranti.

14. Dum Cantores inchoant Passionem, Celebrans eandem manibus iunctis incipit in cornu Epistolæ paulò ad eos conuersus vsque ad finem illius

illius partis quæ habetur pro Euangelio incluſi-
ue, dicens ibidem *Munda cor meum* non tamen *In-
be Domine, &c.* neq; genu flectit in morte Chriſti,
niſi cum Cantoribus. Lectaq; poſtrema parte quæ
vicem gerit Euangelij in eodem cornu Epiſtolæ,
conuertit ſe totum ad Cantores. Miniſtri ſacri dũ
Celebrãs legit Paſsionẽ ſtant vt in Introitu Miſſæ
manibus iunctis ſicut Celebrans, & dũ eſt conuer-
ſus ad Cantores poſt finẽ Paſsionis, ſtant Diaconus
ſiniſtris ipſius & Subdiaconus à ſiniſtris Diaconi
rectalinea verſa facie ad Cãtores genuflectẽtes
hoc in morte Chriſti ſicut in Dominica præcedẽti.

15. Finita Paſsione Cantores, factis debitis re-
uerentijs Altari & Celebranti, redeunt prout ve-
nerant ad Sacriſtiam.

16. Diaconus verò portat librum ad Altare,
dicit genuflexus in loco ſolito *Munda cor meum*
non petit benedictionem, ſed ſtatim accipit librũ
& vadit ad locum Euangelij de more, Ceroferarij
manibus iunctis, ſine cereis & thuribulo, & cùm
ad locum peruenerint, cantat de more, ſtante ver-
ſus cum Celebrante manibus iunctis, reliquum
Paſsionis manibus iunctis abſolutè ſine *Dominus
vobiſcum*, ſine ſigno Crucis, ſine incenſo Subdia-
cono tenente librum.

17. His finitis Celebrans ſtans in cornu Epiſto-
læ incipit abſolutè, & cantat primò monitiones
cantu in Miſſali præſcripto, poſteà orationes in
tono orationis ferialis, Monitiones cantat ma-
nibus iunctis, orationes verò manibus extenſis
numquam genuflectens. Interim Miniſtri ſtant
poſt Celebrantem manibus iunctis vnus poſt a-
lium, Diacono dicente, *Flectamus genua* quando
oportuerit, & Subdiacono *Leuate.*

18. Ad orationem pro Papa, quando eius ex-
primitur nomen Celebrans verſus librum caput
inclinas, omnesque alij, interim omnes tam

ad

ad monitiones, quàm ad orationes stant, nisi quando dicitur *Flectamus genua*. Quando Imperator non est coronatus Celebrans dicit *Oremus* pro Christianissimo Imperatore nostro Electo N. Non autem addi debet vel potest, nomen Regis vel alterius Principis seu Domini loci, hoc enim esset contra Bullam *Pij* V.

19. Dictis orationibus Celebrans in eodem cornu Epistolæ depositâ Planeta accedit ad cornu Epistolæ, & ibi in posteriori parte anguli Altaris accipit à Diacono Crucem in Altari præparatam, atque stans ibidem versus populum in medio Diaconi à dextris, & Subdiaconi à sinistris eius, versu quasi facie ad Crucem, manu dextra detegit illius summitatem, vsque ad Crucis transuersum, ita tamen vt caput Crucifixi non appareat; Tum Celebrans ambabus manibus eleuans Crucem reuerenter ad oculorum altitudinem & eam populo ostendens, voce graui ex libro Missalis ante eum sustentato per aliquem ministrum incipit solus Antiphonam *Ecce lignum Crucis*, quod Diaconus & Subdiaconus prosequuntur cum Celebrante, vsque ad *Venite adoremus* quod Chorus cantat, eoque tempore omnes genuflectunt, & capite profunde demisso excepto solo Celebrante qui semper stat.

20. Deinde Celebrans procedit ad anteriorem partem anguli eiusdem cornu Epistolæ, in eodem scilicet loco, vbi dicit Introitum Missæ, & stans etiam in medio ministrorum versus populum, ac detegens brachium Crucis dextrum, & caput figuræ Crucifixi, eleuansque eam paulisper altiùs quam priùs repetit etiam altiori voce *Ecce lignum Crucis*. Et Ministri prosequuntur *In quo salus, &c.* & postea Chorus *venite adoremus* omnibus genuflexis, vt suprà.

21. Denique Celebrans procedit ad medium Altaris,

Altaris, & stans, vt suprà, versus populum totam Crucem detegens tradit velum Subdiacono vel Acolytho adhuc altiùs Crucem eleuans, etiam altiùs cantat *Ecce lignum Crucis*, alijs cantantibus & genuflectentibus vt suprà dictum est.

21. Posteà Celebrans sine Ministris, descendit per latus Euangelij, ad locum vbi paratus est cussinus, ambabus manibus portans Crucem eleuatam facie Crucifixi versa ad populum, & genuflectens eam collocat reuerenter super dictum puluinar. Interim omnes Cruces per Sacristam in Ecclesia denudari possunt.

23. Dum Celebrans sic Crucem aptat in loco suo, Ministri sacri, & omnes alij manent genuflexi, eaque sic aptata surgit, & facta iterum genuflexione, recedit ad sedem suam ad latus Epistolæ cum ministris. Tum Celebrans deponit calceamenta, & solus manibus iunctis procedit deuotè oculis demissis ad Crucem adorandam, ter genuflectens in tribus distinctis locis, in æquali distantia orando pro vnaquaque vice, *Adoramus te Christe, & benedicimus tibi, quia per Sanctam Crucem tuam redemisti mundum.*

24. Postquam Celebrans adorauerit Crucem deuotè, surgit & iterum facta genuflexione Cruci & inclinatione Altari, redit per breuiorem viam ad sedem suam in cornu Epistolæ, vbi resumit calceamenta & planetam, tum capite recto sedet.

25. Deinde ministri Diaconus & Subdiaconus etiam discalceati manibus iunctis procedunt simul ad Crucem ter genuflectentes sicut Celebrans, & orantes ad loca designata, & ambo simul genuflectunt ante Crucem, eamque Diaconus a dextris Subdiaconi prius osculatur & adorat. Ita autem prædicti ministri sint ambo genuflexi ante Crucem, & omnes alij posteà, vt ipsa

Crux sit quasi in medio vtriusque dum adorant; simul verò surgentes iterum genuflectunt simul Cruci, & ambo simul surgunt. Deinde ambo redeunt ad Celebrantem, cui se inclinant & resumunt Calceamenta, ac statim sedent cum illo, tecto capite.

26. Postea Celebrans sedens cum dictis ministris, librum Missalis hinc inde ante eũ sustinentibus, legit improperia submissa voce, quibus lectis defertur liber ad cornu Epistolæ.

27. Si qui sunt Prælati scilicet Episcopi, aut alij extranei, adorant statim post Celebrantem etiam discalceati, Episcopus verò propriùs eam primus adorat etiam discalceatus.

Cerem. Epis. lib. 2. c. 25.

28. Deinde accedunt Clerici de Choro bini, si multi sint, aliàs vnus post alium incipiendo à dignioribus, eundem ordinem seruantes, quem prædicti ministri sacri genuflectentes ad loca designata simul, & simul adorantes, & simul surgentes, & si contingat eos transire ante Celebrantem illi se inclinant.

29. Facta adoratione à Clericis, Laici eodem modo Crucem adorare possunt, hac enim die quilibet Laicus etiam princeps post Clerum pro adoratione Crucis accedere debet, cum sit actus profundæ humilitatis.

Cerem. Epis. lib. 2. c. 25.

30. Quamprimum Celebrans procedit ad adorandam Crucem, cantantur in Choro improperia vti habentur in Graduali.

31. Circa finem adorationis Ceroferarij accendunt cereos altaris, & Diaconus facta Celebranti inclinatione sumens de Credentia Burbranti inclinatione sumens de Credentia Burbranti inclinatione sumens de Credentia Burb

Crucigenuflexione redit ad Celebrantem.

32. Posteà ordinatur Processio ad locum, vbi pridie SS. Sacramentum repositum fuerat hoc ordine præcedunt Thuriferarij cum thuribulis & suis nauiculis, deinde Subdiaconus cum Cruce medius inter Ceroferarios; postea Clerici bini & bini cum candelis extinctis, vltimò Celebrãs cum ministris præcedentibus, manibus iunctis.

33. Cum Celebrans, & omnes alij ad dictum Sacellum peruenerint ipse & ministri sacri, statim ac Sacellum ingressi fuerint genuflectunt surgunt & ad altare accedunt, ante quod iterum genuflectunt, tum seniores hinc inde prope altare, iuniores prope Crucem, se collocant & simul genuflectunt sicq; genuflexi parumper orant deuotè, & interim accenduntur faces & candelæ Clericorum, quæ non extinguuntur nisi post sumptionem Sacramenti.

34. Tum solus Diaconus surgens ab oratione, & facta genuflexione, aperit capsulam, in qua reconditum est corpus Domini, eaq; aperta, iterum genuflectit, & accedit ad Celebrantem, cui ministrat nauiculã thuris, Sacerdos surgens absq; benedictione imponit incẽsum duobus thuribulis, tũ genuflexus accepto primo thuribulo ter incẽsat de more SS. Sacramentũ in silẽtio inclinãs profundè caput antè & pòst, deinde reddito thuribulo imponitur per ministros humeris Celebrantis velũ oblongũ album, ita vt æqualiter pẽdeat.

35. Posteà Diaconus ascendit ad Altare, & facta genuflexione, extrahit Calicem velo suo parum tectum de capsula, tenens illum dextrâ per nodum & sinistra per pedem tradit Celebranti genuflexo, qui nodum ipsius sinistrâ accipit & mox extremitatibus veli ab eius humeris pendentis eundẽ tegit. Cantores genuflexi inchoant Hymnũ *Vexilla Regis prodeunt*, quẽ prosequitur Chorus.

36. Interim Celebrans surgit, & procedunt ordine quo venerant, defertur Baldachinum super Sacramentum: & duo Acolythi cum thuribulis continuè *SS.* Sacramentum incensant.

37. Cum Celebrans peruenerit ad Altare, stans in secundo gradu, tradit Calicem Diacono genuflexo super suppedaneum Altaris in cornu Epistolæ, qui statim surgens illum collocat in medio corporalis, adhuc velo tectum & genuflectit, atque sublato per Subdiaconum velo oblongo Celebrantis, imponit Sacerdos stans thus thuribulo, & genuflexus iterum *SS.* Sacramentum ter thurificat.

38. Facta incensatione & reddito thuribulo Sacerdos ascendit cum ministris ad altare, vbi iterum genuflectunt, Diaconus amouet paruum velum de Calice patenam & pallam desuper, patenam autem tenet eleuatam super corporale coram Celebrante, qui Calicem accipiens, ex eo deponit Sacram Hostiam super dictam patenam ambo aduertentes vt nullo modo hostiam tangant, & eundem Calicem reponit in loco solito,

39. Tum Celebrans reuerenter accipiens patenam de manibus Diaconi ambabus etiam manibus, sine osculis Hostiam ponit super corporale in medio eius nihil dicens, & sine vllo signo Crucis cum patena, quam statim non subtus, vt aliàs, sed super corporale, ob reuerentiam Sacrarum specierum, collocat. Si fortè ex inaduertentia sacram Hostiam tetigerit, digitos abluit in aliquo vase, & tergit purificatorio, digitorum verò ablutionem ipse Celebrans sumet post Communionem suam.

40. Tum Diaconus imponit vinum in Calicem (quem non prius extergit) & Subdiaconus aquam, quam Sacerdos non benedicit, nec dicit super eam orationem consuetam scilicet

Deus

Deus qui humanæ, &c. ſed accipiens Calicem à Diacono, reponit illum ſine ſigno Crucis in loco ſuo paulò poſt medium Corporalis, illumque Diaconus ſine vlla genuflexione cooperit palla ſua. Deinde Diaconus præbet Celebranti Nauiculam thuris, qui imponit incenſum in thuribulo abſque benedictione & incenſat oblata, & Altare more ſolito, dicens *Incenſum iſtud, & Dirigatur Domine* genuflectens ante & poſt, & quandocumque tranſit ante Sacramentum, Miniſtris Sacris tunc hinc inde ſtantibus & planetam eius hinc inde leuantibus.

41 Finitâ incenſatione, Celebrans in cornu Epiſtolæ reddit thuribulum Diacono dicens *Accendat in nobis* ſine oſculis & hic ſtatim Thuriferario, quia nec Celebrans, nec alij vllo modo incenſantur, deinde Celebrans reddito thuribulo deſcendit in planum extra gradus Altaris in parte Epiſtolæ nihil dicens & lauat manus facie ad populum conuerſa. *Carem. Epiſc. lib. 2. c. 26.*

42. Deinde redit Celebrans ad medium Altaris, ibique iunctis manibus ſuper Altare de more, inclinatus ſubmiſſa voce dicit *In Spiritu humilitatis*, quo dicto & altari oſculato, genuflectit, verſusque populum in cornu Euangelij, ne minimùm terga vertat Sacramento dicit more ſolito *Orate fratres*, & per eandem viam, non perficiens circulum, redit ad medium genuflectens iterum: non reſpondetur *Suſcipiat Dominus*, vt aliàs, ſed omiſſis alijs omnibus Celebrans cantat in cantu feriali *Oremus, Præceptis, &c.* eo modo quo in Miſſa feriali in cuius fine Chorus reſpondet de more *ſed libera nos à malo.*

43. Sacerdos dicto ſub ſilentio à ſeipſo *Amen*, eadem voce qua dixit *Pater noſter*, abſolutè ſine *Oremus*, in tono ferialis Orationis dicit *libera nos* manibus extenſis vſque ad finem non ſignans ſe

cum Patena vt aliàs & in fine Chorus altâ voce respondet, *Amen*.

44. Tunc Celebrans genuflectit deuotè, surgit, submittit patenam hostiæ, quam dextera tantùm accipiens, eleuat, ita vt à populo videri possit, figens semper in eam oculos, & aduertens ne limites Corporalis excedat, non tamen eleuat Patenam cum ea, sed eam sinistra tenet super corporale. Diaconus & Subdiaconus tunc genuflectunt in secundo gradu, non eleuantes tamen Planetam Celebrantis.

45. Eleuata Hostia, Celebrans eadem manu dextra reponit eam super patenam, & statim rursum genuflectit, surgit, sicut ministri sacri cum eo, & Diaconus accedit ad dexteram & Subdiaconus ad sinistram Celebrantis, discooperit Calicem sine genuflexione, quia in eo non est SS. Sacramentum, tum Celebrans sacram Hostiam in tres partes diuidit, more solito, quarum minimam ponit in calice nihil dicens & sine benedictione, *Pax Domini* non dicitur, nec *Agnus Dei*, neque pacis osculum datur. Postremum prætermissis duabus primis orationibus, dicit tantùm tertiam scilicet *Perceptio corporis, &c.* manibus iunctis super altare, vt aliàs.

46. Celebrans dicta oratione *Perceptio* genuflectit, & surgens dicit reuerenter *Panem cælestem, &c.* accipit Hostiam cum Patena, & dicit ter de more inclinatus cum ministris, *Domine non sum dignus*, ter percutiens sibi pectus. Quo dicto erectus signat se cum SS. Sacramento dicens *Corpus Domini, &c.* illudque de more accipit reuerenter, cubitis super altare positis. Ministris interim vt aliàs profundè inclinatis, qui postea erigunt se dum Celebrans quiescit in meditatione SS. Sacramenti.

47. Mox, omissis alijs quæ dici solent in

sumptio-

sumptione sanguinis, Subdiaconus detegit Calicem, & debita facta ob omnibus genuflexione, Celebrans accipit Calicem & particulam Hostiæ cum vino reuerenter sumit de Calice nihil dicens neque se signans. Tum Subdiaconus ministrat de more ampullas vini & aquæ, & facta sumptaque tantum ablutione, non purificatione digitorum cum vino & aqua, ac ore extersore vt alias, manibus iunctis ante pectus dicit *Quod ore sumpsimus, &c.*

48. Tunc & non prius omnes cerei à Clericis delati, faces & intortitia extinguuntur, Celebrans verò dicto *Quod ore, &c.* non dicit *Corpus tuum Domine*, nec post Communionem nec *Placeat tibi*, nec benedictionem, sed statim Diaconus in parte Euangelij claudit librum, Subdiaconus plicat corporale, imponit Bursæ, Calicem tecto reoperit, & more solito reportas ad Credentiam.

49. His expletis Celebrans cum ministris descendit in planum, vbi factâ Altari genuflexionis reuerentia redit in Sacristiam. Deinde in Choro dicuntur Vesperæ sine cantu, ad quas Celebrans, & omnes alij genuflectunt dum dicitur Versus *Christus factus est* & dicto Psalmo *Miserere mei Deus* Celebrans subdit Orationem *Respice quæsumus*, quibus dictis Acolythi denudant altaria.

50. Pyxis cum paruis hostijs consecratis pro infirmis defertur per Sacerdotem superpelliceo & stola albi coloris indutum, ex Sacello in quo antea erat, ad Sacristiam, vel alium locum paratum cum luminibus, non verò ad maius Altare, ne in matutinis sequentibus & officio Sabbathi Sancti sint alia luminaria præter præscripta.

TITVLVS XII.

De ordine ponendi Crucem in sepulchrum.

1. FEria sexta Paraſceues, vel antè tempeſtiuè paratur locus vel Capella pro ſepulchro, velis & luminaribus ornatus, in quo extenditur tapete magnum, vel pannus violaceus, & ſuper primos eius loci gradus ponitur puluinar amplum, & ſuper eo velum, ſeu mappa ſericea ſupra quæ ponenda erit Crux pro adoratione populi.

2. Finitis igitur in Choro veſperis Celebrans depoſita caſula indutus pluuiali nigri coloris accipit Crucem de Altari in quo Celebrauit, & præcedentibus Thuriferario cum thuribulo & duobus Ceroferarijs cum luminaribus accenſis & Clero incedit Sacerdos medius inter Diaconum & Subdiaconum portans ambabus manibus Crucem detectam vſque ad dictum locum. Choro interim cantante ſubmiſſa voce. *Ecce quomodo moritur iuſtus*, &c. *Sepulto Domino*, &c. *Sicut ouis ad occiſionem*, &c.

3. Poſtquã peruentum fuerit ad dictum locũ, omnibus genuflectentibus reuerenter à Celebrante ponitur Crux in dicto loco, & impoſito atque benedicto ab ipſo Thure in thuribulo ter incenſat Crucem, redditoque thuribulo à duobus Cantoribus, vel ipſomet Sacerdote canitur verſus & oratio.

Verſ. *In pace factus eſt locus eius.*

Reſp. *Et in Sion habitatio eius.*

Oratio *Reſpice quæſumus Domine ſuper hanc*, &c. in tono feriali, ſecretò proferendo verba. *Qui tecum*. Qua finita, completa ſunt omnia.

TITVLVS

TITVLVS XIII.

De Sabbatho Sancto.

1. SAbbathum Sanctum sic dicitur, quia Sanctus Sanctorum, hac die requieuit in sepulchro. Summo manè mundatur Ecclesia, & pulcherrimè ornatur, operiuntur altaria albis paramentis pretiosioribus; antipendia tamen alba non appareant, sed violacea vsque ad finem Litaniarum.

2. Lampades extinctæ ante altare sint, donec ignis nouus benedictus fuerit. Imagines omnes adhuc tectæ remaneant vsque ad finem dictarum Litaniarum, exceptis crucibus; quæ heri detectæ sunt.

3. Super Credentiam paratam ponitur Calix paratus cum suis necessarijs albi coloris, duo Missalia, ampullæ vini & aquæ, aliaque necessaria pro Missa.

4. Ad latus Euangelij in plano prope locum vbi regulariter cantatur Euangelium, paratur Candelabrum magnum pulchrè elaboratum & eminens pro cereo paschali imponendo ante illud legile vestitũ albo velo & super illud Missale clausum. Item paratur Arundo in cuius summitate tres candelæ poni possint. Thuribulum cum naui cula, vas aquæ benedictæ cum aspersorio, peluis argentea, vel ex alia pulchra materia in qua sint quinque grana incensi cereo paschali imponenda.

5. Extra Ecclesiam in atrio aut aditu ipsius loco congruo parantur ligna sicca aut carbones extincti accendendi, & pro nouo igne benedicendo, instrumenta ad excutiendum nouum

ignem è silice, aliáque necessaria, velut forcipes ferrei ligna sulphurata, lucerna ad includendam candelam de nouo igne, ne vento extinguatur.

6. Si Ecclesia habeat fontem baptismalem, omnia pro benedictione eiusdem necessaria veluti aqua purissima in fonte præparata, Ampullæ olei Catechumenorum & Chrismatis mensulæ ibidem præparatæ cum lumine imponendæ, linteum mundum ad extergendas manus Celebrantis cum aquam tetigerit, vas amplum implendum aqua postquam benedicta fuerit ante infusionem oleorum, reseruanda sequenti die pro aspersione fidelium.

TITVLVS XIV.

De Benedictione noui ignis.

1. MAnè dicuntur horæ diurnæ vsque ad Nonam exclusiuè candelis Altaris extinctis vsque ad principium Missæ coopertis & ornatis altaribus.

2. Hora competenti datur signum cum tabula inchoandi officium, secundum morem locorum, habita tamen ratione Ecclesiæ Metropolitanæ, Cathedralis, aut matricis, ita vt ista Ecclesia priùs incipiat suum officium. Dum dicitur Nona antiquus ignis qui est intra Ecclesiam omnino extinguitur per aliquem Acolythum, interim excutitur ignis de silice extra Ecclesiam & ex eo accenduntur Carbones.

3. Dicta Nona Sacerdos indutus Amictu, Alba, Cingulo, stola & pluuiali violaceo, vel sine casula, Diaconus stola violacea, Subdiaconus in stola alba, sic parati procedunt cum Clero extra

Ecclesiam

Ecclesiam ad benedicendum ignem hoc ordine, præcedunt tres Acolythi, scilicet primus & solus cum vase aquæ benedictæ & aspersorio, tum Thuriferarius cum nauicula & thuribulo vacuo habens à sinistris alium Acolythum deferentem peluiculam cum quinque granis thuris, sequitur Subdiaconus solus paratus cum Cruce, tum Clerus per ordinem in silentio, denique Celebrans cum Diacono à sinistris manibus iunctis omnes nudo capite præter ipsum Celebrantem.

4. Cum peruenerint ad locum designatum, Subdiaconus stat ad portam Ecclesiæ renes ei vertens, faciem verò suam, & imaginem Crucifixi, Celebranti. Clerus hinc inde, iuniores Cruci, Seniores Celebranti viciniores. Ad eius dexteram Diaconus & Acolythi supradicti.

5. Tum benedicit nouum ignem ex libro Missalis quem Acolythus aliquis tenet, vel super pulpitum posito sine cantu, manibus iunctis, & dum format signum Crucis Diaconus ad eius dexteram fimbriam pluuialis eleuat.

6. Igne nouo benedicto, accedit statim Acolythus tenens quinque grana incensi imponenda cereo in pelui eleuata ad pectus ante Celebrantem, qui absolutè sine *Oremus*, incipit benedictionem eorundem.

7. Interim Thuriferarius cum forcipibus, carbones benedictos imponit thuribulo, finitaque oratione accedit cum thuribulo & Nauicula prope Celebrantem qui imponit & benedicit thus in thuribulo more solito, ministrante Diacono nauiculam cum osculis, deinde accepto de manu Diaconi aspersorio ter aspergit grana incensi, & posteà ter nouum ignem in

medio, à dextris & sinistris eorum dicens Antiphonam *Asperges me*, sine cantu, & reddito aspersorio accipit thuribulum de manu eiusdem Diaconi, eodem modo quo aspersit, ter incensat prædicta. Deinde accenduntur Candelæ de nouo igne, &, si opus, laternæ includuntur, ne à vento extinguantur.

8. Tum Diaconus deposita stola violacea indutus manipulo, stola, & Dalmatica albi coloris, sumpto etiam hic à Subdiacono manipulo violaceo accipit arundinem cum tribus candelis in summitate illius triangulo distinctis.

9. Deinde ordinatur Processio hoc modo. Posito a Celebrante incenso in thuribulum de more præcedit Thuriferarius cum Acolytho à sinistris cum quinque granis incensi; Deinde Subdiaconus cum Cruce, & Clerus per ordinem, deinde Diaconus cum Arundine habens aliquem Clericum à sinistris cum candela accensa de nouo igne etiam intra laternam, si opus sit, vltimò Celebrans manibus iunctis, & tecto capite.

10. Cum Diaconus ingressus fuerit Ecclesiam & post eum Celebrans, sistunt se omnes, Diaconus inclinat Arundinem & minister deferens candelam accensam de nouo igne accendit vnam ex tribus quæ in cuspide ipsius arundinis positæ sunt, & mox Diaconus genuflectit, & omnes alij cum eo, excepto solo Subdiacono cum Cruce & eamdem arundinem eleuans voce graui cantat solus *Lumen Christi*, & Clerus adhuc genuflexus, respondet eodem tono *Deo gratias*: Et procedens ad medium Ecclesiæ, ibi accendit vtralia candela: & iterum genuflexus vt suprà altius cantat, *Lumen Christi* & Chorus eodem tono respondet *Deo gratias*. Tertiò procedit ante Altare, vbi accenditur tertia candela & rursus genuflexus, vt prius adhuc altius cantat

Lumen

Lumen Christi & Chorus eodem tono respondet *Deo gratias*. Deinde Celebrans ascendit ad altare in cornu Epistolæ, & Diaconus dat Arundinem vni Acolytho, Subdiaconus & alij ministri secedunt versus latus Euangelij in plano, Clerus recedit ad Chorum.

TITVLVS XV.

De benedictione Cerei Paschalis & alijs.

1. DVm Celebrans est in cornu Epistolæ Diaconus accipiens librum Missalis, ascendit ad supremum gradum altaris & genuflexus ibidem absolutè non præmittens *Munda cor meum*, conuersus ad Celebrantem petit ab eo benedictionem, alijs ministris stantibus, qua accepta & osculatâ eius manu surgit, descendit in planum, ibique genuflectit, & omnes alij cum eo, excepto Subdiacono & Ministro arundinem ferente. Tum procedit ad pulpitum paratum hoc ordine. Præcedit Thuriferarius cum thuribulo & nauicula, & à dextris eius Acolythus cum quinque granis incensi, tum Subdiaconus cum Cruce, & à sinistris eius Acolythus cum Arundine, vltimò Diaconus solus cum libro ante pectus.

2. Cum peruenerint ad legile Diaconus ponit super illud librum Missalis, quem statim aperit, ibique omnes hoc ordine se collocant. Subdiaconus stat à dextris Diaconi, vertens faciem Crucifixi quæ est in Cruce, ad Celebrantem & à dextris Subdiaconi Thuriferarius, à sinistris Diaconi Acolythus cum arundine, & ad eius sinistram Acolythus tenens quinque grana incensi, omnes vertentes faciem, prout Diaconus versus librum & formantes rectam lineam cum eo. *Cerem. Episc. lib. 2. c. 27.*

3. His ita dispositis Thurifetarius de more tradit thuribulum Diacono, qui de more librum ter incensat, vt ad Euangelium, quo reddito surgentibus omnibus, & stantibus, vt fit ad Euangelium alta, sonora, & deuota voce, manibusque iunctis incipit absolutè in cantu præconium *Exultet, &c.* Celebrante ad ipsum conuerso stante.

4. Cùm dixerit verba illa corruat *imperia* à cantu cessans vadit ad Cereum cum Acolytho de granis incensi, & illa infigit Cereo in modum Crucis, ita vt primum granum in suprema parte, secundum in media, tertium in infima, quartum in dextera, & quintum in sinistra parte ipsius infigat. Quo facto redit ad librum prosequens *In huius igitur, &c.* Vsque ad hæc verba *rutilans ignis accendit*, inclusiuè tunc enim Diaconus accipiens vnam ex tribus candelis arundinis accendit cereum. Deinde Diaconus prosequens *Quæ licet sit diuisus* Acolythus sumpto lumine de cereo, vel de candelis arundinis accendit lampades Ecclesiæ.

5. In fine benedictionis cerei, excepto Papa, Episcopo, & Imperatore, cui additur electi titulus, si non sit coronatus, nemo alius nominari debet inconsultâ Sede Apostolicâ; *Sede* Romanâ vel Episcopali vacante tacetur nomen Papæ aut Episcopi.

6. Completâ Cerei benedictione, Diaconus claudit librum & facta genuflexione Altari vadit ad Sacristiam, si prope sit, vbi depositis paramentis albis, induit se manipulo & stolâ violacea, & vadit ad Celebrantem, qui exuitur, & sumit manipulum & casulam violacei coloris. Interim Crux deponitur à Subdiacono in loco decenti, & arundo stabilitur pede marmoreo aut alio præparato non procul à cereo.

7. Postea

7. Posteà Lector facta reuerentia Altari manibus iunctis vadit ad medium Chori, vel ante Altare, ibique ex libro super pulpitum posito absolutè sine titulo incipit Prophetiam manibus extensis hinc inde, & semper ad librum vel pulpitum appositis eamque expeditè cantat sicut Lectiones feriales, & in fine parùm vocem inflectit. Celebrans verò stante Diacono à dextris eius & Subdiacono à dextris huius, vt in Introitu Missæ legit Prophetias submissa voce in cornu Epistolæ.

8. Finita Prophetia, Lector genuflectit cum Socio ad Legile, nec antè surgit donec Subdiaconus dixerit *Leuate*. Si tamen post Lectionem sequitur Tractus Lector immediatè ea finita vadit ad Altare, relicto suo libro super legile, ibique genuflectit in infimo gradu, & redit ad locum suum, quod ita fit ab omnibus sine osculo manus Celebrantis.

9. Hæc omnia vicissim in alijs Prophetijs cantandis seruanda sunt, ordo autem eas legendi talis est, vt primæ à Iunioribus, postremæ à Senioribus, & maioribus nisi aliter necessitas suadeat, legantur. *Cerem. Episc. lib. 2. c. 27.*

10. Si sedere voluerit Celebrans post lectam in Altari Prophetiam, sedeat ad scamnum consuetum, sed nudum in latere Epistolæ, eat autem per viam breuiorem cum ministris, & redeas per longiorem cum debitis reuerentijs ante medium Altaris, neque quouis modo sedeat ante Altare; quod Episcopo tantùm conceditur.

11. Dum Celebrans dicit Orationes, quæ manibus extensis dicendæ sunt, ministri sacri stant post eum, & dicunt quando opus est *Flectamus genua*, & *Leuate* genuflectentibus omnibus & surgentibus prout opus est.

12. In-

12. Interim dum Prophetiæ dicuntur Presbyter si Catechumeni adsint, Catechizant illos ante atrium vel in aditu Ecclesiæ, nō autem intra eam sicut in Rituali Romano præscribitur, siue sint paruuli, siue adulti, dicuntque & seruant omnia quæ ibidem præcipiuntur vsque ad ingressum Ecclesiæ, quibus peractis, & facta benedictione fontium in Ecclesiam introducuntur vt in Rituali Romano.

TITVLVS XVI.

De benedictione Fontium.

1. FInitis omnibus Prophetijs, si Ecclesia habuerit fontem baptismalem Sacerdos benedicturus fontem depositis planeta & manipulo accipit pluuiale violaceum, & præcedente Subdiacono cum Cruce & Acolythis cum candelabris, & aliquo Acolytho portante cereum paschalem accensum post Subdiaconum, descendit cum Clero habens à sinistris Diaconum iunctis manibus & tecto capite ad fontem interim Chorus cantat Tractum *Sicut cervus, &c.*

2. Cùm peruenerint iuxta fontem Subdiaconus inter Ceroferarios sistit se, ita vt habeat fontes inter se & Celebrantem, & ipse faciem ad eum habeat conuersam. Diaconus verò stat paulò post Celebrantem à dextris eius, & propè ipsum Diaconum Acolythus gestans Cereum paschalem. Celebrans verò regulariter, si nihil aliud impediat, stare debet conuersus ad occidentem. Clerus autem stat circa fontes chorus diuisis, vel quasi in gyrum.

3. Finito Tractu Celebrans dicit iuxta fontes *Dominus vobiscum* & orationem vt in Missali iunctis

iunct s manibus in cuius fine attollit vocem cantan.o *Per omnia sæcula sæculorum* ; deinde prosequitur Præfationem, in qua sex facit Celebrans, 1. orat Deum : 2. manu tangit aquam ter, *Primò* dividens aquam in formam Crucis, *Secundò* simpliciter, *Tertiò* effundens aquam versus quatuor partes mundi. 3. Mutat vocem ter. *Primò* per modum Orationis. *Secundò* per modum præfationis. *Tertiò* per modum lectionis. 4. Halat ter in modum Crucis, & sufflat ter secundum hanc figuram in missali præscriptam. 5. demittit cereum in aquam ter profundè, profundius & profundissimè & eleuat ter. 6. infundit Oleum & Chrisma & illa commiscet.

4. Dum Celebrans tangit aquam, Diaconus postea ministrat ei mappulam ad tergendas manus ipsius, & dum signat aquam signo Crucis, Diaconus ipse eleuat [illegible] interdum aquam tangit aut cereum demittit.

5. Completa benedictione, sed antequam Celebrans infundat olea in aquam, vnus, vel plures Sacerdotes, pro numero assistentium cum stolis violaceis accipiunt aspersoria & aspergunt circumstantes aqua benedicta, nihil dicentes. Sacrista verò infundit in aliud vas amplum partem illius aquæ, eamque seruat ad aspersionem locorum, domorum & aliarum rerum, & præcipue in sequentem diem pro aspersione populi ad Missam, non verò pro omnibus diebus Dominicis vsque ad festum Pentecostes.

6. Postquam Celebrans infuderit oleum, & sanctum Chrisma in aquam benedictam, extergit diligenter manus suas ; Deinde si sint baptizandi baptizat eos secundum præscriptum Ritualis Romani.

TITVLVS

TITVLVS XVII.

De Litanijs, Missa solemni & Vesperis huius diei.

1. POst benedictionem fontium, & post collatum baptisma, si qui fuerint baptizandi, Celebrans, Ministri & Clerus inde discedunt eo ordine quo venerant. Interim Sacrista aut alius præparat hinc inde super secundum gradum altaris tres cussinos, superponendos capitibus Celebrantis & ministrorum.

2. Cum ad Altare peruenerint, Celebrans & Ministri, deposito Pluuiali ante altare genuflexi in plano procumbunt, superponentes capita sua prædictis cussinis: dum duo Cantores genuflexi in medio Chori incipiunt Litanias omnium Sanctorum; Cæteris de Choro genuflexis in locis suis respondentibus ea omnia, quæ dicuntur à Cantoribus.

3. Vbi non est fons baptismatis, finita vltima oratione, Celebrans deponit casulam, & cum ministris ante altare procumbit, & ij quoque procumbunt in albis depositis manipulis, cussini coriacij dari possunt tam illis, quàm Celebranti sub eorum capitibus, ficque omnibus alijs genuflexis cantantur Litaniæ à duobus Cantoribus in medio Chori, vtroque Choro idem respondente. Aliqui scripsere perperam geminandum à Cantoribus *Per resurrectionem tuam* quod est contra Bullam Pij V. quæ omnes additiones prohibet.

Cantantur part. 4. tit. 20 num. 30. litt. b & c.

4. Cum in Litanijs peruentum fuerit ad versum *Peccatores*, Celebrans & ministri surgunt, & facta Altari debita genuflexionis reue-

rentia

rentia sumptisque biretis tecto capite in Sacristiam, si vicina sit, alioquin in locum viciniorem altari, siue post illud siue ad latus recedunt, ibique depositis paramentis violaceis, induuntur albis pro Missa solemni, non enim debent seperare ad altare cum sit Episcopi solius accipere paramenta ad altare, atque ita à Cantoribus finiri debent Litaniæ, vt Celebrans & ministri parati sint ad finem earum.

5. Interim accenduntur Luminaria, & pallium violaceum amouetur ab Altari, ornaturque Credentia cum suis necessarijs ad Missam solemnem, vt moris est.

6. In fine Litaniarum cantatur solemniter *Kyrie eleyson*, sed ita leuitè, vt Sacerdos, & ministri queant procedere ad Altare, facere Confessionem, incensare Altare de more.

7. Finita incensatione Altaris, Celebrans dicit cum ministris nouies *Kyrie eleyson* submissa voce, tum incipit solemniter *Gloria in excelsis &c.* tuncque, & non prius pulsantur omnes campanæ modò in Ecclesia Metropolitana, Cathedrali aut Matrice, priùs pulsatæ sint, ex Decreto Sacr. Congr. Rit. 21. Mart. 1609.

8. Quod si fortè nondum pulsatæ sint, tunc pulsantur tantùm Campanulæ seu tintinabula quæ sunt in Ecclesia & Capellis. Posteà verò dato signo à Metropolitana, Cathedrali vel Matrice, pulsantur maiores, quæ sunt in Campanili, licet longè post *Gloria in excelsis* Similiter organa si sint, pulsantur, nec debet cessare sonitus Campanarum donec omnino absoluatur hymnus prædictus.

9. Cantata Epistola à Subdiacono, ipse Subdiaconus osculatur de more manum Celebrantis,

& accin-

& accipit benedictionem ab eo: Deindeipse Celebrans incipit graui voce cantando *Alleluia* in cornu Epistolæ omnibus in Ecclesia stantibus, idemque ter decantat in vnaquaque vice vocem gradatim altiùs eleuando, quod Chorus similiter facit, ad singulas vices respondens, & illud *Alleluia* ter repetens, quo cantato tertio à Celebrante, & dicto ibidem versu *Confitemini* à seipso post repetitum *Alleluia*, ac in medio Altaris *Munda cor meum* dicit Euangelium in cornu Euangelij de more, quo finito thus & Diaconum, vt moris est, benedicit, & procedituradad Euangelium more solito.

10 Ad Euangelium non deferuntur luminaria, sed stant Ceroferarij manibus iunctis à lateribus Subdiaconi, & tunc se signant cum Diacono Incensum tamen vt aliàs, defertur, & in fine Celebrans osculatur librum & incensatur Non dicitur *Credo*, nec offertorium, Subdiaconus simul cum Calice defert corporale. *Ad lauabo* Celebrans dicit *Gloria Patri, &c.*

11. Nemo regulariter communicat in hac Missa, excepto Celebrante, aut qui sub hac Missa ad sacros promouentur ordines quia est Missa nocti*s*. Si verò in Parochia velint aliqui pro Paschate communionem accipere, id fiat non in Missa, sed post eamdem.

12. Dum Celebrans se purificat dignior in Choro incipit Antiphonam *Alleluia* pro vesperis, quam statim Chorus prosequitur, & subdit Psalmum *Laudate Dominum omnes gentes*. Celebrans verò sumpta ablutione loco antiphonæ quæ dicitur Communio, submissa voce incipit prædictam Antiphonam *Alleluia* & prosequitur Psalmum cum ministris stantibus in cornu Epistolæ, vt in Introitu Missæ. Deinde repetita Antiphona *Alleluia* Celebrans incipit & cantat Antiphonam

tiphonam *Vespere autem Sabbathi*, quam Chorus prosequitur & Celebrans cum ministris submissa voce. Cantata Antiphona, intonatur *Magnificat*, Interim Celebrans se signat & accedit ad medium Altaris, quod imposito & benedicto de more thure incensat, vt initio Missæ, sacris ministris hinc inde stantibus, illumque adiuuantibus. Eoque incensato, Celebrans etiam à Diacono in cornu Epistolæ incensatur, stante Subdiacono à sinistris eius vt in Introitu Missæ & postea Chorus.

13. Celebrante incensato, ipse cum Subdiacono incipit & prosequitur *Magnificat* vsque ad finem, & repetita à Choro Antiphona, Celebrans versus populum in medio Altaris dicit *Dominus vobiscum* & Missam de more absoluit, in cuius fine Diaconus, versus populum cantat *Ite Missa est* cum duplici *Alleluia*, & Missa finita redeunt in Sacristiam, vbi facta imagini debita reuerentia, omnes læti recedunt, Dominicæ resurrectionis gaudia mutuò sibi annuntiantes.

14 Post Missam Sacerdos paratus superpelliceo & stola cum Clericis faces deferentibus reportat pyxidem cum SS. Sacramento ad tabernaculum solitum.

15. Ad Completorium seruatur Breuiarium, & Celebrans intonat solenniter Antiphonam *Vespere autem*, quæ tamen non duplicatur, & in fine etiam incipit *Regina cæli*, quam Chorus prosequitur.

16. Cereus Paschalis collocari debet ad latus Euangelij, ibique accendi à Sabbatho Sancto, vsque ad Dominicam in Albis inclusiuè ad Missam, & ad omnes Horas, quia est vnicum Resurrectionis festum. Item diebus Dominicis à primis Vesperis vsque ad Completorium Dominicæ inclusiuè, ad Horas scilicet & Missam, quia

Dominica

Dominica est repetitio Festi resurrectionis Christi. Item in Festo Ascensionis ad omnes Horas vsque ad finem Euangelij eiusdem diei inclusiuè.

17. Qui recitaturi sunt vesperas extra Missam dicunt *Pater noster, Ave Maria* absolutè sine *Deus in adiutorium*, facto signo crucis, incipiunt Antiphonam *Alleluia* reliqua vt in Breuiario, dicentes in fine *Benedicamus Domino* cum duplici *Alleluia* & subdunt versum *Fidelium animæ*, cum oratione Dominica tantùm sine vlla Antiphona.

(Tamburinus lect. 4. n. 10.

18. *Si* quis rationabili tantùm de causa, seclusso omni scandalo, in aliquo loco secreto, de licentia superiorum Celebrare desideret, non id faciet, nisi post inchoatum solemne sacrificium, tunc enim deposito luctu & mœrore Ecclesiæ, incipiet Missam à Confessione cum Psalmo *Iudica me Deus, &c.* & alijs quæ sequuntur, & finita Confessione ad altare statim post Orationem *Oramus te Domine* dicat *Kyrie eleyson* & reliqua prosequatur, etiam Vesperas, vsque ad finem Missæ. Missæ votiuæ aut pro Defunctis nullo modo hac die dici debent, ad quod superiores Ecclesiarum maximè attendere debent, est enim contra intentionem Ecclesiæ.

19. Toto tempore Paschali, scilicet à Missa Sabbathi Sancti vsque ad Completorium post vesperas secundas Dominicæ SS. Trinitatis inclusiuè non flectuntur genua ad Horas, neque ad Salutationem Angelicam, quæ tot in die signo Campanæ datur.

* * *

TITVLVS

TITVLVS XVIII.

De Festo Paschatis & tempore Paschali.

&

De modo eleuandi Crucem è sepulchro in nocte Sancta Paschæ.

NOcte Sancta Paschæ hora competenti ante auroram Sacerdos indutus Amictu, Alba, Cingulo, Stola & Pluuiali albi coloris præcedente Thuriferario cum thuribulo & Nauicula thuris, duobus Ceroferarijs cum candelis accensis & Clero etiam cum cereis accensis omnes veniũt ordine ad sepulchrũ pro asportãda Cruce, coram quo genibus flexis recitant summa cum animi submissione ac deuotione Psalm. *Miserere mei Deus, &c.* cum *Gloria Patri* in cuius fine adiungitur *Kyrie eleyson, Christe eleyson, Kyrie eleyson.*

Pater noster.

Vers. *Et ne nos inducas in tentationem.*
Resp. *Sed libera nos à malo.*
Vers. *In resurrectione tua Christe, Alleluia.*
Resp. *Cæli & terra lætentur, Alleluia.*
Vers. *Domine exaudi orationem meam.*
Resp. *Et clamor meus ad te veniat.*

Surgens dicat

Vers. *Dominus vobiscum.*
Resp. *Et cum Spiritu tuo.*

Oremus.

Oremus.

Deus qui hanc sacratissimam noctem gloriæ Dominicæ resurrectionis illustras: conserua in nobis adoptionis Spiritum, quem dedisti: vt corpore & mente renouati, puram tibi exhibeamus seruitutem. Per eundem Christum Dominum nostrum.
Resp. *Amen.*

2. Posteà stans imponit incensum thuribulo cum benedictione solita *Ab illo benedicaris* & thurificat Imaginem Christi Crucifixi triplici ductu, illamque ambabus manibus reuerenter accipit, & portat eleuatam processionaliter, deinde præcedentibus Thuriferario cum thuribulo fumigante, Acolythus cum candelabris & cereis accensis & Clero cum luminibus si moris sit, circumitur tertiò interiùs Ecclesia, Choro interim cantante Antiphonam *Cum Rex gloriæ, &c.* Itaque tertia facta circumitione Sacerdos cum peruenerit ad maius Altare & eidem imposuerit Crucem canitur à Sacerdote.

Vers. *Surrexit Dominus de sepulchro, alleluia.*
Resp. *Qui pro nobis pependit in ligno, alleluia.*

Oremus.

Deus, qui nos resurrectionis Dominicæ annua solennitate lætificas: concede propitius: vt per temporalia festa quæ agimus, peruenire ad gaudia æterna mereamur. Per eundem, &c.

3. Posteà subiungi potest immediatè sequentia *Victimæ Paschali laudes, &c.* cum Cantione germanica post vel alternatim. Christus ist erstanden/ &c. & *Regina cæli.* Quibus dictis inchoatur Matutinum.

4. Re-

4. Repræsentationes trium Mariarum visitantium Dominicum sepulchrum hac nocte in Ecclesijs haberi solitæ, cùm potiùs in ijs inueniatur quod risum mouere possit, & deuotionis intentionem deprimere, quàm pietatis aliquem affectum excitare, à diuersis Archiepiscopis & Episcopis prohibitæ fuerunt, & manent.

TITVLVS XIX.

De ipso Festo Sancto Paschæ.

1. DEcet vt Matutinæ hac die solemniter ante Auroram Celebrentur, qua hora Christum resurrexisse credimus.

2. Hac die fit aspersio populi ante Missam cum aqua baptismali pridie benedicta, sicut etiam in die Pentecostes tantùm, exceptis Ecclesijs in quibus non habent fontes baptismales, ibi enim fit aspersio cum aqua hac die more solito benedicta, ad cuius aspersionem nihilominus dicitur *Vidi aquam* vt in Missali. Abusus autem est quod in Collegiatis aut Parochialibus in quibus habent fontes baptismales, non benedicatur aqua benedicta Dominicis diebus infra Paschа & Pentecosten, cùm tantùm ipsa die Paschæ & Pentecostes aspersio populi facienda est cum aqua baptismali diebus Sabbathi benedicta.

3. Quandoquidem in pluribus Diœcesibus ipso die Paschæ, sicut & singulis diebus Dominicis infra Pascha & Pentecosten in honorem Resurrectionis Dominicæ circuiri solent Ecclesiæ & seruari Processio, quæ vt conformiter ritibus aliarum Processionum seruetur, sequentia videntur seruanda. Facta aspersione aquæ benedictæ & oratione post eandem dici solita, Celebrans stans in medio Altaris imponit & benedicit thus

in thuribulum de more, atque Diaconus vertens se ad populum cantat : *Procedamus in pace* Et Chorus respondet : *In nomine Iesu Christi, Amen* : Præcedit Thuriferarius cum thuribulo fumigante : deinde Subdiaconus paratus deferens Crucem, medius inter duos Acolythos cum Candelabris accensis : sequitur Clerus per ordinem, vltimò Celebrans cum Diacono à sinistris & cantantur Antiphonæ *Cum Rex glorie, &c Salue festa dies &c. Sedit Angelus. Christus resurgens, Recordamini*, omnes vel aliquæ, quousque durat Processio, qua absoluta, Celebratur Missa.

4. Decet vt Parochi & Rectores quarumcumque Ecclesiarum propriâ manu Clericis non Sacerdotibus, sicut & laicis sibi subditis communionem præbeant, vt cò melius notari possint quinam præcepto Ecclesiæ satisfaciant.

5. Ex antiqua traditione nihil hac die assumebatur à fidelibus manducandum, quod non fuisset priùs à Presbyteris benedictum, ideoque vbi hoc commodè fieri potest, Sacerdos indutus superpelliceo, & stola albi coloris, iuxta præscriptum Ritualis Romani benedicit Panem, Agnum Paschalem, oua, carnem & alia comestibilia benedictionibus in Rituali Romano præscriptis.

6. Hac die & duobus sequentibus diebus non fit commemoratio, de quolibet Sancto, sed à feria quarta ad Laudes & ad Missam fit commemoratio de festis simplicibus occurrentibus, & in Missa dicuntur tantùm duæ orationes, quarum secunda est, de Sancto, omittendo. *Ecclesiæ.*

7. Missæ Votiuæ nec priuatæ, nec solemnes per hanc octauam regulariter dici non debent.

TITVLVS

TITVLVS XX.

De Litania Maiori.

1. IN die S. Marci fiunt Litaniæ, quas maiores vocamus, & si festum occurrat in die Paschatis Litaniæ transferuntur in feriam tertiam sequentem ex Decreto Sacræ Rituum Congregationis die 25. Septemb. 1617. & tunc in Missa de Rogationibus, quæ dici debet sine *Gloria*, *Credo* & commemoratione Octauæ Paschatis, dicitur quidem Præfatio Paschalis, sed ea quæ cum suo cantu dicitur in diebus ferialibus, quia Missa est ferialis & consequenter neque in fine Missæ *Ite Missa est* adduntur duo *Alleluia*. In Canone tamen *Communicantes* Paschæ proprium dicitur. Si occurrat in alio quocumque die, semper eodem die fit processio nempe 25. die Aprilis.

2. Dicta igitur die Clerus & populus hora statuta manè in Ecclesia congregati, omnes contrito & humili corde Deum flexis genibus pauliſper precentur.

3. Sacerdos indutus Amictu, Alba, cingulo, stola & pluuiali violacei coloris, in Sacristia præcedentibus Thuriferario cum Thuribulo, & deferente Crucem medius inter duos Acolythos Candelabra cum cereis accensis deferentes procedit ad summum Altare, ibique Clerus Congregatus stando cantat Antiphonam *Exurge Domine, &c* vt in Rituali Romano.

4. Finita dicta Antiphona duo Cantores ante Altare maius genuflexi cum toto Clero & populo deuotè Litanias omnium Sanctorum cantare incipiunt, quæ & cum repetitione ob longiorem viam recitari possunt, cæteris eadem voce repetentibus.

5. Cum autem cantatum erit. *S. Maria ora pro nobis* surgunt omnes & ordinatim procedunt egredientes, Litaniasque prosequentes, præcedentibus Thuriferario, deferente Crucem, Acolythis & Clero, vltimo loco Sacerdos paratus, pluuiali, & post eum populus.

6. Si consuetum sit in huiusmodi processione portari Reliquias Sanctorum, & sacras imagines, seruabitur consuetudo, remouendi tamen erunt à Processionibus ludicri & indecori actus.

Carem. Epis. lib 2. c 22.

7. Eo ordine ibit processio, vsque ad Ecclesiam ad quam dirigitur, iuxta consuetudinem Ciuitatis, cuius Ecclesiæ Clerus, procedet obuiam vsque extra portam Ecclesiæ processioni, ibique stans eam recipiet.

8. Si Processio sit longior, Litanijsque vsque ad preces excluſiuè absolutis, dicuntur aliqui psalmi pœnitentiales vel Graduales: Hymni verò vel cantica lætitiæ in his processionibus omittuntur.

9. Si in via diuertendum sit ad Ecclesiam vnam vel plures, post ingressum in Ecclesiam intermissis Litanijs vel psalmis cantatur Antiphona cum versu & oratione Sancti Patroni illius Ecclesiæ. Deinde egrediendo resumuntur Litaniæ, vel Psalmi.

10. Postquam peruentum erit ad Ecclesiam, ad quam iuxta consuetudinem Ciuitatis Processio dirigitur, celebratur ibi Missa solemnis Rogationum, in paramentis violacei coloris, & non S. Marci, nisi fuerit Titulus Ecclesiæ.

11. Missa finita, Processio regreditur ad Ecclesiam vnde exiuit, cantando interim Litanias vel psalmos pœnitentiales aut Graduales nondum absolutos, & reuersa in Ecclesiam omnes genuflexi, Sacerdos pluuiali indutus ante summum Altare genuflexus cantat preces deinde stans

oratio-

orationes post Litanias omnium Sanctorum in Breuiario Romano assignatas. Clero respondente.

12. In Processionibus & Litanijs minoribus quæ Rogationes vocantur; & tribus diebus ante Ascensionem Domini fiunt, eadem seruantur. Ad similitudinem harum Processionum regulari poterunt aliæ processiones extraordinariæ, quæ fieri quandoque contingunt ad placandam iram Dei. Si verò Celebrandæ erunt processiones ex causa lætitiæ, pro gratiarum actione, aut etiam pro translatione aliquarum insignium Reliquiarum Sanctorum, ordinari poterunt ad exemplum Processionis SS. Sacramenti, de quo suprà fusè actum est.

13. In Litanijs Maioribus S. Marci & Rogationum, qui intersunt Processioni, caueant, ne fabulentur, ne rei fiant coram Domino materialiter tantùm interessendo, nam Litaniæ sunt pars integralis officij huius diei, & idcirco, qui non intersunt Processioni, dicto in Laudibus *Benedicamus Domino* omisso, ℣. *Fidelium animæ, &c.* & Antiphona *Regina cæli* tenentur recitare priuatim genibus flexis Litanias cum suis precibus & orationibus sine psalmis pœnitentialibus.

14. Missa Processionum Litaniarum tres habet orationes, sine commemoratione cuiuscumque festi occurrentis, de quo, si nouem Lectionum est, poterit cantari, aut saltem legi alia Missa.

15. Altarium minorum paramenta erunt conformia officio, Altaris autem maioris & celebrantium in quocumque altari conformia erunt Missæ Rogationum.

TITVLVS XXII.

De vigilia & festo Ascensionis Domini.

1. IN vigilia Ascensionis, si occurrat festum simplex, in Missis priuatis fit commemoratio de eo in secunda oratione, & tertia erit de Rogationibus, quæ in officio nullam habet commemorationem. In Missis priuatis de festo nouem Lectionum fit commemoratio primò de vigilia, & posteà de Rogationibus. Si occurrat hac die festum Patroni nulla fit commemoratio de vigilia.

2. Si occurrat festum nouem Lectionum non Patroni, dicuntur in hac vigilia tres Missæ in Ecclesijs Collegiatis: Prima post Tertiam de festo, secunda post sextam de vigilia, tertia de Rogationibus post Nonam, & in vnaquaque earum secunda Oratio erit *Concede* tertia *Ecclesiæ* vel pro Papa.

3. In festo Ascensionis Domini extinguitur Cereus Paschalis post Euangelium, dictis his verbis *Assumptus est in cælum, &c.* ad repræsentandum Christi discessum ab Apostolis, qui non amplius accenditur sed reponitur vsque ad Sabbathum Sanctum ad benedictionem fontis.

4. Si aliquod festum occurrat habens octauam quæ nondum finita est feria sexta post octauam Ascensionis, finitur ad Nonam huius diei inclusiuè, nec amplius, etiam ad Vesperas sequentes fit vlla commemoratio de octaua.

TITVLVS

TITVLVS XXIII.

De Vigilia & die Pentecostes.

1. IN vigilia Pentecostes; quo ad Prophetias, benedictionem fontis, Litanias, paramenta violacea, Cusinos, & alia, fiunt omnia vt Sabbatho Sancto annotata sunt.

2. Officium Horarum est de Ascensione, vsque ad Nonam inclusiuè ad quam etiam est paratum Altare pallio albo, & finitâ Nona violaceo facilè remouendo post Litanias.

3. Missa solemnis huius vigiliæ, etiã in Ecclesijs quæ habent nõ fontem, incipit à Prophetijs, ideoque Celebrans hora competenti in Sacristia indutus cum ministris paramentis violaceis procedit ad Altare, quod in medio osculatur, & dicuntur Prophetiæ sine lumine Altaris eodem ritu, quo Sabbatho Sancto, ad quas sedet Celebrans vt eodem die post finem earum.

4. Finitis Prophetijs cum orationibus, in Ecclesijs vbi non fons baptismalis Celebrans deponit Casulam, & cum ministris ante Altare procumbit, & alijs omnibus genuflexis cantantur Litaniæ à duobus Cantoribus in medio Chori, vtroque Choro idem simul respondente, cum autem peruẽtum fuerit ad Vers. *Peccatores te rogamus &c.* Sacerdos & ministri surgunt, & accedunt ad Sacristiam, vbi induuntur paramentis rubeis, accensisque luminaribus circa Altare, in fine Litaniarum cantatur solemniter *Kyrie eleyson* quod tam lentè cantari debet, vt eo dicto statim Celebrans possit inchoare *Gloria in excelsis* ad cuius decantationem pulsantur Campanæ. Ad Euangelium non portantur luminaria

sed tantùm incensum ; flectuntur autem genua tantùm, ad elevationem SS. Sacramenti, qua facta surgunt.

5. Ad Euangelium non portantur luminaria, sed incensum tantùm : Si verò Ecclesia habuerit fontem baptismalem, absoluto Prophetijs, vadit ad fontem vt in Sabbatho Sancto.

6. In Festo Pentecostes & tota octaua Hymnus *Veni Creator* dicitur ad Tertiam, & ad primum versum hymni prædicti genuflectitur.

7. Ad Missam solemnem, Celebrans dicto à se Euangelio, & dum cantatur in Choro versus *Veni Sancte Spiritus* cum ministris genuflectit super supremum gradum altaris. Ideo Chorus ita lentè debet decantare versum præcedentem *Emitte Spiritum* & Celebrans ita tempestiuè dicere Euangelium suum, vt possit ipse genuflectere ad prædictum versum, quo dicto potest sedere, sed tempestiuè redeat ad altare vt benedicat incensum, & Diaconum pro Euangelio.

8. Sabbatho post Missam, quæ dicitur post Nonam, tempus Paschale terminatur, & ideo post cœnam benedictio & gratiarum actio dicuntur vt alio tempore cum Psalmo *Miserere mei Deus*, vel *Laudate Dominum omnes gentes.*

TITVLVS XXIV.

De Festo Corporis Christi.

HOc Festum solennissimum ex instituto Vrbani IV. de anno 1262. ab Eugenio IV. de anno 1433. confirmatum, in quo solemniter loci superior celebrare solet, ideo Altaris ornatus solemnis esse debet, pariter Celebrantis, ac Ministrorum paramenta prætiosa albi coloris.

2. Primæ

2. Primæ Vesperæ solemniter celebrantur, non tamen in eis exponitur Sanctissimum Sacramentum, & ideò in Hymno, *Tantum ergo Sacramentum, &c.* non genuflectitur, per octauam verò quando Sanctissimum Sacramentum expositum est, ad dictum versum in Choro ab omnibus genuflectitur, sicut etiam ad versum *O Salutaris Hostia, &c.* aliàs autem non genuflectitur. *Carem. Epis. lib. 2. c. 8.*

3. Hoc Festum habet octauam priuilegiatam, quæ nulli cedit nisi octauæ SS. Trinitatis, si enim Festum Trinitatis celebratur cum octaua, feria sexta & Sabbatho infra octauam Corporis Christi fit de octaua Festi Trinitatis, & commen oratio tantùm de octaua Corporis Christi, vt patet ex Octauario Romano, vbi assignantur lectiones secundi & tertij Nocturni huius octauæ. Admittit hæc octaua Corporis Christi quidem festa duplicia, sed non semiduplicia, neque duplicia translata, nisi sint festa primæ classis, aut secundæ, vnde fit de festo S. Ioannis etiam translato, v.g. si occurrat in festo Corporis Christi, & tunc transfertur in feriam sextam proximam, nisi impediatur aliquo festo duplici, quia tunc transfertur in Sabbathum.

4. Indulgentiæ concessæ sunt à summis Pontificibus ijs qui officio hac die & tota octaua interfunt, easque etiam consequuntur qui interfunt officio de Sanctis, qui infra hanc octauam occurrunt licet officium non fiat de Corpore Christi quod Ioannes Papa iltius nominis XXII. confirmauit.

5. Vt Processio, quæ hac die solemnissima haberi debet, secundum solemnitatem & reuerentiam tanto Sacramento debitas fiat, diligenter omnia quæ ordinantur in Rituali Romano Pauli V. titulo de Processione SS. Sacramenti, sicut etiam ea quæ in hoc Compendio suprà Ti-

tulo XXIV. de Processione SS. Sacramenti annotata, seruanda sunt.

6. Quia solitum est per totam hanc octauam exponere Sanctissimum Sacramentum super Altare dum Vesperæ, aliaque officia diuina recitantur, Altare decenter ornatum esse debet velis, floribus & alijs ornamentis.

7. Quando per octauam Sanctissimum exponetur Sacramentum, Sacerdos paratus in Sacristia Amictu, Alba, Cingulo siue superpelliceo, stolâ, & pluuiali albi coloris præcedentibus Thuriferario cum thuribulo & Ceroferarijs cum facibus ardentibus procedit ad altare ante quod omnes simul genuflectunt, interim Sacrista vel alius in Sacris ordinibus constitutus aperit ostiolum tabernaculi. Deinde Celebrans imposito thuribulo sine benedictione triplici ductu thurificat SS. Sacramentum genuflexus mox surgens, ascendit ad Altare accipit SS. Sacramentum & vertens se ad populum cantat vers. *Tantum ergo*, semelque populum benedicens collocat monstrantiam cum SS. Sacramento in loco eminenti Altaris, factaque genuflexione, in superiori Altaris gradu genuflexus rursus SS. Sacramentum triplici thurificat ductu, facta ante & post profunda capitis inclinatione, postremò Celebrans surgit & facta in plano genuflexione recedit in Chorum, aut Sacristiam. Quæ Cæremoniæ etiam obseruantur in repositione SS. Sacramenti.

TITVLVS XXV.

De Octaua Corporis Christi.

1. SOlitum est octaua die huius festi post finem Completorij instituere processionem ad repo-

ad reponendum SS. Sacramentum, quæ non tam solemnis, & longa via, vti prima, sed per Ecclesiam, vel parùm circa extra eam fieri debet. Carem. Epis. lib. 2. c. 33.

2. Dum dicitur Completorium Ministri, Celebrans, Diaconus & Subdiaconus, Acolythi & thuriferarij parant se suis paramentis, & alius Subdiaconus qui deferat Crucem processionalem, sicque parati procedunt ad Altare præcedentibus Thuriferarijs, Subdiacono cum cruce, & Ceroferarijs cum cereis accensis, posteà sequitur Celebrans medius inter Diaconum & Subdiaconum eleuantes pluuiale de more.

3. Postquam ad Altare peruenerint genuflectunt omnes in plano, Deinde Celebrans surgens imponit thus duobus thuribulis de more & incensat SS. Sacramentum in loco suo, quo facto imponitur ipsi velum oblongum, Deinde Diaconus ascendit ad Altare accipit Monstrantiam cum SS. Sacramento & tradit de more celebranti & fit processio ritibus suprà, in processione SS. Sacramenti præscriptis cum decantatione Hymnorum de SS. Sacramento, *Pange lingua, Sacris solemnijs, verbum supernum*, habendo considerationem longioris vel breuioris viæ, reponiturque cum cæremonijs & cantu in Rituali Romano de processione SS. Sacramenti præscriptis.

4. Postridie manè Sacrista vel alius Sacerdos in Missa sumpto pretioso sanguine, sacram hostiam, quæ in Monstrātia asseruabatur, ante purificationem sumet. Lunulam verò diligenter purificabit, atque etiam, si videbitur, vino lotam purificatorio exterget, & Monstrantiam cum alijs vasis sacris securè deponet & reseruabit.

TITVLVS XXVI.

De Dominicis per annum.

1. DE Dominicis per annum, nihil aliud notandum occurrit, nisi quod post Pentecosten vsque ad Aduentum quando celebratur de feria, Altaris ornamenta, ac Celebrantium paramenta erunt viridis coloris, exceptis Dominicis infra aliquam octauam occurrentibus, nam tunc color erit conformis Sancto cuius octaua celebratur.

2. Item, quod illa dicatur cuiusque mensis prima Dominica, quæ incipit in Calendis, vel est proximior Calendis illius mensis, ita vt si Calendæ fuerint secunda, tertia, vel quarta feria, illa censeatur prima mensis Dominica, quæ præcedit illas Calendas, si autem Calendæ fuerint quinta, sexta, vel Sabbatho, prima Dominica mensis erit illa, quæ sequitur ipsas Calendas, & in ea liber scripturæ, qui ponitur in prima hebdomada, inchoari debet, ita, vt in præcedenti Sabbatho ponatur Antiphona ad *Magnificat* illius historiæ, quæ in prima mensis Dominica legi debet.

TITVLVS XXVII.

De commemoratione omnium Fidelium Defunctorum.

1. IN Festo omnium Sanctorum post secundas Vesperas dicitur officium Defunctorum in omnibus & per omnia vti suprà titulo de officio Defunctorum annotatum est.

2. Missæ

2. Missæ omnes dicuntur pro omnibus fidelibus Defunctis, neque fit iniuria ijs quibus quotidiana fortè extat obligatio Missæ, cùm hæc sit intentio Ecclesiæ. Dicitur tamen vna Missa de octaua post Tertiam in Collegiatis Ecclesijs, & Missa principalis post Nonam dicitur pro omnibus Defunctis à superiore Ecclesiæ.

3. Si habendus sit sermo, hac die, habeatur de more finita Missa ante absolutionem.

4. Quia hodie fit absolutio solemnis Defunctorum & omnes fideles solent illuminare & visitare sepulchra fidelium, lugubris processio instituti solet, finito ergo summo sacro, aut sermone, Chorus incipit Responsorium *Libera me Domine, &c.* & si hoc non sufficiat, possint alia ex nocturnis officij Defunctorum decantari, donec processio completa fuerit, Celebrans per viam processionis aspergit & thurificat sepulchra mortuorum, eleuante fimbrias pluuialis à dextris Diacono, Subdiacono autem deferente Crucem inter duos Ceroferarios. Posteà in Ecclesia Cantores subdunt de more *Kyrie eleyson* & primus Chorus respondet *Christe eleyson* & secundus *Kyrie eleyson* Celebrans subdet *Pater noster. Et ne nos inducas*, versus & orationem *Absolue*, in cuius fine Celebrans addit versum *Requiem æternam, &c.* Choro respondente *Et lux perpetua*, deinde Cantores subdunt *Requiescant in pace.*

TITVLVS XXVIII.

De Festo Patroni & Dedicationis Ecclesiæ.

1. FEstum Patroni propriæ Ecclesiæ est festum principale & solemnissimum, ideo Ecclesia debet elegantissimè ornari, supra fores Ecclesiæ *Carem. Episc. lib. 1. c. 12.*

apponi potest imago Sancti Patroni, & si Ecclesia habuerit indulgentias plenarias in tabella pulchrè elaborata appendantur ad fores Ecclesiarum cum hac inscriptione *Indulgentia plenaria*.

2. Festum patroni loci est quidem primæ classis in tota Diœcesi, in ciuitate cum octaua, extra sicut apud Regulares sine ea, non est tamen tantæ solennitatis ac festum Patroni proprij loci.

3. Festum Dedicationis propriæ Ecclesiæ & Cathedralis est festum primæ classis. De hac fit octaua tantùm in ciuitate, de illa in propria Ecclesia.

4. In Dedicatione propriæ Ecclesiæ solent ardere candelæ ad Missam, & omnes horas, ante duodecim Cruces parietibus infixæ & depictæ, quæ in eius consecratione sacro Chrismate inunctæ sunt.

PARS VII.

De Cæremonijs Episcopalibus.

TITVLVS I.

De officio Presbyteri assistentis ad Vesperas Episcopo Celebrante.

1. DIgnior esse debet tam ex Dignitatibus, quàm Presbyteris ipse Presbyter Assistens, quocumque nomine appelletur, siue Archidiaconus, siue Archipresbyter, in Sacerdotio constitutus, & in Sacerdotalibus officijs expertus, vt Episcopo ministrare possit.

2. In Vesperis induitur superpelliceo ac pluuiali coloris officio conuenientis sine pectorali aut formali ad pectus, & cum Episcopus fuerit

rit paratus, ipse annulum in digito annulari dextræ manus imponit, ipsum prius & manum eius osculando.

3. Locus eius, nisi aliter sicus ratio requirat, est ante faciem Episcopi aliquantulum ad eius dexteram semiuersus, ita vt non terga vertat altari, neque Episcopo, ibique quando sedendum erit, super scabellum pictum quidem, sed nudum, sedebit.

4. Dum Episcopus in initio Vesperarum post *Pater noster* signat se, ipse pariter se signat cum Episcopo.

5. Cum verò Episcopus primam Antiphonam erit intonaturus, ipse librum ante Episcopum supra caput sustinebit, Episcopoque sedente ipse pariter sedebit.

6. Tertiam Antiphonam ipse Presbyter stans apud Scabellum suum, ac præintonante sibi illam ministro destinato, intonabit voce intelligibili.

7. Dum Episcopus erit intonaturus Hymnum, sustinebit ante eum librum, sicut etiam dum intonabit antiphonam ad *Magnificat*, qua intonata, & Episcopo sedente, capiet nauiculam de manu ministri, illamque, cum cochleari prius deosculato, ac manu Episcopi quoque deosculata porriget ipsi Episcopo, vt ex ea sumat & imponat thus thuribulo dicens more solito *Benedicite Pater Reuerendissime* cum debitis inclinationibus antè & pòst. Tum reddet nauiculam Ministro, & ibidem stans expectabit nudo capite, donec inchoetur *Magnificat*.

8. Quo cantico inchoato sequetur manibus iunctis nudo capite Episcopum ad Altare euntem, vbi postquam osculatus fuerit Altare, offeret ei Thuribulum cũ debitis osculis & reuerentijs.

9. Deinde recedit ad cornu Epistolæ, vbi expectabit finem incensationis, quia duo Diaconi assistere

assistere debent Episcopo hinc inde eleuantes pluuiale eius.

10. Facta incensatione, thuribulum in cornu Epistolæ altaris ab Episcopo acceptum, Thuriferario tradet & sequetur Episcopum euntem ad solium, eo modo quo venit iunctis manibus & nudo capite.

11. Cum Episcopus redierit ad sedem suam, tunc ipse stans ante infimum gradum sedis Episcopalis, recipit thuribulum de manu thuriferarij & thurificat Episcopum triplici ductu stantem cum mitra, cui Episcopus benedicit, at rursus reddito thuribulo ministro, ipse stans in loco suo, factâ primo Diacono inclinatione duplici ductu thurificabitur à ministro solito. Tum cum repetitur Antiphona sedet, si facta sit incensatio Diaconorum, aliàs stare debet.

12. Cum Episcopus cantaturus est orationem, sustinebit librum ante illum, & ad alias orationes, si dicendæ sint. Deinde redibit ad locum suum, & post benedictionem, ad quam stabit, expletis Vesperis, deposito Pluuiali, & habitu suo canonicali indutus comitabitur Episcopum cum alijs.

TITVLVS II.

De officio Presbyteri assistentis in Missa.

1. PResbyteri assistentis præcipua cura erit, totam Missam præuidisse, omnesque cæremonias & actus quos Episcopus facturus est, obseruasse, ac signacula in libro Missali congruis locis disposuisse, vt præsto illi esse possit suggerendo submissa voce, vel modestè nutu indicando, si fortè in aliquo, vel memoriæ lapsu vel alia de causa

Cerem. Epis. lib. 1. cap. 7.

de causa deficeret, aut titubaret, præsertim apud Altare.

2. Igitur ipsa die, hora congrua, Canonicali habitu indutus, Episcopum ad Ecclesiam venientem vna cum alijs comitabitur ad Ecclesiam, vbi opportunè aderit ipsi in habitu suo canonicali, & ipsi legenti Psalmos, *Quam dilecta, &c.* cum sequentibus, ad sinistram eiusdem stans, alternatim respondet.

3. Ad manuum lotionem, antequam Episcopus sacris se induat vestibus, porrigit ei mantile, osculans illud prius, & annulos ordinarios, si quos ante lotionem ipse deposuerat, cum debitis osculis reponit.

4. Postea secedens parum extra solium Episcopi induit se pluuiali, & sic paratus librum sustinebit super caput ante Episcopum, dum Episcopus cantabit orationem in Tertia à Choro absoluta.

5. Episcopo omnibus sacris paramentis indutо, imponet annulum pontificalem annulari digito dextræ manus illius, annulo & manu prius osculatis.

6. Mox si extra Altare in quo Celebraturus est Episcopus patamenta accipiat, ministrabit illi cochlear & nauiculam thuris, cum cæremonijs suprà in Vesperis præscriptis.

7. Procedente Episcopo ad Altare incedit ante eum à dextris Diaconi Euangelium cantaturi, vel deficientibus Diaconis assistentibus, à dextris Episcopi manibus iunctis, vsque ad Altare.

8. Apud Altare collocat se ad dextram Episcopi, vbi facta Altari cum Episcopo profunda reuerentia, facit cum eo confessionem, stando à dextris ipsius & respondendo cum alijs, signando & inclinando se cum Episcopo, & ad verba

Miserea-

Misereatur tui. tibi Pater & *te Pater* versus eundem caput profundè inclinat.

9. Post Confessionem retrahit se statim ad cornu Euangelij, vbi postquam Episcopus osculatus fuerit Altare, ipse adiuuat Subdiaconum in porrigendo illi libro osculando, manum apponendo ad librum & monstrando principium Euangelij ab Episcopo osculandum.

10. Mox retrahit se extra cornu Euangelij, ibique expectat vsque ad finem incensationis, cum redeunte Episcopo ad sedem suam, ipse eum sequitur, & apud eum stat dum legit Introitum, ac cum eo se signat.

11. Cum Episcopus lecto Introitu dicit *Kyrie eleyson* illud idem dicet cum duobus Diaconis assistentibus, sedente verò Episcopo, & ipse sedet super scabellum paratum à dextris ipsius, si verò Episcopus non in sede sed faldistorio sedeat Presbyter assistens sedet post faldistorium Episcopi medius inter Diaconum & Subdiaconum.

12. Circa finem vltimi *Kyrie eleyson* surgit Presbyter Assistens, & Episcopo cantante *Gloria in excelsis Deo* librum super caput sustinet, mox reddito libro ministro de eo seruienti, prosequitur Hymnum cum Episcopo submissâ voce, sedente mox Episcopo & ipse sedet tecto capite vsque dum in Choro absolutus sit Hymnus Angelicus, & ad ea verba Hymni Angelici ad quæ inclinandum est, ipse pariter inclinat.

13. In fine Hymni Angelici à Choro decantati surgit, & reposito bireto, ad orationes ab Episcopo decantandas, sustinebit librum ante illum, orationibusque absolutis, reddit librum ministro de eo seruienti.

14. Deinde Episcopo sedente ipse pariter sedet cooperto capite vsque dum Diaconus incipiet cantare Euangelium, quod cum incipit, si Episcopus

Episcopus celebret in faldistorio ipse auferet mitram, & ad Euangelium ipse stabit nudo capite manibus iunctis, se signans initio Euangelij.

15. Cantato Euangelio, & Episcopo thurificato per Diaconum, Presbyter assistens sustinebit librum ante Episcopum, vt ex eo inchoet *Credo in vnum Deum*, his verò verbis per Episcopum decantatis relinquit librum in manibus ministri de eo seruientis, & prosequitur cum illo dictum Symbolum vsque ad finem, illoque absoluto sedet cooperto capite.

16. Dum in Choro cantatur *Et incarnatus est* caput detegit & profundè inclinat cum alijs, dictoque Symbolo surgente Episcopo ipse pariter surgit, atque lecto Offertorio ab Episcopo, ipse extrahit ipsi annulum Pontificalem si non adsint Diaconi assistentes, lotisque manibus Episcopi porrigit ipsi mantile, & reddit annulum pontificalem.

17. Cum Episcopus reuertitur ad Altare, ipse à sinistris illum gradus ascendentem adiuuat, & deinceps accuratè & opportunè demonstrat illi omnia & singula, quæ ex libro sunt dicenda, ea digito dextræ manus indicando, sinistra verò tenens librum Episcopo.

18. Dum Episcopus thurificat Altare, ipse sumpto libro cum Puluino, retrahet se extra cornu Euangelij, ne thurificationem impediat, & finita thurificatione Altaris deponet Missale super eo ostendens successiuè dicenda ab Episcopo.

19. Cum Diaconus est eum incensaturus post Episcopum, ipse se vertet ad eum, & facta inclinatione primò Diacono, qui debet incensari post eum, duplici thurificatur ductu inclinans se thurificanti antè & pòst.

20. Ad Præfationem submissa voce dicit *Sanctus*

cum

cum Episcopo & Diacono, idemque præstabit ad *Agnus Dei*, & ad eleuationem tantùm genuflectit, neque à libro discedit, nisi quando danda est pax.

21. Dicto cum Episcopo *Agnus Dei, &c.* cum debitis genuflexionibus accedit dexteram Episcopi, ibique dum Celebrans dicit *Domine Iesu Christe, &c.* genuflectit vt in Missali, quo dicto eo tempore quo Celebrans osculatur Altare, illud etiam osculatur, extra corporale manibus iunctis, & statim Episcopus sinistram genam, cum sinistra ipsius Assistentis iungens, dat ei pacem dicens *Pax tecum*, cui ipse respondet. *Et cum Spiritu tuo.* Et iterum genuflectens ante Sacramentum, & statim surgens recedit cum Cæremoniario ad pacem dandam in Choro, aduertens ne cuiquam reuerentiam faciat, nisi post datam pacem, & tunc Canonicis, Magistratui & Principibus se tantum inclinat.

22. Data pace quibus per ipsum danda est, scilicet prædictis, non autem beneficiatis, dat eam in Choro vltimo loco Cæremoniario, qui eam alijs distribuit & redit ad librum in Altari, quem, cùm Episcopus se purificauerit, digitosque abluerit, transfert ad cornu Epistolæ, & adiuuat ad lotionem manuum Episcopi: deinde ostendit illi in libro cætera quæ supersunt, vltimaque post communione finitâ claudit librum & vadit ad latus Euangelij.

23. Data benedictione ab Episcopo, ad quam profundè se tantùm inclinat, si Indulgentiæ non fuerint publicatæ, eas tunc, petita prius licentia ab Episcopo, publicat sub hac forma:

Reuerendissimus in Christo Pater & Dominus Dominus N. Dei & Apostolicæ Sedis gratia Episcopus N. dat, & concedit omnibus hic præsentibus quadraginta dies de vera Indulgentia in forma Ecclesiæ consueta.

Regale

Rogate Deum pro felici statu Sanctissimi Domini nostri D.N. Papæ N. Dominationis suæ Reuerendissimæ, & Sanctæ Matris Ecclesiæ.

24. Deinde ministrat Episcopo in legendo Euangelio S. Ioannis aut alio, eoque finito, sequitur Episcopum ad sedem, vbi deponet plumale, & iuuabit Episcopum in exuendo, quem denique comitabitur cum alijs.

TITVLVS III.

De officio Presbyteri Assistentis Episcopo non celebrante, sed præsente in Missa solemni.

1. QVando Episcopus non celebrat, sed alius, præsente ipso Episcopo, tunc Presbyter Canonicus dignior Canonicali suo habitu tantùm indutus, nauiculam incensi quoties erit imponendum thus in thuribulum ministrabit, cum debitis osculis, & Episcopum incensabit ad Vesperas, & in Missa post oblata tantùm, nisi Episcopus sit paratus.

2. Post *Agnus Dei*, accedit ad Altare, vbi cum debitis reuerentijs accipit pacem à Celebrante, Episcopus dat eam duobus Canonicis assistentibus, Presbyter autem Assistens dabit pacem Subdiacono, qui eam cæteris deferet.

3. Locus Presbyteri assistentis est in scabello nudo prope Episcopum.

* * *

TITVLVS

TITVLVS IV.

De officio duorum Canonicorum in habitu Diaconali Episcopo Celebrante, vel eo non Celebrante in habitu ordinario assistentium.

1. VLtra Presbyterum assistentem & Diaconum & Subdiaconum ad Euangelium & Epistolam seruientes, assistunt Episcopo loci ordinario & proprio solemniter Celebranti Missam, vel Vesperas in sede Episcopali & non in faldistorio, duo alij Canonici primi ex ordine Diaconali.

2. Hi autem, si Episcopus celebret Missam aut Vesperas induti esse debent habitu Diaconali, hoc est Dalmaticâ supra Amictum & superpelliceum, ac sedente Episcopo in sede sua Episcopali ipsi sedent in scabellis nudis hinc inde, & sedenti in sede mitram imponunt & auferunt. Imponitur autem à Diacono assistenti à dextris, osculato priùs & imposito bireto, altero à sinistris Assistente adiuuante, atque vittas à tergo defluentes aptante: aufertur verò à Diacono à sinistris assistente, qui illam dat Capellano seruienti de mitra, & tunc qui est à dextris, subbiretinum aufert, leuiter cum illo complanando capillos. Semper autem sedenti mitram ipsam imponere & auferre debent. Dum Episcopus pluuiali inductus ad Altare procedit, hinc inde eum comitantur, nudo capite fimbrias pluuialis eleuantes. Quoties apud sedem suam Episcopus eleuat manum suam dextram, vt se aut alias personas, seu res quascumque signet signo Crucis, toties Diaconus à dextris pariùm eleuat pluuiale. Cùm autem eleuat ambas manus, ambo Diaconi hinc inde eleuant fimbrias pluuialis,

planialis & cùm Episcopus cantat, vel legit aliquid ex libro, ipsi Diaconi hinc inde apponunt manus super eo, & primus folium vertit, alter digito indicat legenda.

TITVLVS V.

De officio Diaconorum assistentium Episcopo in Vesperis.

1. IPsi Diaconi Episcopum venientem ad Ecclesiam in habitu Canonicali comitantur, statimque amictu & Dalmatica induti, iuuant Episcopum dum paramentis suis induitur, omnibusq; paramentis induto mitram ei imponunt.

2. Dum Episcopus dicit *Deus in adiutorium*, primus eleuat partem pluuialis dexteram sinistra, se signans dexterâ, & inchoato primo psalmo, primus imponit ei mitram adiuuante secundo.

3 Ad psalmos sedent tecto capite, illud nudantes ad versum *Gloria Patri* & alios similes se inclinant. Primus intonat secundam Antiphonam stans, alio etiam stante, secundus quintam primo etiam stante.

4. Ad Capitulum stant nudo capite, & responso à Choro *Deogratias*, secundus aufert mitram sicque stantes cum Episcopo manent, donec hymnus absolutus fuerit à Choro.

5. Intonata ab Episcopo Antiphona ad *Magnificat* primus imponit ipsi sedenti mitram, ipsi vero manent stantes nudo capite.

6. Cum Chorus incipit *Magnificat*, Episcopus procedit ad Altare medius inter illos caput denudatum habentes, & ibi statim vt accesserunt, secundus aufert mitram, & statim ambo

ambo adiuuant dum Altare ascendit, & similiter hinc inde assistunt dum Altare thurificat.

7. Altari incensato primus imponit ei mitram, & ambo comitantur eum redeuntem ad sedem suam, vbi postquam incensatus fuerit, secundus aufert mitram, & ambo thurificantur post Presbyterum assistentem duplici ductu.

8. Cum repetitur in Choro Antiphona, sedenti Episcopo primus imponit mitram, & ea finita secundus aufert.

9. Ad Orationem stant, & primus vertit folia & secundus à sinistris indicat orationem.

10. Responso à Choro *Deo gratias* primus iterum Episcopo mitram imponit, cum qua in sua sede, ipsis stantibus & se inclinantibus benedicit populo.

11. Finitis Vesperis dum Episcopus paramenta deponit in sua sede ipsum adiuuant, deinde depositis Dalmaticis & amictibus in habitu Canonicali eum comitantur.

TITVLVS VI.

De officio Diaconorum assistentium Episcopo in Missa solemni.

1. EPiscopum solemniter Celebraturum, in habitu Canonicali ad Ecclesiam procedentem cum alijs de Capitulo comitantur, deinde ad sedem, vbi stant in habitu canonicali, & dum Episcopus dicit Psalmos *Quam dilecta*, & alios, respondent ei cum Assistente Presbytero.

2. Deinde quando Episcopus incipit se induere paramentis sacris prædicti Diaconi capiunt sua paramenta, id est Amictus, Dalmaticas super Rochettum aut superpelliceum : & dum parantur assistunt Episcopo duo alij Diaconi.

3. Postquam

3. Postquam Diaconi induti fuerunt redeunt ad Episcopum, alijs recedentibus cum debitis reuerentijs, & mitram prætiosam Episcopo imponit primus Diaconorum.

4. Tum Episcopo parato, procedunt ad Altare manibus iunctis, nudo capite hinc inde à lateribus Episcopi salutantes chorum cum eo, factaque reuerentia Altari, stant, primus, scilicet, post Presbyterum assistentem, & secundus post Diaconum Euangelij, cedentes tunc eis hæc loca, ibique remanent donec Episcopus Altare thurificauerit, tunc primus facta altari reuerentia accedit per planum ad cornu Epistolæ, vbi imponit mitram Episcopo, vt thurificetur cum ea.

5. Post incensationem Altaris, comitantur Episcopum ad sedem redeuntem, facta debita reuerentia Altari, ibique secundus mitram aufert Episcopo antequam legat Introitum, & ad *Kyrieeleison* alternatim respondent, deinde iterum primus mitram ei imponit, & secundus Gremiale acceptum à ministro de eo seruienti, super Episcopi genua ponit, & Episcopo sedente ipsi pariter sedent tecto capite.

6. Cantato *Kyrieeleison* vltimo à choro, secundus aufert Gremiale ab Episcopo, illudque tradit ministro, tum etiam mitram aufert, & cum Episcopus dicit *Gloria in excelsis* illud submissa voce simul complent.

7. Lecto dicto Hymno angelico ab Episcopo primus leuiorem mitram ei imponit, & secundus Gremiale tradit, & circa finem dicti Hymni à choro cantati, secundus aufert gremiale & mitram. *Carem. Episc. lib. 1. c. 11.*

8. Dum Episcopus dicit *Dominus vobiscum* & *Oremus* ambo eleuant antereriores partes casulæ ipsius, tum erecti ad orationem ostendunt Episcopo dicenda.

9. Dicta oratione primus imponit mitram & secundus Gremiale & sedent donec Episcopus benedicat Diaconum, tunc enim stant, & Diacono cantante *Dominus vobiscum* pro Euangelio secundus aufert Gremiale & mitram.

10. Symbolum recitant cum Episcopo, in quo ad verba *Et incarnatus &c.* cum Episcopo genuflectunt, eoque dicto secundus imponit Gremiale, primus verò mitram, eoque etiam à choro decantato secundus aufert Gremiale & mitram.

11. Dicto offertorio ab Episcopo secundus imponit Gremiale, & primus mitram, vt lauet manus, & annulum & chirotecas auferunt ex eius manibus, illisque lotis & tersis, annulum reponit primus.

12. Dum Episcopus procedit ad Altare illum comitantur vt priùs, & stant in locis suis in plano ante Altare, vt priùs, habentes post se subdiaconum quasi tamen in medio eorum, & nihil ministrant nisi primus qui imponit mitram, & statim post lotionem manuum eam aufert.

13. Post incensationem Presbyteri Assistentis ipsi immediatè ante omnes incensantur successiuè & ad Eleuationem tantùm genuflectunt, deinde surgunt postea.

14. Postquam Presbyter Assistens pacem accepit, ipsi pariter ad dextram Episcopi accedentes pacem accipiunt antè, & post genuflectentes, non tamen osculantur Altare.

15. Completâ Missâ Episcopum comitantur vt initio ad sedem, sacrasque deponentem vestes adiuuant, & Episcopum recedentem vna cum aliis in habitu Canonicali associant.

16. Denique sciendum quod huiusmodi assistentia facienda sit tantùm Episcopo loci ordi- *Caret.* nario,

nario, & nulli alteri, etiamsi sit legatus qui in sede Episcopali sederet. *Episc. lib. 1. c. 8.*

TITVLVS VII.

De officio Diaconi Euangelium cantaturi in Missa solemni Episcopo proprio ordinario loci in sua sede Episcopali celebrante.

1. DIaconus ministraturus in Missa solemni, in habitu canonicali Episcopum ad Ecclesiam comitari debet, & dum alii accipiunt paramenta sua, ipse quoque accipiet paramenta ordinaria præter manipulum, sicque paratus stabit iuxta sedem Episcopi, etiam dum recitat Psalmos *Quam dilecta* & alios.

2. Postquam Episcopus lauerit manus, ipse accedet ad eius dextram, & simul cum subdiacono stante ad sinistram capiet Episcopi paramenta de manibus Acolythorum, ea suo ordine ferentium, & ijsdem Episcopum induet. *Primò* offert Episcopo Amictum osculandum in medio vbi crux est, quem mox aptat diligenter circa collum eius, vt vestium summitates omnino tegat, & chordulas ex illo pendentes post tergum ductas & ante pectus reductas strictè colligat: deinde accipit Albam, quam circa collum eius, humeros & brachia distendit & aptat; *tertio* cingulum, quo Albam constringit recipiens à tergo & ante pectus religans, postea accepta cru- cepectorali, eam ab Episcopo osculata imponit eius collo, ita vt ante pectus pendeat, deinde offert eidem stolam osculandam, quam super eius humeros applicat, ita vt nec collum tegat, nec transuersa sit in modum crucis, sed æqualiter

ante pectus pendeat. tum induit illum Turicella constringens chordulas super humerum eius dextrum & eodem modo Dalmaticam, deinde sedenti imponit chirotecas Diaconus quidem in dextra, Subdiaconus in sinistra deosculatis priùs manibus & chirotecis : Posteà iterum stantem induit Planeta, ac demum in defectu Diaconorum assistentium Diaconus imponit mitram.

3. Episcopo parato, accipiens manipulum suum, procedet ad Altare nudo capite & iunctis manibus à sinistris Presbyteri assistentis.

4. Cum peruenerint ad Altare, in defectu Diaconorum assistentium, antequam Altari reuerentiam faciant Diaconus aufert Episcopo mitram, quam dat ad manus ministri de caseruientis, deinde facta Altari cum Episcopo reuerentia, stat ad sinistram Episcopi faciens confessionem cum eo & dicens: Et *tibi Pater*, & *te Pater & misereatur tui* conuersus ad Episcopum profundè se inclinabit.

5. Dum Episcopus ascendit ad Altare adiuuat eum, & transit ad dexteram ipsius, & osculato ab Episcopo libro Euangeliorum cum debitis reuerentiis & osculis, ministrabit incensum de more dicens *Benedicite Pater Reuerendissime*, eumque adiuuat ad incensationem Altaris, quâ factâ ipsum Episcopum thurificabit ter, inclinans se profundè antè & post, & acceptâ benedictione ab eo inclinatus reddet thuribulum ministro.

6. Recedente Episcopo cum Diaconis assistentibus ad sedem suam Episcopalem, ipse remanet apud Altare in cornu Epistolæ, donec ad Altare redeat, vbi ante scabellum nudum pro ipso paratum stans versus Altare dicente Episcopo cum Assistentibus *Kyrie eleison*, ipse idem dicit

cum

cum subdiacono, & ipso Episcopo sedente ipse pariter sedet.

7. Cum Episcopus intonauerit Hymnum *Gloria in excelsis* stat, illumque stans vnà cum subdiacono simul & non alternatim, submissâ voce recitabit.

8. Dicto *Gloria in excelsis* sedebit capite tecto, ad orationes stabit iunctis manibus, & ad Epistolam sedebit.

9. Circa finem *Alleluia* sequentiæ, aut Tractus accipit librum Euangeliorum de manu Cæremoniarii & illum ad Altare defert ante pectus de more debitas faciendo reuerentias Episcopo & Altari. Tum ponet illum in medio Altaris, & inde factâ altari reuerentia accedit ad Episcopum comite cæremoniario cum debitis reuerentiis eiusque manum osculatur. Deinde ad Altare rediens genuflexus in infimo gradu dicit *Munda cor meum &c.* & statim surgens capit librum de Altari, & expectat ad partem Epistolæ donec tempus sit eundi, tunc rediens ad Episcopum post omnes comministros profundè inclinatus petit ab eo benedictionem dicens *Iube Domne benedicere.*

10. Accepta benedictione omnium postremus vadit ad locum Euangelij, vbi illud cantat, incensans librum de more, eoque decantato, & facta reuerentia Episcopo, redibit ad locum suum debitam faciens reuerentiam Altari.

11. Cum Episcopus incœperit cantando Euangelium *Credo in vnum Deum*, ipse cum subdiacono illud voce submissa prosequetur stans apud Altare ante scabellum suum, ita tamen vt non præire, sed subsequi debeat Episcopum, genuflectens cum eo ad Versum *Et incarnatus est.*

12. Lecto symbolo, Episcopo sedente, ipse pariter sedet, & cùm à choro decantatur versus *Et*

incarnatus profunde se inclinat sedens discooperiendo tamen caput.

13. Posteà accedat ad Credentiam, & capit Bursam cum corporali quam ad oculos vsque eleuatam ambabus manibus ad Altare portat, incedens solus graui & decoro incessu, reuerentias faciens Episcopo & Altari, ibique extrahit ex Bursa Corporale quod explicat & extendit in medio Altaris, collocans à parte Euangelii Bursam, ita vt Altare non impediat, & facta reuerentia Altari ibidem & Episcopo redit via breuiori ad sedem.

14. Finito symbolo, & offertorio Episcopum redeuntem ad Altare excipit in infimo gradu, & à dextris eum adiuuat ascendentem gradus, & cum eo ascendit retrahens se ad cornu Epistolæ, vbi discooperit calicem de more, & porrigit Episcopo patenam cum osculo manus ipsius dextræ.

15. Dum Episcopus dicit *Suscipe sancte Pater &c* ipse Diaconus extergit Calicem, & ex ampulla mittit vinum in Calicem, & post admistas illi per subdiaconum paucas guttas aquæ offert Calicem Episcopo cum debitis osculis, cum quo tangens & ipse Calicem dicit *offerimus tibi Domine &c.* & posito per Episcopum Calice super Corporali, ipse illum pallâ cooperit & patenam de more tradit subdiacono tegens eam extremitate veli ab eius humeris pendentis.

16. Tum accedente Thuriferario, ministrat nauiculam, & adiuuat Episcopum thurificantem oblata & Altare, supponendo sinistram brachio illius, & tenendo pedem Calicis dextra, quem remouet, & cum reponit, quando opus est vt fusiùs dictum est suprà de officio Diaconi sacerdote celebrante.

17. Finita Altaris incensatione, & accepto thuribulo, incensat Episcopum de more cum debitis reuerentiis & cum benedictione ab eodem

Episcopo, mox incensat Presbyterum assistentē, duos Diaconos, Dignitates, Canonicos & Subdiaconum. Quo facto dato thuribulo Thuriferario, ipse stans inter duos Diaconos assistentes thurificatur in loco suo, vbi stat vsque ad finem Præfationis,

18. Circa finem Præfationis accedit cum debitis reuerentiis ad dextram Episcopi, vbi dicit cum eo *sanctus* de more, & statim redit ad prædictum locum.

19. Paulò antequam Episcopus eleuet SS. Sacramentum genuflectit ad eius dexteram, & sinistra eleuat aliquantulum Planetam. Reposita Hostia super Corporale, & post genuflexionem Episcopi, surgit, detegit Calicem, & statim genuflectit & iterum planetam subleuat, dum Episcopus Calicem eleuat, quem super corporale repositum pallâ tegit, genuflectit, surgit & post Celebrantem redit.

20. Cùm Episcopus dicit verba Canonis *Benedicis & præstas &c.* ipse accedens detegit Calicem, & quoties Calicem detegit toties, vt alias genuflectit. Et cùm celebrans signat Calicem cum hostia dicens *Per ipsum* retinebit duobus digitis manus dextræ pedem Calicis, & reposita Hostia super Corporale, tegit Calicem pallâ & redit ad locum suum.

21. Dum Episcopus dicit *Et dimitte nobis* facta genuflectione ascendit ad cornu Epistolæ, & accipit Patenam de manu subdiaconi cum purificatorio detersam, osculatamque ab ipso ponit eam in manu dextræ ipsius Episcopi, quam etiam osculatur, & discooperit Calicem, & postea tegit eumdem, & ad locum suum redit.

22. Dicto per celebrantem *Pax Domini* iterum, accedit & cum eo dicit *Agnus Dei &c.* & postea cum debitis genuflexionibus accedit ad librum

vbi supplet locum Presbyteri assistentis, donec redeat ab osculo pacis.

23. Si facienda sit communio, postquam Episcopus se communicauerit, ipse Diaconus inclinatus in cornu Epistolæ, facit confessionem de more.

24. Postquam Episcopus ablutionem digitorum sumpserit Diaconus imponit mitram Episcopo, quam lotis ipsius Episcopi manibus iterum aufert, & vadit post eum, & dicto *Dominus vobiscum* post vltimam orationem, ipse conuersus ad populum cantat *Ite missa est.*

25. Deinde osculato ab Episcopo Altari antequam det benedictionem, imponit capiti eius mitram, nisi sit Archiepiscopus, qui sine mitra ob reuerentiam crucis benedicit, & dum Episcopus dat benedictionem genuflectit, nisi sit Canonicus Ecclesiæ Metropolitanæ aut Cathedralis.

26. Si celebrans sit Archiepiscopus, & cum pallio celebrauerit, data benedictione, & publicata Indulgentia Diaconus extrahit illi pallium, & super Altare illud deponit. Denique comitatur Episcopum ad sedem, vbi illum exuit sacris peramentis, quo exuto & non prius etiam ipse sua deponit & recedit in pace.

TITVLVS VIII.

De officio Diaconi in Missa solenni, celebrante Episcopo non in sua sede, sed faldistorio.

1. Diaconus ministraturus Episcopo non in sede Episcopali, sed faldistorio in cornu Epistolæ collocato celebranti, tempore congruo induit se suis paramentis sacris, præter manipulum, & aduentum ipsius Episcopi opportune expectat.

2. Post-

2. Postquàm Episcopus aduenerit, accedit ipsum & cum eo, procedit ad faldistorium, ibique assistit Episcopo ad sinistram ipsius, legitque cum eo alternatim Psalmos *Quam dilecta, &c.* & alios.

3. Quibus finitis suo tempore induit Episcopum paramentis acceptis de manibus Acolythorum ea ex Altari ordine afferentium ipse à dextris & subdiaconus à sinistris, sed Diaconus principaliter omnia operatur, & subdiaconus solùm adiuuat, vbi opus est, modo, titulo præcedenti, præscripto.

4. Postquam Episcopus omnibus paramentis suis indutus fuerit, accepto manipulo suo procedit cum Episcopo ad Altare, incedens à sinistris Episcopi, ad dextrum vero Presbyter assistens.

5. Cum peruenerint ante Altare antequam illi reuerentiam facient, Diaconus aufert Episcopo mitram, quam dat ad manus ministri de ea seruientis, deinde factis altari reuerentiis cum Episcopo, Diaconus stans à sinistris ipsius respondet ipsi facienti Confessionem.

6. Facta Confessione retrahit se ad latus Epistolæ vbi ministrat more solito Nauiculam cum Cochleari & thuribulum Episcopo, eique thurificanti Altare assistit, & in fine huiusmodi thurificationis cum triplici thurificat ductu.

7. Recedente Episcopo ad Faldistorium suum, ipse à sinistris ipsius comitatur eum, ibique aufert ipsi mitram quam ad manus de ea seruientis tradit, eique sub Introitu assistit, & ad *Kyrie eleison* alternatim ei respondet, deinde ipsi sedenti imponit mitram, atque sedet post ipsum in scamno à dextris Presbyteri assistentis.

8. Absoluto à choro vltimo *Kyrie eleison* surgit, & aufert mitram Episcopo tradendam ministro

nistro de ea seruienti, & *Gloria in excelsis* ab Episcopo intonatum, submissa voce prosequitur cum ipso vsque ad finem.

9. Lecto cum Episcopo *Gloria in excelsis* Episcopo sedenti imponit mitram, & post eum sedet cooperto capite donec dictus Hymnus perchorum absoluatur, non omittens inclinationes sub ipso Hymno debitas.

10. Posteà quando per Episcopum dicendum est *Dominus vobiscum* aufert mitram, quam eidem imponit dictis omnibus orationibus, usque dictis sedente Episcopo ipse pariter sedet vsque ad finem *Alleluia* sequentiæ aut Tractus 1. tunc enim surgit accipiens de manu Cæremoniarii librum Euangeliorum, quem ambabus manibus præmissis debitis reuerentiis Episcopo & Altari portat ad Altare eiusque medio imponit.

11. Collocato libro in Altari ministrabit Episcopo Cochlear & Nauiculam pro imponendo thure, Deinde vadit medium Altaris vbi genuflexus dicit more solito *Munda cor meum &c.* atque resumpto libro, rursus accedit Episcopum, ante quem genuflexus ab eo petit benedictionem, qua habita osculabitur manum Episcopi, & recedens ad locum Euangelii, idem sonora & amabili voce cantabit cæremoniis & ritibus aliàs præscriptis.

12. Cantato Euangelio postquam illud osculatus fuerit Episcopus eundem triplici thurificabit ductu, deinde accedens Episcopum cum eodem legit *Credo* genuflectens & inclinans cum eo vt aliàs sub eodem.

13. Lecto symbolo imponit capiti Episcopi mitram & post eum sedet, donec idem perchorum absolutum fuerit, tunc enim surgens aufert Episcopo mitram, quam dicto offertorio eidem rursus imponet, extrahitque ipsius chirotecas vt lauet manus.

14. Cum

14. Cum Episcopus redit ad Altare ipse à sinistris ipsius incedit, atque in Altari omnia peragit sicut in præcedenti titulo traditum est.

TITVLVS IX.

De officio subdiaconi in Missa Pontificali celebrante Episcopo loci proprio & ordinario in sua sede Episcopali.

1. SVbdiaconus eodem loco, modo, & tempore quo Diaconus, qui & ipse de numero Canonicorum esse debet, comitari debet Episcopum ad Ecclesiam procedentem, & accipiet sua paramenta, quæ eadem ferè sunt, quæ superiùs Diacono conueniunt, excepta stola, & accipiet super albam Tunicellam, quæ habet manicas strictiores & longiores Dalmatica Diaconi.

2. Cum Episcopus incipit legere Psalmos *Quam dilecta &c.* affert illi de Credentia caligas & sandalia, quæ portat cum debitis reuerentiis ambabus manibus super bacili velo tecta, & adiuuantibus scutiferis Episcopi induit, detractis priùs calceis ordinariis eius, primò tibiam & dextrum pedem Episcopi, mox sinistrum genuflexus.

3. Quibus peractis, suo tempore adiuuat à parte sua Diaconum, dum Episcopum induit, cùm opus erit, quia præcipuè id Diaconus operatur.

4. Episcopo parato capit manipulum suum & non priùs & procedit ad Altare immediatè ante Diaconum librum Euangeliorum clausum ante pectus portans, cui inclusus erit manipulus Episcopi.

5. Episcopo facienti Confessionem, ipse parùm

retro stans post Diaconum Euangelij respondet simul cum presbytero assistente, & Diacono, atque interim deponit prædictum librum in manibus cæremoniarii prope se genuflexi, & cum Episcopus dixerit *Indulgentiam absolutionem &c.* ipse manipulum ex libro acceptum à latere osculatur, & Episcopo osculandum porrigit, mox osculata manu illius imponit sinistro eius brachio.

6. Facta confessione ascendit cum Episcopo ad Altare per partem Euangelii & eidem adiuuante Presbytero assistente, porrigit dictum librum Euangeliorum apertum, vbi est principium Euangelii illius Missæ osculandum, mox tradens dictum librum cæremoniario aut alteri.

7. Dum Episcopus incensat Altare assistit à sinistris ipsius, & transiens ante medium Altaris semper inclinat, post thurificationem vero Altaris accedit ad cornu Epistolæ, vbi stat à sinistris Diaconi dum ipse Episcopum thurificat.

8. Deinde procedente Episcopo ad sedem suam Episcopalem ipse remanet apud scabellum suum paratum cum Diacono, vbi cum eo stat, vel sedet prout tempus requirit, dicens cum Diacono tempore suo *Kyrieeleison & Gloria in excelsis.* staudo, sicut etiam surgit dum Episcopus dicit Orationes.

9. Circa finem orationis vltimæ accipit de manu Cæremoniarii librum Epistolarum, & factis reuerentiis Episcopo & Altari, comitante Cæremoniario in loco consueto, cantat Epistoã, quâ completa cum debitis reuerentiis, accedens ad Episcopum profundè inclinatus librum super eius genibus ponit, & eius manum super librum positam osculatur, & accepta ab eo benedictione, redit ad Altare, vbi expectat tempus eundi ad Euangelium stans vel sedens, prout alii,

10. Ad

10. Ad Euangelium immediatè ante Diaconum procedit manibus iunctis, & illi cantanti Euangelium, librum solito more ambabus manibus tenet ante pectus apertum; stans immobilis.

11. Finito Euangelio, tenens adhuc librum apertum nulla prorsus facta reuerentia, illum offert osculandum Episcopo in loco vbi est principium Euangelii, quo osculato, & clauso libro, parùm retrahit se & inclinat se profundè Episcopo & redit ad locum suum, vbi stat, aut sedet ad symbolum vt Diaconus, illudque dicit cum eo, & dum ipse Diaconus defert bursam corporalium ad Altare, ipse stat nudo capite donec redierit.

12. Postquam Episcopus lauit manus post offertorium, ipse accedit ad credentiam, & extenso sibi, adiuuantibus Acolythis circa humeros velo longo, quo calix & alia cooperiebantur, ita vt à latere dextro longiùs pendeat, & acceptum calicem de more defert ad cornu Epistolæ, eo tempore, quo Episcopus illuc peruenerit, & alia peragit vt in missa communi, dicens tamen Episcopo *Benedicite Pater Reuerendissime*, dum offert aquam benedicendam.

13. Post oblationem panis & vini ab Episcopo factam, accipit de manu Diaconi patenam quam veli extremitate, iuuante Cæremoniario contegit, eamque eleuatam sustinet in loco suo vsque ad *Pater noster*, vbi etiam incensatur, id est in plano retro post Episcopum, quasi in medio Diaconorum assistentium, nec mouet se, nisi ad eleuationem sacratissimi sacramenti genuflectit; quo eleuato statim surgit.

14. Cum Episcopus dicit *Et dimitte nobis &c.* cum debitis reuerentiis accedit ad Altare, vbi tradit patenam Diacono, & ipse deposito velo

redit ad locum suum, & si Diaconus stare debeat ad librum, ipse supplet à dextris Episcopi pro Diacono discooperiendo calicem vinum purificationis infundendo & ablutionem digitorum in Calicem.

15. Deinde tergit Calicem de more, dum Episcopus lauat manus, & eum ad credentiam reportat, mox redit ad Episcopum, & ad benedictionem Episcopalem genuflectit.

16. Finita Missa comitatur Episcopum eum præcedendo sine libro ad sedem suam, ibiq; adiuuat Diaconum in exuendo Episcopum.

17. Quæ fortè hic desiderantur, poterunt intelligi ex iis quæ de officio subdiaconi in tertia parte dicta sunt.

TITVLVS X.

De officio subdiaconi in Missa solemni celebrante Episcopo in Faldistorio.

1. SVbdiaconus ministraturus Episcopo celebranti in faldistorio ritus præcedenti titulo præscriptos adhibet omnes omnino, mutatis tantum sequentibus.

2. Recedente Episcopo post primam thurificationem Altaris ad faldistorium suum ipse non remanet apud Altare sed sequitur eum ad faldistorium, ibique stans post eum legit suo tempore cum eo *Kyrieeleison*, *Gloria in excelsis*, & *Credo*, & quando sedendum est, sedebit post illum à sinistris Presbyteri Assistentis, & si Episcopus vtatur Gremiali ipse semper tradit & aufert Gremiale, nisi vbi necessitas aliud suadeat.

3. Post

3. Post decantatam Epistolam ipse osculata manu Episcopi, genuflexus tenebit ante illum librum Missalis, ex quo leget Epistolam & alia vsque ad Euangelium inclusiuè.

TITVLVS XI.

De Ministro seruiente ad Baculum pastoralem.

1. QVoties Episcopus vtitur Mitra in sua Diœcesi, & etiam alibi, cum scilicet consecrationes, ordinationes, vel benedictiones auctoritate Apostolica facit, toties debet vti Baculo.

2. Minister de Baculo semper debet esse indutus superpelliceo, & si sit consuetudo, etiam Pluuiali; quando eum tenet manu dextrâ extremitate superpellicei tecta illum sustinet, nullo panno aut velo ab ipso pendente, quia Abbatum est, & aliorum inferiorum gestare baculum cum velo, nudum, cùm opus fuerit, Episcopo offert, cum osculo ipsius & manus Episcopi, parte curua baculi ad populum conuersa. Et si fortè aliquis alba esset indutus conuenit, vt habeat velum pendens de collo eius.

3. In Processionibus, si longiores sint, aut Episcopus SS. Sacramentum, aut sacras Reliquias deferat Minister immediatè ante Episcopum incedens deferet Baculum ambabus manibus superpellicei manicis coopertis à terra eleuatum; si tamen Processio sit breuis, aut nihil in manibus gestet conuenit vt Episcopus eum deferat sinistrâ, dextrâ sua benedicens populum, tunc Minister de eo seruiens sequitur cum alius Episcopum.

4. In

4. In Vesperis Minister de Baculo seruiens tradit Episcopo Baculum *primò* cùm Episcopus paratus accedit ad sedem suam de sacristia, sibi paramenta acceperit, quem ibidem recipit. *Secundò*, cùm procedit ad Altare incensandum; quem recipit ante gradum Altaris, antequam Episcopus Altare ascendat. *Tertiò* Dum absolutâ thurificatione reuertitur ad sedem suam, quem tunc non recipit nisi decantato à choro cantico *Magnificat*. *Quartò* in fine quando Episcopus daturus est benedictionem.

5. In Missa solenni tradit Episcopo baculum *Primò* dum paratus suis paramentis procedere vult ad Altare, quem recipit à sinistris Episcopi postquam Episcopus peruenerit ante Altaris gradum, atque ibidem in plano ipsius cornu Euangelii genuflectit dum fit confessio: atque aliis surgentibus surgit cum ipsis, Baculum sustinebit donec facta sit thurificatio Altaris *Secundò* Postquam Episcopus à Diacono thurificatus fuerit, reddet ipsi Baculum, recipiens eum dum Episcopus venerit ad sedem aut faldistorium suum, quem tunc sustinebit stans loco congruo prope Episcopum donec Diaconus incipiat cantare Euangelium. *Tertiò*. Postquam Diaconus incipit *Dominus vobiscum* pro decantatione Euangelii tradit Baculum Episcopo, quem finito Euangelio stati n recipit *Quartò*. Dicto offertorio, lotisque manibus ab Episcopo, offert eidem rursus baculum, quem recipit dum Episcopus ante infimum Altaris gradū venerit, atq; eundē sustinet stans in latere Euangelii vsque ad dandam benedictionem ab Episcopo. *Quintò* cum in fine Missæ Episcopus incipit producere signum crucis genuflexus in cornu Euangelii ad sinistrum latus Episcopi tradit eidem Baculum pastoralem, atq; ibidem manens genuflexus recipit eundem ibi-

ibidem data benedictione Pontificis. *Sextò*, In fine Missæ dicto Euangelio S. Ioannis aut alio in superiori gradu Altaris reddit Baculum, quem recipit in loco, vbi Episcopus deposituru erit paramenta.

6. Denique vtitur Episcopus Baculo in omnibus actibus pontificalibus, quandò verò tunc minister de eo seruiens traditurus sit ex libro Pontificalis, aut nutu cæremoniarii colliget.

TITVLVS XII.

De Ministro seruiente ad Mitram.

1. MInister seruiens ad mitram, superpelliceo mundo indutus esse debet, & velum oblongum sericeum coloris officio Missæ conuenientis à collo pendens gerere, quo utitur ad mitram sustinendam, ne illam nudis manibus tangat.

2. Cum mitram recipit & sustinet habere debet vittas seu infulas illius versus se, & cùm deponit super Altari, aut Credentia vittæ exteriùs pendeant.

3. Quando illam præbere debet Diacono, aut alteri, qui eam Episcopo imponat, aduertat vt tali modo præbeat, quo illam facilè possit Episcopo imponere, & similiter aduertat modum, quo ab eodem cùm ipsam amouet, eam debeat recipere, & semper ipse adhæreat lateri illius qui eam imponit, aut aufert, ad quod diligenter attendere debet. Tradet autem recipitque tempore Missæ in sequentibus casibus. *Primò* quando Episcopus indutus fuerit casula, quam recipit dum Episcopus peruenerit ante infimum gradum Altaris pro facienda confessione. *Secundò*. Post-

Postquam Episcopus thurificauerit Altare, tradit mitram, recipitque apud sedem Episcopalem aut faldistorium dum lecturus est Introitum. *Tertiò.* Tradit mitram quando Episcopus absoluerit legendo Introitum & *Kyrieeleison*, recipitque dum intonaturus est *Gloria in excelsis*. *Quartò* Tradit mitram simpliciorem dum Episcopus absoluerit legendo Hymnum Angelicum, recipitque Episcopo dicturo *Dominus vobiscum* ante orationem. *Quintò* Præbet mitram decantatis ab Episcopo orationibus, recipitque dum Diaconus incipit cantare Euangelium. *Sexto* Porrigit mitram, lecto ab Episcopo symbolo, recipitque finito à choro symbolo. *Septimò* Tradit mitram lecto per Episcopum offertorio, recipitque ante infimum gradum Altaris ascensurus Altare: *Octauò* Tradit mitram postquam Episcopus thurificauerit Altare, recipitque statim vt terserit manus. *Nonò* Porrigit mitram dum Episcopus in fine missæ dixerit *Placeat tibi &c.* recipitque data ab Episcopo benedictione. *Decimo* Tradit mitram dicto Euangelio S. Ioannis, recipitque apud sedem depositurus paramenta.

4. Mox vt mitram accepit ab aliquo, statim facta Episcopo genuflexione ad locum suum redit, eum tenens ambabus manibus ante pectus eleuatam; sed si breui temporis spatio esset Episcopo imponenda, tunc non petit locum suum, sed paulisper expectat, donec mitra sit imponenda stans à latere illam imposituri, si commodè fieri possit.

5. Locus eius est regulariter quando Episcopus est in Altari à parte Epistolæ, apud sedem verò ad sinistram partem Episcopi, prope eum qui eam impositurus aut ablaturus est; cum Episcopus vadit ex Sacristia ad Altare, ab Altari ad sedem, aut sacristiam, sequitur eum.

6. In

6. In Processionibus illis quando Episcopus mitram habet in capite ipse incedit à siniſtris ministri baculum deferentis. In aliis autem processionibus quando Episcopus non vtitur mitra veluti sacratissimi Sacramenti Processionibus, ipse sequitur immediatè post Episcopum sustinens mitram ambabus manibus.

TITVLVS XIII.

De officio Ministri seruientis ad librum.

1. Minister de libro seruiens superpellicæo indutus curabit, vt signacula in eo rectè suo loco sint disposita, ne cùm aliquid ex eo cantandum seu legendum est, indecenter huc illuc folia vertere cogatur.

2. Quando Episcopus libro vtetur, ipse cum Ministro seruiente de candela facta genuflexione Altari & Episcopo ad ipsum accedens eundem librum apertum ante eius faciem super caput sustinebit ambabus manibus ab inferiori parte libri positis, altiùs vel demissiùs pro commoditate Episcopi, genuflexus quidem cum Episcopus sedebit, vel stans ipso stante, nec tenens librum se mouebit aut genuflecteret, etiamsi Episcopus & alii omnes genuflecterent, cùm instar pulpiti sit.

3. Ad Missam tenebit ante Episcopum librum. 1. Quando Episcopus lecturus est Psalmos præparatorios ante Missam, vsque dum omnibus paramentis pontificalibus indutus fuerit. Deinde recedens cum libro genuflectet prope Credentiam sub Confessione. 2. Dum Episcopus ex Altari reuersus fuerit ad sedem aut faldistoriũ suũ, ibiq; lecturus Introitũ & *Kyrieeleison*, quibus autẽ lectis

lectis recedit cum alio seruiente ad Buciam al locum Credentiæ. 3. Finito vltimo *Kyrie eleison* per chorum tempestiuè cum debitis reuerentiis tradet librum Presbytero Assistenti, qui illum ante Episcopum sustinebit ad *Gloria in excelsis Deo*, & ipse à sinistris Presbyteri assistentis stans adiuuabit Presbyterum in sustentatione illius, cantatisque ab Episcopo quatuor illis verbis, ipse to alirer solus sustentat librum ante Episcopum, donec dictus hymnus Angelicus ab Episcopo lectus & absolutus fuerit, tunc recedit cum libro ad Credentiam. 4. Absoluto à Choro hymno Angelico tradit librum Missalis Presbytero Assistenti, qui eum ante Episcopum sustinet donec omnes orationes ab Episcopo decantatæ fuerint, ijsque finitis recipit librum, & cum eo recedit ad Credentiam. 5. Cantatâ Epistolâ per subdiaconum sustentat librum ante episcopum genuflexus vt ex eo legat Epistolam Graduale, Alleluia & Euangelium, ijsque lectis ab Episcopo redit cum libro ad Credentiam. Si autem Episcopus celebret in Faldistorio subdiaconus tenet librum ante Episcopum dum prædicta leguntur ab Episcopo. 6. Decantato à Diacono Euangelio refert librum ad Episcopum, quem tradit Presbytero Assistenti ad sustentandum ante eum vt Episcopus intonet *Credo*, eoque intonato statim ipse recipit librum tenetque ante eum, donec legendo absoluerit dictum symbolum, eoque absoluto recedit ad Credentiam. 7. Absoluto à choro symbolo accedit Episcopum cum libro, quem sustentat ante eum dum lecturus est offertorium, illoque finito defert librum ad cornu Euangelii, moxque recedit ad credentiam, vbi se adiungit aliis ministris vsque ad finem Missæ. 8. In fine Missæ quando Episcopus exutus fuerit suis paramentis tenet librum ante Episcopum

pum vt ex ipso gratiarum actiones legere possit, quibus absolutis recedit in pace.

TITVLVS XIV.

De officio Thuriferarii celebrante Episcopo.

1. IPse debet aliquantò robustior esse cæteris, quo pondus thuribuli & nauicula sustentare possit, illaque deferre debet vt in eius officio communi suprà dictum est.

2. Aduertat autem quodsi celebret Episcopus in propria Ecclesia, ministretur incensum in sede, si in aliena, in faldistorio semper tradit Nauiculam thuris Presbytero assistenti, si Episcopus sit in sede, Diacono verò si in faldistorio, aut ad Altare in Missa.

3. Ad vesperas initio Cantici *Magnificat* ministratur in sede. In Processionibus antequam procedatur etiam in sede.

4. In missa solemni, nisi celebretur pro defunctis, quater adhibetur incensum *Primò* statim post factam Confessionem ab Episcopo. *Secundò* circa finem Alleluia, sequentiæ aut Tractus accedit & præbet Nauiculam, & thuribulum ad imponendum thus ab Episcopo, eoque impositò reuersus ad Altare exspectat ibi cum aliis donec tempus sit eundi ad cantandum Euangelium, & tunc procedat cum illis ante Ceroferarios ad Episcopum, ante quem genuflectet, donec Diaconus acceperit benedictionem, & mox eodem ordine progredietur ad locum Euangelii, vbi se gerit vt in officio communi ipsius præscriptum est, finitoque Euangelio cum aliis reuersus ad Episcopum porriget ibidem thuribulum. *Tertiò* post oblationem panis & vini etiam

iam in Missis defunctorum' ministrabit nauiculam & thuribulum ordine & modis suprà positis. *Quartò* ad eleuationem SS Sacramenti.

TITVLVS XV.

De officio Acolythorum celebrante Episcopo.

1. HI duo Ministri Ceroferarii induti esse debent superpelliceis mundis, & dum Episcopus suis induendus est paramentis, ea deferunt suo ordine cum debitis reuerentiis ad Episcopum.

2. Deinde manent apud Credentiam, donec incipiendum sit Euangelium, tunc enim antequam vadant ad locum Euangelii, accedunt ad Episcopum cum candelabris & cereis & ante illum genuflectunt donec dederit Diacono benedictionem deinde surgentes accedunt ad locum Euangelii vbi collocant se hinc inde à lateribus subdiaconi tenentis librum Euangeliorum, & cùm alii se signant, inclinant aut genuflectunt sub Euangelio, ipsi cum subdiacono perstant velut immobiles. Finitoque Euangelio, cum debitis reuerentiis eodem ordine reuertentes, reponunt candelabra super credentia.

3. Circa offertorium adiuuant subdiaconum apud Credentiam in extendendo velo circa humeros illius. Eundemque subdiaconum Calicem ad Altare portantem vnus sequens portabit vrceolos vini & aquæ super peluicula pariter dispositos, eisque in cornu Epistolæ opportunè subministratis eos reportat ad Credentiam.

4. Finit-

4. Finita Præfatione funalia seu intortitia accensa afferent, & factis debitis reuerentiis genuflectent hinc inde à lateribus subdiaconi tenentis patenam, & post eleuationem Calicis cum aliis surgentes factis debitis reuerentiis discedent & funalia extinguent, nisi aliqui sint communicandi, quo casu, prout etiam in diebus ieiuniorum, & in missis pro defunctis cum illis accensis genuflexi manebunt vsque ad peractam communionem.

5. Finita Missa resumentes candelabra cum cereis de Credentia præmissis debitis reuerentiis redeunt prout venerant, depositisque candelabris adiuuant in reponendis paramentis pontificalibus.

6. In vesperis quando Episcopus paramentis indutus procedit è sacristia, aut alio loco ad sedem suam præferunt candelabra cum cereis accensis, & cum peruenerint ad Altare, ibi consistentes hinc inde à lateribus eorum, factis cum illis debitis reuerentiis, statim discedunt, ad latera Altaris, vbi super gradu vel plano inferiori deponunt candelabra extinctis cereis.

7. Dum cantatur Antiphona ante *Magnificat* accedentes ad Altare cum debitis reuerentiis eleuabunt hinc inde anteriorem partem superioris tobaleæ seu velo super Altari positi, illam conduplicando vsque ad medium, & thurificato Altari reducent prout erat super Altari.

8. Dum repetitur Antiphona post *Magnificat* accensis priùs cereis deferent candelabra ad Episcopum & tenebunt ante illum hinc inde facies ad inuicem versis, donec absoluta fuerit Oratio & repetitum *Dominus vobiscum*, tunc enim factis genuflectionibus Episcopo redeunt

ad

ad Altare, vbi in suo loco reponunt candelabra sua.

9. Postremò iuuant in reponendis paramentis pontificalibus more solito.

TITVLVS XVI.

De Ministro ad candelam seruiente.

1. AColythus candelam accensam deferens dextra, ex instrumento quod Bucia dicitur, superpelliceo indutus desse debet cum socio suo de libro seruiente, & cum eo pari disciplina procedet.

2. Dum Episcopus legit Psalmos *Quam dilecta &c.* orationes ad paramenta, Introitum Missæ, *Gloria in excelsis* Orationem, Epistolam cum Graduali; symbolum, Offertorium, aliaque in Missa semper lumen ministrabit, & regulariter cum socio suo ad librum seruiente à dextris Episcopi, etiamsi aer sit lucidus & Episcopus lumine non egeat ad legendum. Cùm verò Episcopus est ad Altare, Minister de libro ad illud accedere non debet, cùm eo opus non sit, sed sufficit ille de candela.

3. Ad Vesperas cùm Episcopus intonabit primam Antiphonam, Hymnum, Antiphonam ad *Magnificat* & cantabit orationem, candelam etiam sustinere debet à dextris Episcopi.

4. Quando Episcopus de sua sede ad Altare procedit aut ad faldistorium descendit, semper eum sequitur cum ministro de libro, si opus est, & quando redit, eum sequuntur, hoc est initio Missæ, & post offertorium, non verò quando ad Vesperas thurificaturus est Altare.

5. Quando Episcopus priuatim celebrat, ipse qui

qui de libro inseruit lumen ministrare debet, cum opus est, nimirum dum Episcopus aliquid ex libro legit. Alter ampullas ministrabit & Calicem aptabit, eum cooperiendo & discooperiendo. Ambo ministrabunt ad lotionem manuum, mantile hinc inde sustinendo, & etiam ministrabunt cum Episcopis sacris induitur vel exuitur vestibus.

TITVLVS XVII.

De officio scutiferorum seu familiarium Episcopi.

1. SCutiferi induti decenti habitu clericali, sine superpelliceis, non autem calcaribus & armis regulariter stare debent ad Credentiam nudo capite, facie ad Episcopum conuersa, nec inde discedunt, nisi quando Episcopum exuunt & calceant communibus indumentis & calcezamentis. Ad minus duo, & ad summum quatuor assistere debent, & seruiunt ad lotionem manuum Episcopi incipiendo à iunioribus, vnusquisque per ordinem vice sua. Quater enim Episcopus in Missa solemni lauat manus, *Primò*, sedens antequam capiat paramenta, deposita cappa seu Mantiletto tecto capite. *Secundò* post offertorium in sua sede cum mitra sedens. *Tertiò* post incensationem oblatorum ad Altare cum mitra. *Quartò* post factam communionem & sumptam ablutionem digitorum stando & cum mitra. *Carem. Episc. lib. 1. c. 11.*

2. Scutiferi eundo & redeundo pro ministranda aqua semper genuflectunt vsque ad terram ante Altare, sicut etiam ante Episcopum, & aduertere debent ne aquam lotionis in terram

proijciant, sed in pelui prope Credentiam ad hoc præparata effundant.

3. Curam habere debent discalceandi Episcopum calceis communibus ante Missam, & eum calceandi post eam & calceamenta in loco congruo seruare debent.

TITVLVS XVIII.

De Vesperis solemnibus per Episcopum in crastinum celebraturum solenniter habendis.

1. CVm sacræ solennitates regulariter à primis Vesperis initium sumant, à Vesperis incipimus cæremonias Episcopum concernentes. Si ergo sequenti die sit celebraturus Episcopus, Vesperæ solennius celebrandæ, quàm si non esset celebraturus. Quod præcipue his vigiliis observari solet, videlicet Natiuitatis D.N. Christi, Epiphaniæ, Ascensionis, Pentecostes, SS. Apostolorum Petri & Pauli, Assumptionis B. M.V. omnium Sanctorum, sancti Patroni Ecclesiæ & Ciuitatis.

2. Secundæ Vesperæ poterunt etiam per Episcopum eadem solennitate celebrari, saltem in Dominica Resurrectionis, in die Natiuitatis Domini, ac in festo S. Patroni Ecclesiæ.

3. Altare summum festiuo cultu ornandum & paranda duo scabella nuda, sed picta hinc inde à lateribus sedis Episcopi pro duobus Diaconis ibidem sessuris & aliud pro Presbytero assistente &c.

4. Postquam Episcopus hora statuta accesserit ad Ecclesiam ibique de more orauerit ante SS Sacramentum, & maius Altare, surgit & ascendit sedem suam in qua paulisper sedet, tum surgens à pulpita capa capiet sacra paramenta

ordine sumpta ex Altari ab Acolythis & ministris, qui ea acceperunt à Cæremoniario stante ad Altare, primò Amictum, cuius osculatur Crucem, deinde Albam, Cingulum, Crucem pectoralem & stolam quas osculatur, posteà pluviale cum pectorali in coniunctura illius & sedens Mitram prætiosam, ac annulum, quibus paramentis induitur per Diaconos assistentes paratos amictibus superpelliceis & Dalmaticis. Presbyter autem assistens præbet annulum cum debitis osculis. Interim dum hæc fiunt pulsatur organum.

5. Cùm Episcopus sic paratus paululum sederit & alii cum eo surgit depositâ mitra, surgentibus omnibus & versus Altare dicit secretò *Pater noster* & *Ave Maria* integrè, mox sinistra infra pectus posita, dextra se signat cantans intelligibili voce *Deus in adiutorium*, tangens ad vnumquodque verbum frontem, pectus, humerum sinistrum, & dextrum, deinde iungens manus: Ad versum *Gloria Patri &c.* Episcopus & omnes alii inclinant se Cruci Altaris vsque ad versum *sicut erat &c.* exclusiuè.

6. Interim Cæremoniarius ducit illum ad quem spectat de more intonare Antiphonas ante Episcopum, cui dicto à Choro *Alleluia*, vel *Laus tibi Domine &c.* præintonat ei primam Antiphonam, non inde discedens, donec per Episcopum præintonatio repetita fuerit ex libro sustentato per Presbyterum assistentem ante eum. Antiphona præintonata Episcopus perstat donec inchoatus sit psalmus & tunc sedit sumpta mitra leuiori, & omnes pariter sedent.

7. Psalmi decantari debent à Choro, & ab ipsismet Canonicis, aliisque de Capitulo in cantu Gregoriano cum grauitate & decoro, ita vt eo ũ verba ab omnibus audiantur. Ad versus *Gloria*

Patri, Epiſcopus cum mitra, & alii nudo capite ſe inclinant prout reperiuntur.

8. Reliquæ Antiphonæ eodem modo per eundem deputatum præintonari debent hoc ordine; ſecunda primo Diacono; tertia Presbytero Aſſiſtenti, quarta digniori Canonicorum in choro, quinta ſecundo Diacono aſſiſtenti à ſiniſtris Epiſcopi.

9. Expletâ Pſalmorum & Antiphonarum decantatione ducitur per Cæremoniarium is cui ex conſuetudine Eccleſiæ capitulum cantare conuenit in habitu ſuo ordinario in quo reperitur ad locum vbi cantari ſolet Epiſtola in Miſſa, qui tenens ſibimet librum cantabit Capitulum ad quod Epiſcopus cum mitra & reliqui omnes nudo capite ſurgunt, & reſponſo per chorum *Deo gratias*, alius præintonat Epiſcopo ſtanti cum mitra Hymnum, & Epiſcopus ſtatim poſt præintonationem, depoſita mitra repetit, quem Chorus proſequitur.

10. Si fuerint Hymni *Veni creator ſpiritus*, aut *Aue maris ſtella* omnibus genuflectentibus ipſe quoque ſtatim poſt intonationem genuflectit in loco ſuo ſuper puluino aut genuflexorio, & finito primo verſu ſurgit, & ſtat ſine mitra quouſque perficiatur Hymnus cum ſuo verſiculo & Reſponſorio atque intonauerit Antiphonam ad *Magnificat* ſibi præintonatam, tum ſedens accipit mitram, imponit thus in thuribulum allatum per thuribulum, Presbytero Aſſiſtente cochleare & nauiculam porrigente.

11. Interim duo Acolythi præcedunt ad Altare eleuantes hinc inde anteriorem partem ſuperioris tobaleæ, ſeu veli ſuper Altare poſiti, illamque conduplicant vſque ad medium.

12. Dum chorus incipit canticum *Magnificat* ſurgit Epiſcopus cum mitra & facto ſibi ſigno

crucis

cruces à fronte ad pectus, acceptoque sinistra manu baculo, medius inter Diaconos assistentes pergit ad Altare, eumque sequuntur Presbyter assistens & ministri de Baculo & mitra. Ante infimum gradum Altaris depositis baculo & mitra Cruci facit reuerentiam, ascendit ad Altaris medium, eoque osculato capit de manibus Presbyteri Assistentis thuribulum thurificat Altare vt in initio Missæ nihil dicens.

13. Thurificato Altari, Episcopus reddit thuribulum Presbytero Assistenti, recipit mitram, & facta Cruci reuerentia in medio Altaris, receptoque baculo redit ad sedem suam, vbi stans thurificatur ab eodem Presbytero, nullam ei exhibens reuerentiam, sed post thurificationem faciens signum Crucis super eum, & deposita tunc mitra permanet stans cum baculo vsque ad finem Cantici inclinans se ad versum *Gloria Patri* interim is qui Antiphonas præintonauit, thurificat primò Presbyterum assistentem, deinde Diaconos Assistentes, mox Canonicos & alios.

14. Finito Cantico *Magnificat* Episcopus deponit baculum & sedens recipit mitram. Interim Cæremoniarius ducit duos Ceroferarios cum candelabris & cereis accensis ad Episcopum, stantes ante eum hinc inde versa ad eum facie. Episcopus verò finitâ antiphona, deposita mitra surgit, & stans versus Altare ex libro per Assistentem sustentato cantat *Dominus vobiscum* & orationem, vel plures si sint dicendæ, iisque finitis Cæremoniarius cum Ceroferariis redit ad Altare, vbi in suo loco reponunt candelabra.

15. Denique responso. *Deo gratias* per chorum aut organum Episcopus mitra reassumpta stans in sua sede, si inde à populo commodè videri potest, sin minus, sumpto baculo accedit ad Altare & facta ibidem profunda reuerentia cum mitra dat benedictionem solennem. Aa 3 16. Dat

16. Data benedictione ab Episcopo, factaque reuerentia ad Altare & resumpto baculo, redit ad sedem suam, si est ad Altare, vel ad faldistorium, vbi adiuuantibus Diaconis assistentibus exuitur suis paramentis, facta breui oratione ab Episcopo super genuflexorio ante Altare, Canonici comitantur eum saltem extra portam Ecclesiæ, organo interim hilari modulatione continuò personante.

17. Si Episcopus Missam non celebrabit sequenti die, aut eodem die non celebrauerit, non in sua sede, sed in Sacristia, aut alio ad id præparato loco induetur, ibique omnibus paramentis prout suprà indutus ministrante Thuriferario thuribulum & Presbytero assistente cochlear & nauiculam thuris, imponet ac benedicet thus. Deinde surgens facta reuerentia Cruci ibi super Altari existenti, procedit cum baculo pastorali in manu sinistra, parte curua baculi ad populum versa ac dexterà benedicens medius inter Diaconos assistentes præcedente Presbytero assistente cum aliis Canonicis & duobus Ceroferariis, ac inter eos aliquo Crucem portante, & ante omnes Thuriferario, subsequentibus verò cum aliis suis ministris seu Capellanis, & cum peruenerit ante Altare depositò ibi baculo cum mitra caput illi profundè inclinat & genuflexus super puluino, deposita mitra paululum orat, aliis præter Assistentes, Cæremoniarium & ministros de baculo & mitra seruientes, statim recedentibus ad loca sua; mox surgens, recepta mitra & baculo facit Altari reuerentiam caput inclinando, & ducente Cæremoniario accedit eum assistentibus ad sedem suam; ibique reddito baculo paululum sedet & pergit in Vesperis vt aliàs.

TIT. V.

TITVLVS XIX.

De Completorio.

1. SI Episcopus Completorio interesse, & officium facere voluerit, erit cum Cappa in choro in loco seu stallo digniori, panno aliquo, vel tapete cum puluinaribus parato.

2. Officium verò ipsius erit circa hæc videlicet vt dicente Cantore *Iube Domne benedicere*, ipse stans respondeat *Noctem quietam &c.* & post lectionem breuem *Adiutorium nostrum &c.* Deinde *Pater noster*, tum Confessionem & Absolutionem, & alia vsque ad *Deus in adiutorium &c.* inclusiuè, & inchoato Psalmo sedebit.

3. Cætera omnia dicentur per Chorum & Hebdomadarium vsque ad orationem, quam ipse Episcopus cantabit & dabit benedictionem dicens *Benedicat & custodiat &c.*

4. Cum verò Episcopus præsens erit, & non faciat officium, omnia prædicta per Hebdomodarium in loco suo fient habitu Canonicali suo ordinario indutum, obseruatis tamen reuerentiis debitis versus Episcopum. Nam ipse Hebdomodarius ad versum *Indulgentiam* in principio, & ad Versiculum *Benedicat vos &c.* in fine, inclinabit se profundè versus Episcopum antequam ea proferet.

TITVLVS XX.

De matutinis præsente Episcopo.

1. IN matutinis, quando Episcopo placuerit officium facere, hora competenti associa-

tus à Canonicis venit ad Ecclesiam & factis orationibus ante sacramentum & altare maius, accedat ad chorum in loco suo ornato; vt supra, vbi sedebit aliquantulum, cucullo cappæ supra reducto, vel etiam cum bireto, prout magis placebit, aptatis in gyrum fimbriis cappæ per aliquem sacellanum vel Cæremoniarium, qui regulariter ipsi adesse debet, nulli autem Diacono, nec Presbyter assistens ipsi adsunt.

2. Post modicam moram Episcopus surget, surgentibus omnibus & stans nudo capite dicit secretò versus Altare *Pater noster*, (*Aue Maria* & *Credo* integrè; quibus completis signans pollice dextræ manus labia paruo signo crucis, altiori voce cantat *Domine labia mea &c.* deinde *Deus in adiutorium &c.* ad quod signat se à fronte ad pectus prout in Vesperis & sic permanet stans donec per chorum cantatum fuerit Inuitatorium cum psalmo *Venite exultemus*, genuflectens tamen ad verba *Et procidamus ante Deum* ac Hymnus, quem ipse decenter aliquo præintonante incipiet, si erit celebraturus, aliàs non.

3. Incepto primo Psalmo, sedebit, ac omnes de choro & alii ministri sedebunt. Psalmi cantabuntur à choro cantu plano & clara voce, ad versiculum *Gloria Patri* omnes se inclinabunt, vt ad Vesperas.

4. Antiphonæ per eum, cui ex consuetudine Ecclesiæ competit, præintonabuntur Canonicis, incipiendo à dignioribus gradatim. Lectiones autem octo à totidem Canonicis, incipiendo à iunioribus apud legile nudum in medio chori positum, recitabuntur, quarum septimam, & octauam, ii qui futuri sunt assistentes à lateribus Episcopi in Missa cantabunt, nona verò & vltima lectio dicetur ab ipsomet Episcopo stante.

5. Fini-

5. Finitis tribus Psalmis primi nocturni, cum cantatur versiculus ducitur per Cæremoniarium cum debitis reuerentiis iunior Canonicorum, qui est cantaturus primam lectionem ad legile in medio chori præparatum, & sic stans expectat donec Episcopus stans nudo capite inceperit alta voce *Pater noster &c.* & illud secretò perfecerit vsque ad versiculum *Et ne nos &c.* & successiuè cantauerit absolutionem *Exaudi Domine &c.* cui responso per chorum *Amen* ipse Canonicus stans apud legile, inclinat se profundè versus Episcopum, & intelligibili voce petit ab eo benedictionem dicens *Iube Domne benedicere*, & non *Domine* ad quem sic inclinatum permanentem Episcopus conuersus benedicens respondet stando, *Benedictionè perpetua* & responso à choro *Amen* Episcopus sedet cooperto capite, aptatis in gyrum fimbriis cappæ & pariter omnes sedent.

6. Canonicus verò incipit & prosequitur suam lectionem altiori voce distinctè, & modestè, in tono competenti. Qua finita, cum dicit *Tu autem Domine*, genuflectit solus versus Altare. Tum surgens, facta profunda reuerentiâ Episcopo, qui versus eum facit signum Crucis redit ad locum suum non osculando manum Episcopi. Sed si fortè non essent Canonici qui cantarent, osculatentur manum Episcopi & ab eo postea benedicerentur sicut Canonici & genuflecterent altari.

7. Idem per omnia facit secundus, ac tertius Canonicus & alii in secundo & tertio Nocturno cantaturi lectiones & idem obseruatur per Episcopum quoad absolutiones & benedictiones, & alia quæ occurrunt, dum psalmi, & lectiones cantantur quod in primo Nocturno seruatum

fuit, hoc tantùm excepto, quod ad primam, quartam & septimam benedictiones Episcopus stat, prout stetit cantans absolutiones, ad alias verò sedet.

8. Cùm cantatur per Canonicum textus Euangelii pro septima lectione, Episcopus & omnes alii stant nudo capite, donec dicatur per dictum Canonicum *Et reliqua* & inceptà Homilia, sedent. Ipse autem Canonicus non debet recitando textum Euangelii librum, nec seipsum signare, nec manus iunctas tenere, sed super libro prout in aliis lectionibus. Ad octauam benedictionem Episcopus sedens benedicit vt suprà.

9. Nonam lectionem Episcopus stans nudo capite cantat versa facie ad Altare, ad quem accedunt duo Diaconi in habitu chorali, & duo ministri de candela & libro, Episcopus verò, si non aderit in Choro maior se, stans vt suprà, dicit cantando versus *Altare Iube Domine benedicere* & non *Domne*, cui absolutè per Chorum respondetur *Amen*. Et dum Episcopus suam cantat lectionem, omnes pro eius reuerentia stant nudo capite. Qua finita Episcopus profundè se inclinans versus *Altare* dicit *Tu autem Domine &c.* & responso per Chorum *Deogratias*, accedit cum debitis reuerentiis præintonator ante Episcopum, & præintonat ei *Te Deum*. Quo repetito per Episcopum memoriter, vel ex libro prout placuerit, Chorus illud prosequitur cui & Organum intermisceri poterit, dummodo Versiculus *Te ergo quæsumus &c.* exprimatur voce clara.

Qui Versiculus dum cantatur, Episcopus, & omnes alii genuflectunt, in locis suis.

TITV

TITVLVS XXI.

De Laudibus, Episcopo celebrante.

1. EXpleto Hymno *Te Deum &c.* si Episcopus in Matutinis peregit officium, congruum erit, vt etiam Laudes celebret, in quibus omnia ferè seruari conueniet, quæ supradicta sunt de Vesperis solemniter per Episcopum celebrandis, ipso in crastinum Missam non celebraturo. Nam statim finito Hymno, Episcopus in sua sede Episcopali, capiet pluuiale, & mitram, & omnia paramenta prout in dictis Vesperis prædictum est, & cum eo quatuor aut sex Canonici ex dignitatibus; & ex dignioribus capient pariter pluuialia, alii verò Canonici non parantur.

2. Omnibus paratis, Episcopus inchoabit Laudes absolutè cantando *Deus in adiutorium*, signans se vt ad Vesperas. Antiphonæ præintonabuntur dignioribus iisdem Canonicis, quas etiam eodem modo repetent vt ad Vesperas. Episcopus etiam primam præintonabit; eademque seruabuntur in sessione, surrectione & reuerentiis, dum Psalmi & Antiphonæ decantantur, quæ ibidem dicta sunt. Sic etiam quoad Capitulum & Hymnum.

3. Et cum inchoatur Canticum *Benedictus*, Episcopus posito prius thure in thuribulum, surget cum mitra & baculo associatus à prædictis Canonicis paratis, & thurificabit Altare, &

deinde thurificabitur ipse apud sedem suam stans cum mitra, à digniori ex dictis Canonicis paratis.

4. Organum quoque ad Hymnum & ad Canticum *Benedictus &c.* & in fine Psalmorum poterit adhiberi.

5. ¶Dum repetitur Antiphona per chorum post finem Cantici, Cæremoniariis cum Ceroferariis accedit ante Episcopum, qui cantabit *Dominus vobiscum, Oremus*, & Orationem, seu plures & mox dabit benedictionem prout in vesperis.

TITVLVS XXII.

De Missa solemni Episcopo proprio celebrante.

1. VAlde consonum est antiquæ disciplinæ Ecclesiasticæ, vt in Ecclesiis cathedralibus in quibus Episcopi frequenter celebrant, sacrarium deputetur ornamentis Episcopalibus pulchrè instructum, ad quod Episcopus solemniter celebraturus Missam, postquam sua cappa indutus, ingressus fuerit Ecclesiam, sacrasque preces ad Altare sanctissimi sacramenti tantùm, & non ad Altare maius effuderit, cum suis Canonicis & choro conueniat.

2. In eum locum ingressus Episcopus, factaque reuerentia Cruci super altari prædicto existenti, siue aliis precibus sedebit aliquantulum super dicta sede, donec Canonici extra hunc locum capiant sua paramenta (vel ibidem, si aliter fieri non potest) remanentibus interim apud eum duobus Diaconis assistentibus hinc inde à lateribus eius, & Presbytero assistente cum habitu eorum Canonicali, qui & posteà accipient paramenta sua, Interim etiam parantur Diaconus Euangelii & subdiaconus.

3. Ca-

3. Canonicis omnibus paramentis indutis, atque in eundem locum ingressis cum debitis reuerentiis Altari & Episcopo, ac apud eorum sedilia stantibus, Episcopus surget, & stans nudo capite versus Altare, dicet secretò totum *Pater noster* & *Aue Maria*, tum signans se, altiori voce cantabit *Deus in adiutorium &c.* choro prosequente *Domine ad adiuuandum &c.* quo dicto Cantores & non Episcopus cantant Hymnum *Nunc sancte nobis Spiritus* cui organum intermisceri poterit.

4. Quo Hymno finito Cantor aliquis Antiphonam intonat, atque inchoato Psalmo *Legem pone &c.* Episcopus sedebit, sedentibus etiam Canonicis his, qui Episcopo ministraturi sunt. Chorus autem prosequitur Tertiam.

5. Tunc minister de libro seruiens superpelliceo indutus, vnà cum alio Candelam accensam tenente accedent cum libro ante Episcopum, qui poterunt esse aliqui ex suis Capellanis, atque Episcopus sedens legit Antiphonam *Nereminiscaris &c.* & Psalmos consuetos duobus Diaconis assistentibus & Presbytero assistente stantibus in habitu Canonicali alternatim respondentibus.

6. Interim subdiaconus cantaturus Epistolam, qui simul cum Diacono cantaturo Euangelium & aliis Canonicis de choro erat iam paramentis subdiaconalibus indutus dempto manipulo, afferet de loco vbi sunt, sandalia & caligas, illaque duobus scutiferis adiuuantibus genuflexus induit primò in dextro, deinde in sinistro pede Episcopi, detractis priùs ordinariis calceis à scutiferis qui eos aliquo loco congruo & occulto deponunt.

7. Quibus expeditis, subdiaconus facta profunda reuerentia Episcopo recedit ad Diaconum

stantem in loco suo, & scutifero facta genuflexione redeunt ad loca sua. Episcopo verò prosequente lectionem Psalmorum, quibus dictis cum Antiphona surgit, dat biretum secundo Diacono & versus Altare manibus iunctis & nudo capite dicit *Kyrieeleison*, Preces & Orationes.

8. Lectis Psalmis & orationibus, vsque ad illam quæ pro lotione manuum dicitur exclusiuè. Episcopus deposita cappa incipit legere, vel memoriter dicere orationes quæ pro paramentis induendis ordinatæ sunt dicendo ad singula paramenta singulas orationes, exceptâ oratione quæ ad manipulum dicitur quæ statim post alias dicenda erit, cum non possit eo tempore dici quo Episcopus capit manipulum.

9. Cum Episcopus exuet cappam dicet orationem *Exue me &c.* quam Capellanus deponet in aliquo congruo & occulto loco, deinde extractis annulis, si quos habet per Diaconus Assistentes aut Presbyterum Assistentem, sedens lauat manus dicendo orationem *Da Domine virtutem &c.*

10. Lotis manibus Acolythi modestè & decenter afferunt ambabus manibus ex Altari paramenta Episcopi, quæ eis per Cæremoniarium traduntur per ordinem efficientes quasi vnam longam rectam lineam, vnus post alium quibus induitur Episcopus per Diaconum à dextris & subdiaconum à sinistris paratos, sed principaliter Diaconus omnia operatur, subdiaconus verò solummodo coadiuuat quando opus est, induunt autem Episcopum Amictu, Alba, Cingulo, Cruce pectorali, stola, pluuiali & mitrâ.

11. Episcopo sic parato recedunt cum debitis reuerentiis Diaconus & subdiaconus, & si plas-

mâ

mi Tertiæ nedum sint completi, sedet Episcopus donec compleantur.

12. Dum repetitur Antiphona post Psalmos à Choro, subdiaconus cantabit Capitulum eodem ritu & iisdem reuerentiis quibus Epistolam, in loco, vbi legi solet Epistola. Tunc Episcopus surgit cum mitra surgentibus omnibus versa facie ad cantantem Capitulum, & sic stat donec Cantores cantant Responsorium vltimi Versiculi post orationem.

13. Finito Capitulo subdiaconus reddit librum Cæremoniario & factis reuerentiis tam Episcopo quàm Altari redit ad locum suum. Interim duo Acolythi comite Cæremoniario, sumptis duobus candelabris cum cereis accensis accedunt ante Episcopum, Presbyter verò Assistens tenebit librum. Episcopus verò finito Responsorio deposita mitra cantat in tono festiuo *Dominus vobiscum* & orationem: & dicto per Chorum *Benedicamus Domino* ipse Episcopus deposito Pluuiali à Diacono & subdiacono induitur Tunicella & Dalmatica ipso Episcopo stante. Tum sedet & imponuntur ei Chirotecæ per eosdem. Mox surgit Episcopus & induitur ab iisdem Planeta & si Episcopus vti possit pallio, & eo die vti conueniat affertur ex Altari per Subdiaconum ita vt partem duplicem ipsius sinistra teneat, velo aliquo supposito, quod Diaconus capiens Episcopo offert osculandum in Cruce posteriori: & aduertat, dum illud capit, vt partem duplicem pallii capiat dextrâ manu quam subdiaconus tenet sinistra, simplicem vero sinistra & dum illud imponit, subdiaconus dextra eleuat partem quæ à tergo pendere solet, illudque aptant vt humeros Episcopi ambiat & pars duplex pallii ponatur super sinistro humero

Episco-

Episcopi. Quo facto idem Diaconus capit vnam ex tribus spinulis eamque infigit Cruci anteriori ante pectus existenti, aliam in cruce sinistri humeri, tertiam subdiaconus infigit Cruci posteriori. Tum sedenti imponitur mitra pretiosa.

14. Episcopo omnibus paramentis sacris induto accedunt ad eum Diaconi assistentes parati Dalmaticis & accedente Thuriferario cum thuribulo & Nauicula & ministrante Presbytero Assistente Nauiculam more solito imponit & benedicit thus. Deinde Episcopus cum ministris facta reuerentia Cruci super Altare in dicto Altari existenti processionali ritu procedit ad Altare in quo Missa celebranda est hoc ordine. Præcedit Thuriferarius cum thuribulo, tum Ceroferarii cum candelis accensis & si est celebrans Archiepiscopus subdiaconus alius portans Crucem hos sequuntur Canonici bini & bini, & post illos subdiaconus cantaturus Epistolam portans clausum ambabus manibus librum Euangeliorum, tum Diaconus ad sinistram Presbyteri Assistentis Pluuiali induti, Denique Episcopus cum Baculo pastorali in manu sinistra cuius pars curua populum respiciat ac dextra benedicens medius inter Diaconos assistentes paratos. Post Episcopum sequuntur Capellani do baculo, mitra, libro, & alii bini & bini.

15. Si autem Episcopus sumpsit paramenta in Presbyterio ad sedem vel ad faldistorium non fit huiusmodi processio, sed procedit Episcopus sine Cruce, candelabris, & Thuriferario ad Altare sed cum solis ministris paratis.

16. Cùm Episcopus fuerit prope Altare, salutat exigua capitis inclinatione Canonicos iam apud sedilia stantes & paratos, & ipsi Canonici faciunt ei profundam reuerentiam. Si verò ad-

sit

set Legatus, Cardinalis, aut Archiepiscopus, aut Princeps magnus illos prius debet Episcopus cum mitra salutare, & illi Episcopo aliquantulum assurgentes nudo capite respondere.

17. Episcopus autem habens à dextris Presbyterum assistentem, & à sinistris Diaconum & apud eum subdiaconum cum eis facit Confessionem, chorus interea incipit Introitum.

18. Cum Episcopus dicit *Indulgentiam absolutionem &c* subdiaconus capit manipulum, illumque imponit sinistro Episcopi brachio cum osculis manus.

19. Finita Confessione & dicto *Oremus* celebrãs Episcopus ascendit ad Altare dicens *Auser à nobis &c.* vt in Missali & ad Altare inclinatus dicit de more *Oramus te Domine &c.* & osculatur Altare deinde ambabus manibus librum tangens sibi à subdiacono à sinistris stante oblatum in folio Euangelii currentis illum osculatur in principio Euangelii.

20. Tum accedit Thuriferarius cum thuribulo & nauicula, quam Diacono porrigit & ille Episcopo, qui stans sine mitra imponit & benedicit thus sine mitra, & sumpto thuribulo de manu Diaconi thurificat Altare more solito.

21. Absolutâ Altaris thurificatione reddit thuribulum Diacono in cornu Epistolæ, & imposita sibi mitra prætiosa incensatur à Diacono Euangelii triplici ductu. Tum cum mitra recta descendit ad nudum plani Presbyterii, vbi Cruci in medio Altaris existenti facta reuerentia accipit baculum & inde medius inter Diaconos vãdit ad sedem suam.

22. Episcopus verò stans in sede sua deposita mitra & facto sibi signo Crucis versus Altare, legit Introitum ex libro, quem sustinet Capellanus de eo seruiens, altero Candelam tenente accensam.

sam. Assistentes verò hinc inde ostendunt digito quæ sunt legenda, & vertunt folia. Deinde dicit cum suis ministris alternatim respondentibus *Kyrieeleison*.

23. Quo facto sedet Episcopus & primus Diaconus imponit illi mitram prætiosam. Interim Acolythus seruiens ad gremiale, illo sumpto de Abaco tradit illud secundo Diacono, qui illud super genua Episcopi sedentis extendit & pariter omnes sedent.

24. Cantato à Choro vltimo *Kyrieeleison*, surgunt omnes ministri, & auferitur Episcopo adhuc sedenti per Diaconum à sinistris Gremiale per Diaconum verò à dextris mitra, quæ traduntur ministris de iis seruientibus, deinde surgit Episcopus & allato ante eum libro & candela cantat de more *Gloria in excelsis Deo* extendens, eleuans & iterum iungens manus, & ad verbum *Deo* caput inclinans, quod prosequitur submissa voce cum ministris suis simul & non alternatim, in cuius fine Episcopus sedet & accipit mitram simplicem & Gremiale & similiter sedent omnes donec per Chorum perficiatur Hymnus. Quo finito surgunt omnes & depositis per Episcopum Gremiali & mitra surgit ipse & stans versus populum, eleuatis & statim iunctis manibus cantat *Pax vobis*, deinde conuersus ad Altare, extensis & statim iunctis manibus oremus & orationem. Qua dicta, nisi plures sint dicendæ, sedet cum mitra & gremiali vt suprà.

25. Circa finem orationis vltimæ, subdiaconus accipiens librum à Cæremoniario, factis debitis reuerentiis Altari & Episcopo comite Cæremoniario vadit ad latus Epistolæ, vbi ab ipsi tenens librum cantat Epistolam alta voce.

voce. Qua finita & factis debitis reuerentiis portat eodem modo quo supra librum clausum ad Episcopum, quem inclinatus porrigit illi super eius genibus & manum dextram illius super libro positam reuerenter osculatur, & habito signo Crucis ab Episcopo, redit ad locum suum.

26. Interim accedunt duo Ministri de libro & Candela ante Episcopum, qui sedens ex eodem libro legit Epistolam & alia vsque ad finem Euangelii, & legens titulum Euangelii, signat pollice dextro textum Euangelii, tum seipsum in fronte, ore & pectore, mox iunctis manibus prosequitur Euangelium; quo finito assistentes respondent ei *Laus tibi Christe.*

27. Cum cantatur vltimus versus *Alleluia*, Tractus aut sequentiæ Diaconus sumpto libro Euangeliorum factaque reuerentia Episcopo illum clausum ad Altare defert, quem medio Altaris imponit & facta reuerentia Altari accedit Episcopum cui Episcopus ante se inclinato offert manum dextram exterius osculandam: tum ipse reuersus ad Altare genuflexus super infimum gradum dicit secretò *Munda cor meum &c.* Interim accedit Thuriferarius comite Cæremoniario cum thuribulo & nauicula & ministrante illam Presbytero assistente Episcopus imponit & benedicit incensum. quo benedicto Thuriferarius recepta nauicula redit cum Thuribulo fumigante ad cornu Epistolæ & ibidem cum Ceroferariis, subdiacono & Diacono expectat, donec tempus sit eundi ad cantandũ Euangelium.

28. Circa finem vltimi versus Gradualis, vel Tractus, *Alleluia* aut sequentiæ, Thuriferarius, Ceroferarii, subdiaconus & vltimò Diaconus portans librum Euangeliorum clausum ante pectus veniunt ante Episcopum, vbi Diaconus

pro-

profundè inclinatus, subdiacono stante a sinistris ipsius petit benedictionem. Cui Episcopus respondet *Dominus sit in corde tuo &c.* facit super eum signum Crucis ad quod omnes ministri inferiores genuflectunt & statim procedunt ad Euangelium cantandum hoc ordine: Præcedit Cæremoniarius, mox Thuriferarius cum thuribulo & naucula, cum Ceroferarii cum candelabris & cereis accensis deinde subdiaconus manibus iunctis, vltimò Diaconus librum Euangeliorum portans clausum ante pectus.

29. Cùm peruenerint ad locum Euangelii, subdiaconus medius inter Ceroferarios tenet librum Euangeliorum ante pectus apertum, & Diaconus iunctis manibus ante pectus incipit Euangelium, & cùm dicit *Dominus vobiscum* Episcopus depositis Gremiali & mitra surgens accipit baculum pastoralem manu sinistrâ & cum dicit *Initium* vel *sequentia sancti Euangelii* dextrâ signat se iterùm in fronte, ore, & pectore quo facto retinet baculum inter ambas manus iunctas stans versus Diaconum canentem.

30. Finito Euangelio Episcopus demisso baculo, osculatur librum sibi oblatum per subdiaconum in principio Euangelii cantati dicens, *Per Euangelica dicta*, Diaconus autem & alii factis debitis reuerentiis eodem ordine quo venerant reuertuntur, Thuriferarius vero accedit Presbyterum Assistentem qui sumpto thuribulo statim post deosculationem libri Euangeliorum ipsum triplici thurificat ductu & Episcopus facto super thurificantem signo Crucis, ad Altare conuersus cantat ex libro per Presbyterum Assistentem sustentatum *Credo in vnum Deum* quod cum assistentibus submissâ voce prosequitur pariter, & Diaconus & subdiaconus apud Altare & Canonici illud inter se dicunt & ad Versiculum

lum *Et incarnatus est &c.* Episcopus genuflectit, omnibus de choro pariter genuflectentibus.

31. Finito symbolo sedet Episcopus cum mitra & gremiali & omnes sedent & cum prædictus versiculus cantatū in choro pariter Canonici sedent nudo capite, Episcopus cum mitra alii inclinant caput profundè versus Altare, alii genu flectunt donec perficiatur dictus versiculus. In nocte verò & die Nativitatis Domini & in die Annuntiationis B. M. Episcopus cum mitra apud suam sedem versus Altare, alii omnes in locis genuflectunt.

40. Diaconus deinde accedit ad Credentiam & capit Bursam quam ambabus manibus cum debitis reverentiis Altari & Episcopo portat ad Altare, ubi extrahit Corporale, idque explicatum ponit super Corporale in medio. Bursam verò seorsim in eodem Altari collocat versus cornu Euangelii, & factis Altari & Episcopo reverentiis redit ad locum suum.

41. Finito per chorum symbolo, ablatis gremiali & mitra surgit & cantat *Dominus vobiscum* & *Oremus* tum ex libro per ministrum sustentato legit offertorium, quo lecto iterum sedens recipit mitram prætiosam & gremiale, deponitque annulum & Chirotecas, quæ omnia extrahuntur à Diaconis Assistentibus & accedente aliquo scutifero lavat manus & tergit, deinde reassumpto annulo, depositoque Gremiali surgit & accepto manu sinistra baculo redit ad Altare ante cuius infimum gradum in medio depositis baculo & mitra, factaque profunda reverentia Cruci ascendit & osculatur Altare in medio, positis hinc inde manibus.

42. Tum Diaconus patenam cum Hostia ad manus Episcopi cum osculo porrigit, qui illam ambabus manibus ante pectus elevatam tenens

& o-

& oculos sursum dirigens dicit *Suscipe sancte Pater &c.* & in fine faciens signum Crucis cum ea collocat Hostiam super Corporale, patenam verò ponit super Altare ad partem Epistolæ; subdiaconus verò vrceolum aquæ parumper versus Episcopum elevans dicit *Benedicite Patrum reverendissime.* Episcopus autem facto versus eum signo Crucis dum infundit pauculum aquæ in Calicem manibus iunctis dicit Orationem *Deus qui humanæ substantiæ &c.*

43. Diaconus deinde porrigit ad manus Episcopi Calicem quem ille ambabus manibus accipit dextra scilicet nodum, sinistra pedem illius tenens, illumque offert dicens simul cum Diacono orationem *Offerimus tibi Domine &c.* tangente & ipso Calicem. Qua dicta eundem Calicem facto cum eo signo Crucis ponit super Corporale in medio retrò Hostiam, quem Diaconus palla cooperit.

44. Deinde Episcopus prosequitur missam vt in Missali. Incensato autem Altari dum redditur thuribulum Diacono accipit mitram prætiosam & à primo Diacono Assistente thurificatur triplici ductu, atque thurificatus facit signum Crucis super thurificantem, & statim lauat manus more solito dicens Psalm. *Lauabo inter &c.* ministrantibus mappulam pro illis tergendis assistentibus Capellanis.

45. Postquàm Episcopus lauerit manus & absterserit auferetur ei mitra à prædicto Diacono. Episcopus verò rediens ad medium Altaris dicit de more *Suscipe sancta Trinitas &c.* & cætera facit ac obseruat prout alii sacerdotes nisi quod in Canone vbi alii dicunt *Et Antistite nostro N.* ipse dicat *Et me indigno seruo tuo.*

46. Circa *Sanctus* quatuor aut ad summum

octo ministri superpelliceis induti afferunt totidem funalia cerae albae accensa, & factis debitis reuerentiis collocant se genuflexi hinc inde à lateribus subdiaconi tenentis patenam. Tunc verò omnes tam in Choro, quam extra genuflectunt praeter assistentes ac Diaconum & subdiaconum, qui nonnisi cum Celebrante genuflectunt, & cum eleuatur sanctissimum Sacramentum.

47. Elevato SS. Sacramento Chorus prosequitur *Benedictus qui venit &c.* Ministri verò habentes funalia surgunt & factis debitis genuflexionibus discedunt funalia extra presbyterium extinguentes (nisi facienda sit communio, quia tunc remanent vsque ad finem Communionis) & pariter tunc omnes surgunt; Episcopus autem prosequitur Canonem cum signis & Cæremoniis vt in Missali.

48. Postquam Episcopus cum Presbytero Assistente & Diacono dixerit *Agnus Dei* Presbyter assistens cum debitis genuflexionibus accedit ad dextram Celebrantis, atque dicta oratione *Domine Iesu Christe qui dixisti &c* pacem dat Presbytero assistenti, similiter Diaconis assistentibus; sed prius Diacono & subdiacono, si non sit daturus eis communionem dicens singulis *Pax tecum* deinde prosequitur Missam vt in Missali.

49. Postquam Episcopus sumpserit ablutionem absterso ore purificatorio, & imposita per Diaconum mitra stans in cornu Epistolæ lauat manus, quibus lotis ac tersis, ablata iterum mitra legit Communionem & prosequitur vt alii.

50. Dicto *Placeat tibi sancta Trinitas &c.* osculato Altari & reassumpta mitra stans adhuc versus Altare pollice dextræ manus for-

mat

mat sibi signum Crucis in pectore cantans *sit nomen Domini benedictum* sinistram interim super Altari retinens, & dum respondetur à Choro. *Ex hoc nunc & vsque in sæculum* etiam manum dextram super Altari tenet: deinde cantans *Adiutorium nostrum in nomine Domini*, eadem manu dextra signat se a fronte ad pectus & ab humero sinistro ad dextrum, quo facto eam iterum super Altari reponit donec a choro respondetur *Qui fecit cælum & terram*: postea cantans, *Benedicat vos omnipotens Deus* eleuat ad cœlum simul oculos & manus, quas ante faciem iungit caput Cruci inclinans: tunc accepto manu sinistra baculo vertens se ad latus Epistolæ, ibi signat populum dicens *Pater*, deinde vertens se directè ad populum in medio Ecclesiæ existentem, iterum signat dicens, *Et filius*: denique vertens se vlterius ad latus Euangelii ibi tertiò signat dicens, *Et spiritus sanctus* perficiendo circulum.

51. Si Celebrans sit *Archiepiscopus*, dat benedictionem sine mitra, versus ad Crucem suam, eaque datâ, deponit pallium suum super *Altare*.

52. Post datam benedictionẽ Episcopus dimisso baculo, publicatisque Indulgentiis, ac deposita mitra dicit submissâ voce dicitur *Dominus vobiscum* & signans *Altare* ac seipsum *Initium sancti Euangelii secundum Ioannem* quod prosequitur, sumpta mitra & baculo procedendo ad locum, vbi à principio accepit paramenta, quibus ibidem exuitur per eosdem dicens interim *Antiphonam Trium puerorum* & Canticum *Benedicite &c.* Si verò aliud Euangelium dicendum sit, totum legit in *Altari* antequam discedat, eoque dicto recedit vt prius,

TIT.

TITVLVS XXIII.

De solemni Missa per Episcopum in aliena Diœcesi, pontificaliter celebranda.

1. EPiscopus in aliena Diœcesi solemnem Missam pontificaliter celebraturus, Indutus Rochetto & desuper vel Mozzetta vel mantelleto postquam peruenerit ad Ecclesiam primò ante sanctissimum Sacramentum genuflectens prius ad terram planam in genuflexorio orabit, deinde surgens iterum vt prius ad terram genuflectens ibit ad Altare maius seu aliud in quo sacrificium peragitur vbi Cruci profunda capitis inclinatione facta orabit, genuflexus demum surgens iterum facta vt prius Cruci profunda inclinatione capitis, ibit ad Sacristiam aut sacellum vbi paramentis Pontificalibus vestiendus est, quo in loco sit Altare ornatum Cruce, candelabris, & cereis accensis & in eius medio erunt sacra indumenta missalia pro Episcopo ordinatim reposita, adsit quoque faldistorium coopertum vndique ad terram vsque serico coloris paramentorum, impositoetiam puluinari, vel ibit ad faldistorium vt supra vndique coopertum sibi in Ecclesia à latere Epistolæ paratum parum ab infimo gradu Altaris in plano seu pauimento, ita vt in eo sedens habeat ad dexteram suam Altare & respiciat eam partem quam ipsa anterior facies Altaris ibique cum paululum sederit stans capite detecto versus Altare pro Tertia (hanc enim ab Episcopo *Missam* solemniter celebraturo etiam celebrari conuenit ita ut eam incipiat & in fine cantet Orationem) dicit secreto *Pater noster. Aue Maria* tum faciens sibi signum Crucis

Cærem. Episc. lib. 1. cap. 12. pag. 68. col. 1. & cap. 17. pag. 91.

Compend. Cærem. c. 23 n. 1.

cantat *Deus in adiutorium meum intende*, & incepto Psalmo sedens cooperto capite duobus Capellanis in superpelliceis ante ipsum altero genuflexo librum altero stante candelam tenentibus legit Antiphon. *Ne reminiscaris*, & Psalmum *Quam dilecta &c.* alternatim cum Presbytero ad dextram & Diacono ad sinistram ipsius stantibus incepto Psalmo *Quam dilecta &c.* Subdiaconus vsque ad manipulum indutus affert ex Altari vel ex credentia ambabus manibus velo coopertis sandalia & caligas alio velo cooperta quibus detractis prius ordinariis calceis induit Episcopum genuflexus primo in dextero pede, deinde in sinistro, adjuuantibus duobus familiaribus Episcopi ad Credentiam Assistentibus, Ad *Kyrieeleison*, surgens Episcopus prosequitur cætera cum iisdem detecto capite versus Altare.

Carem Episcopor. lib. 2. c. 8. pag. 189. col. 2, Compend. Carem. c. 25. n. 1.

Carem Episc. lib. 2. cap. 8. pag. 188. & 190. Compend. Carem. c. 23. n. 1. & c. 25. n. 1.

2. Postea Episcopus dicta Oratione *Calcea me Domine &c.* exuitur cappa vel mantelleto dicens *Exue me Domine &c.* & dicta alia pro lotione manuum *Da Domine &c.* extractisque annulis lauat manus & per Presbyterum Assistentem porrigitur mantile manibus tersis ac repositis annulis induitur, paramentis acceptis de manibus Acolythorum ex Altari ea ordine adferentium videlicet Diaconus à dextris & subdiaconus à sinistris sed Diaconus principaliter omnia operatur & subdiaconus solum adiuuat, Episcopus interea dicit ad singula

Carem. Episc. lib. 2. cap. 8. pag 190. & seq. col. 2. & seq. Compend. Car. c. 23. n. 1. & cap. 25. n. 2.

singu-

singulas Orationes excepta ea quæ dicitur ad manipulum quæ statim post alias dicenda est cum dici non possit eo tempore quo accipit manipulum. *Gauantus in Rubr. Miss priuat. 2. tit. 1. n. 6. tit. 1. Carem. Episc. lib. 1. cap 9. 10. & 12.*

3. Deinde efferunt Episcopo amictum osculandum in medio vbi Crux est, quem mox aptant diligenter circa collum eius, vt vestium summitates omnino tegat, & chordulas ex illo pendentes post tergum ductas & ante pectus reductas stricte colligunt. *Carem. lib. 2. c. 8. pag. 191. col. 1. Compend. Carem. c. 25. sub n. 2.*

4. Accipiunt albam quam circa collum eius humeros & brachia distendunt & aptant. *Carem lib. 2. cap. 8. pag. 192. col. 2.*

5. Cingulum quo albam constringunt incipientes à tergo & ante pectus teligantes. Albæ autem extremitates circum circa Acolyti sublcuant & aptant vt æqualiter defluat & vestes contegat. *Carem. lib. 2. cap. 8. pag. 192. col. 2. Compend. c. 25. n. 2.*

6. Postmodum Diaconus accepta Cruce pectorali eam ab Episcopo osculatam imponit eius collo ita ut ante pectus pendeat. *Carem. lib. 2. cap. 8. pag. 192 col. 2. Compend. c. 25. n. 2.*

7. Deinde Diaconus offert eidem stolam osculandam, quam super eius humeros applicat, ita vt nec collum tegat, nec transuersa sit in modum Crucis, sed æqualiter ante pectus pendeat, quia ante pectus gestat eius loco Crucem pectoralem, quam ante stolam accipit. *Missale Rom de præparat. Sacerd & lib. 1 §. 1. n. 4. vbi Gauantus lit. 1. Carem lib. 2. cap 8. pag. 193. col. 1. Compend. c. 25. sub n. 2.*

8. Tum si Episcopus ipse celebret Tertiam, Diaconus & subdiaconus imponunt illi pluuiale & Mitram, & finitis Psalmis Capitulo, Responsorio deposita mitra stans cantat orationē, atq; dicto *Carem lib. 2. cap. 8. pag. 193 col 1 & 2.*

per Chorum *Benedicamus Domino* depositis pluuiali & mitra Diaconus & subdiaconus induunt Episcopum tunicella constringentes chordulas, hinc inde super humeros.

Carem. lib. 2. c. 8. pag. 137. col. 1. Compend. c. 25. sub n. 2.

9. Mox eodem modo induunt illum Dalmatica.

Carem. lib. 2. c. 8. pag. 194 col. 1. Compend. c. 25. sub n. 2.

10. Deinde Episcopo sedenti imponunt chirotecas, Diaconus in dextra manu, Subdiaconus in sinistra, deosculatis prius manibus eius & chirothecis.

Carem. lib. 2. c. 8. pag. 194. col. 1. Compend. c. 25. sub n. 2.

11. Postea iterum stantem induunt planeta.

Carem. lib. 2. c. 8. pag. 194. col. 2. in fin. & lib. 1. c. 11. pag. 60. col. 1. Compend. c. 25. sub fin. n. 2. Carem. lib. 1. c. 77. pag. 31. col. 2. lib. 2. c. 8. pag. 195. col. 1.

12. Rursus Episcopo sedenti Diaconus imponit mitram pretiosam ex manibus Ministri de ea seruientis acceptam subdiacono vittas a tergo aptante.

Compend. Carem. c. 24. n. 2.

13. Demum imponitur eidem per Presbyterum Assistentem annulus digito annulari dextræ, annulo tamen & manu prius deosculatis, ita *Gauantus in rubric. Miss. p. 2. tit. 1. sub n. 6.* & dicit Orationem ad manipulum dici solitam cum dici non possit eo tempore quo accipit manipulum.

Carem. lib. 2. c. 8. pag. 190. col. 2. & pag. 195. col. 1. Compend. c. 23. n. 1.

14. Tum Episcopo omnibus paramentis Missalibus induto Diaconus & subdiaconus capiunt suos manipulos & accedit ad Altare pro missa inchoanda, Diaconus immediate ante illum a sinistris Presbyteri Assistentis pluuiali induti, a sinistris Episcopi, & subdiaconus ante eos portans ante pectus librum Euangelii clausum, in quo inclusus sit manipulus Episcopi, post Episcopum sequitur Capellanus seruiens de mitra & alii Capellani in superpelliceis incedentes bini.

Compend. c. 23. n. 2. & c. 25. n. 2. Carem. lib. 2. c. 8. pag. 196. col. 2.

15. Cum

15. Cum peruenerit ante infimum gradum Altaris, antequam illi reuerentiam faciat, reddito baculo Pastorali ministro, qui ibi remanens illum sustinet, & deposita per Diaconum mitra, quæ per ministrum de ea seruientem deponitur super credentia, facit cū Presbytero Assistente à dextris & Diacono à sinistris & paulo retrò cum subdiacono (relicto in manibus Cæremoniarii libro Euangeliorum) Altari profundam reuerentiam si autem præsens fuerit Cardinalis Legatus aut Archiepiscopus vel Episcopus loci, ei etiam facit reuerentiam profunda pro licentia celebrādi deinde versus ad Altare incipit missam &c. *Gauantus in comment. in Rubr. Missal. p. 2. tit. 3. sub n. 2 sub litt.* m. & confessionem vt alii sacerdotes: sed cum dixerit *Indulgentiam absolutionem &c.* osculatur manipulum à subdiacono oblatum, qui statim per eundem imponitur sinistro eius brachio.

Carem. Episc. lib. 2. c. 8 pag. 194. Compend. c. 23 sub n. 2. Carem. lib. 2. c. 8. pag. 198. col. 1.

16. Postquam Episcopus ad Altare ascenderit osculato eo in medio statim ambabus manibus tangens librū Euangeliorum sibi per subdiaconum a sinistris oblatum osculatur principium Euangelii Missæ dicendæ adiuuante Presbytero assistente.

Carem. lib. 2. c. 8. pag. 198. col. 2.

17 Deinde imponit ac benedicit thus ac thurificat Crucem, reliquias seu imagines & Altare.

Compend. c. 3.

18. Reddito thuribulo receptaque mitra pretiosa stans in cornu Epistolæ iunctis manibus &c. thurificatur à Diacono triplici ductu. Vide Latius *Compend. Carem. c. 23. n. 2. & seq. & c. 25. Carem. lib. 2 cap. 8. pag. 198. col. 2. in fin. & pag. 99. in princ.*

19. Postea facta Cruci reuerentia in medio Altaris receptoque baculo ibidem sinistra medius inter Diaconum & subdiaconum redit ad

faldistorium vbi depositis baculo & mitra stans versa facie ad Altare facto sibi signo Crucis a fronte ad pectus legit Introitum ex libro oblato & sustentato per Ministrum de eo seruientem supra caput altero candelam accensam tenente. Assistentes vero hinc inde ostendunt digito seu commodius virgula quæ sint legenda, vertuntque folia; & dicto alternatim cum ministris adstantibus *Kyrieeleison*. sed & recepta mitra & gremiale : ponens hinc inde super eo palmas apertas, quasi illud retinens.

Cerem. Episc. lib. 1. c. 19. pag. 100. col. 2. & lib. 2. c. 8. pag. 200. col. 1. Compend. c. 23. sub fin. n. 2.

Cerem. Episc. lib. 1. c. 19 pag. 102. col. 2. Car. lib 1. c 11. pag. 60. col. 1. & lib. 2. c. 8. pag. 200. col. 2. & pag. 201. col. 1. Compend. Carem. c. 23. n. 3.

20. Finito per Chorum seu organo vltimo *Kyrieeleison*. ablatis prius gremiali & mitra, Episcopus surgit versa per sinistrum latus facie ad Altare, illi capite inclinato reuerentiam faciens & ex libro per Presbyterum Assistentem supra caput sustentato, adiuuante Ministro de libro seruiente intonat Hymnum *Gloria in excelsis* (si dicendus sit) disiungens eleuansque manus ad altitudinem humerorum, & cum dicit *Deo*, illas iterum iungens & caput versus Crucem Altaris inclinans; quo erecto iunctis manibus prosequitur cum Diacono & subdiacono ministrantibus submissa voce vsque ad finem: tum iterum sedens recipit alteram mitram.

21. Finito per Chorum Hymno mitra & gremiali rursus ablatis Episcopus surgit & stans versus populum extendens ac iungens manus cantat *Pax vobis* (quod dicitur tantum hoc loco quando dictus est Hymnus *Gloria in excelsis* alias vero dicit *Dominus vobiscum*) Deinde per sinistrum latus conuersus ad Altare extendens & iungens manus, caputque Cruci inclinans, *Oremus*, & extensis iterum manibus Orationem seu orationes, in conclusione earum de suo manus iungens prout explicatur in Miss. in ritu celebrandi.

Miss in rit. celebrand. tit. 5. n. 1.

22. Fini-

22. Finitis Orationibus sedet recipiens mitram & gremiale vt suprà. *Compend. c. 23. sub fin. n. 3.*

23. Cantata Epistola, super librum per Subdiaconum delatum ponit manum dextram qua pectum osculata, producit super eundem signum Crucis, deinde adhuc sedens ex libro Missali per eundem subdiaconum sustentato, legit Epistolam, Graduale, *Alleluia*: Tractum & Sequentiam si dicenda sint & alia quæ habentur in ordine Missæ vsque ad finem Euangelii ante cuius inchoationem dicit *Munda cor meum, &c. & Iube Domine &c. Dominus vobiscum* & Euangelii titulum legens, pollice signat Euangelium in principio & seipsum in fronte ore & pectore &c. eoque finito Assistentes respondent *Laus tibi Christe &c.* Postea Diaconus librum Euangeliorum ponit in medio Altaris, & Episcopus in faldistorio sedens ministrante Diacono nauiculam cum cochleari & thuriferario thuribulum imponit & benedicit thus. Deinde resumpto per Diaconum libro Euangeliorum de Altari eundem benedicit dicens *Dominus sit in corde &c.* & data ei benedictione offert manum osculandam. *Carem. lib. 2. c. 8. pag. 201. col. 1.* *Carem. Episc. lib. 2. cap. 8. pag. 202. col. 1.* *Compend. c. 23. sub n. 4.* *Carem. lib. 1. c. 9. pag. 44. col. 1. c. 23. & lib. 2. c. 8. pag. 203. col. 2. Miss. instit. celeb. & in bened. palmarum.*

24. Cum Diaconus incipit *Dominus vobiscum* pro Euangelio dicendo, depositis prius gremiali & mitra Episcopus surgens accipit baculum pastoralem manu sinistra, & cum dicit *Initium vel sequentia S. Euangelii &c.* dextra signat se iterum in fronte ore & pectore quo facto retinet baculū inter ambas manus iunctas stans versus Diaconum canentem: & finito per Diaconum Euangelio, dimisso baculo osculatur librum sibi oblatū in principio Euangelii cantati dicens *per Euangelica dicta &c* deinde thurificatur, & post thurificationem ad Altare, per latus sinistrū conuersus cantat ex libro, prout circa *Gloria in excelsis* dictum est *Credo in vnum Deum* (si dicendum sit) *Carem. lib. 2. c. 8. pag. 205. col. 1. & seq.*

alioquin *Dominus vobiscum* vt infra) & cum Assistentibus submissa voce prosequitur, ad Versiculum *& incarnatus est &c.* genuflectens, omnibus de Choro pariter genuflectentibus : finito symbolo sedet cum mitra & gremiali aut supra, & cum prædictus Versiculus cantatur à Choro, caput profundè inclinat cum mitra versus Altare præterquam in Missis Natiuitatis Domini & Annunciationis B. Mariæ ; in quibus ad prædictum versiculum iterum genuflectit apud faldistorium versus Altare cum mitra.

Compend. c. 23. sub fin n. 5. Carem. lib. 2. c. 8. pag. 205. & seq.

25. Finito per Chorum symbolo ablatis gremiali & mitra surgit & cantat *Dominus vobiscum & Oremus*, prout supra ante Orationem : tum ex libro per Ministrum sustentato legit Offertorium : quo lecto iterum sedens recipit priorem mitram & gremiale, extractisque annulo & chirothecis lauat manus & tergit; deinde reassumpto annulo, depositoque gremiali surgit & accepto manu sinistra baculo redit ad Altare, ante cuius infimum gradum in medio, depositis baculo & mitra, factaque profunda reuerentia Crucei, ascendit & osculatur Altare in medio, positis hinc inde manibus, mox accipit à Diacono patenam cum Hostia, eam offert, cæteraque facit & obseruat prout alii Sacerdotes, nisi quod post thurificationem Altaris reddito thuribulo antequam thurificetur à Diacono triplici ductu mitram priorem recipiat (quæ post lotas & tersas manus rursus auferetur) & thurificatus faciat signum Crucis super thurificantem, nihil inclinans versus eum, ante aut post thurificationem, & in Canone vbi alii sacerdotes dicunt, Et Antistite nostro N ipse dicat & me indigno seruo tuo.

Carem. lib 1. c. 11. pag. 60. col. 1. 2. lib. 2. c 8. pag. 209 col. 2.

Compend. c. 23. n. 6. Carem. lib 1. c. 23. & c. 24. & lib. 2. c. 8. pag. 212. col. 1, & 2.

26. Postquam Episcopus celebrans Pacem dederit Presbytero assistenti, eam dat similiter Diaconis assistentibus; sed prius Diacono & subdia-

diacono, qui tamen non osculantur Altare si non sit daturus eis communionem, quia tunc post illam dabit eis vt in Compend. *Carem. c. 25. n. 6.* v- bi etiam & *n. 6.* declaratur quomodo se gerere debeat in danda communione & si aliquæ Hostiæ consecratæ remaneant) & postquam sumpserit ablutionē absterso ore purificatorio & imposita per Diaconum mitra, stans in cornu Epistolæ lauet manus (quod non faciunt alii sacerdotes) quibus lotis ac tersis, ablata iterum mitra legit Communionem & prosequitur vt alii sacerdotes. *Carem. Episc. lib. 1. c. 24. pag. 124. Gauantus in Rubr. Missal. part. 2. fol. 10. sub n. 9. Compend. c. 23. sub fin. n. 6. Carem. lib. 1. c. 25. & lib. 2. c. 8. fol. 218. col. 1.*

27. Sed dicto *Placeat tibi sancta Trinitas &c.* osculato Altari & si vel Episcopus in aliena Diœcesi celebrans coram proprio Episcopo, retrocedit paululum ad latus Epistolæ, quasi benedictionem ipsi Episcopo proprio dandam remittens: ipse tamen Episcopus proprius omnino illam ipsi Episcopo celebranti relinquat qui mox ad Altare versus recepta mitra incipit *Sit nomen Domini &c.* & dat benedictionem more solito. *Carem. Episc. lib. 2. c. 8. pag. 219. col. 2. & c. 9. pag. 223. col. 2.*

28. Post benedictionem dimisso baculo publicatisque Indulgentiis, nisi celebranda sit Processio post Missam quia tunc post illam facit Indulgentias publicari, ac deposita mitra dicit submissa voce *Dominus vobiscum*, & signans Altare ac seipsum, *Initium sancti Euangelii secundum Ioannem* quod prosequitur discedendo cum aliis ordine quo venerat ad locum vbi à principio paramenta acceperat quibus ibidem exuitur per eosdem ministros dicens interim Antiph. *Turba puerorum &c.* & Canticum *benedicite &c.* si vero aliud Euangelium dicendum sit totum legit in Altari antequam discedat. *Compend. Carem. c. 23. n. 8. Carem. lib. 2. c. 32. pag. 283. col. 1 & 2. 33. pag. 343. col. 2. in fin. Compend. Carem. c. 23. n. 8.*

TITVLVS XXIV.

De Vesperis & Matutinis pro Defunctis Episcopo celebrante.

1. QVia in officiis Defunctorum diuersæ cæremoniæ ab ordinariis cæremoniis obseruandæ sunt, ideò de iis hic pauca subiungentur. Et primò de Vesperis & Matutinis Defunctorum.

2. Episcopus indutus cappa Pontificali lanea venit ad Ecclesiam more solito & accedit ad sedem suam, vbi parum sedet, assistentibus sibi solùm Capellanis & Ministris de libro & candela, nec non Cæremoniario indicante quid & quomodo agendum.

3. Post pauculum moræ surgit Episcopus, & detecto capite versus Altare dicet *Pater noster* secretò vsque in finem, & Chorus annuente Cæremoniario incipit Antiphonam *Placebo Domino, &c.* illam integrè recitando vsque in finem, qua finita, & inchoato Psalmo *Dilexi &c.* Episcopus sedet, caput cooperit & sedet quousque inchoetur *Magnificat &c.* à Choro, tunc surgit & stat detecto capite vsque in finem, qua finita surgit & detecto capite incipit *Pater noster* quod secretò complet.

4. Interim duo Ceroferarii comite Cæremoniario accedunt cum candelabris & cereis accensis de cera communi ante Episcopum, & inter eos erit medius minister de libro seruiens, deinde Episcopus cantat *Et ne nos inducas &c.* cum versiculis aliis in Breuiario post vesperas Defunctorum assignatis, Choro respondente, & orationem congruam, qua finita versiculum *Requiem*

quiem aternam &c. Choro respondente *Et Lux perpetua &c.* Deinde Chorus *Requiescant in pace.*

5. Quo dicto sedet Episcopus tecto capite, & post modicum moræ surgit capite detecto, dicit *secretò Pater noster &c.* quo dicto, adhuc capite detecto Chorus incipit Inuitatorium *Regem cui omnia viuunt, &c.* pro Matutinis cum Psalmo *Venite exultemus &c*

6. Cum Chorus incipit Psalmum primi Nocturni, Episcopus sedet tecto capite, & sic manet quousque dicatur Responsorium Versiculi ante primam lectionem primi Nocturni; tunc surgit, & detecto capite dicit secretò *Pater noster*, mox sedet capite tecto, quousque dicatur Responsorium Versiculi ante quartam lectionem secundi Nocturni, & tunc pariter surgit, dicens etiam secretò *Pater noster*, mox sedens prout in primo Nocturno. Idem facit post Responsorium versiculi ante septimam lectionem.

7. Lectiones ipsæ cantantur per Cantores aut alios iuxta loci consuetudinem in tono consueto & Responsoria per Chorum, deinde Psalmi cum suis Antiphonis pro Laudibus, & cum inchoatur Canticum *Benedictus &c.* Episcopus surgit detecto capite & cum repetitur Antiphona, *Ego sum &c* sedet cooperiens caput.

8. Interim duo Ceroferarii cum cereis accensis, vt ad Vesperas, acceduntante Episcopum, & omnia fiunt vt suprà in fine Vesperarum, quibus finitis Episcopus eum aliis discedit, quia nec datur benedictio, nec publicantur Indulgentiæ.

TITVLVS XXV.

De Missa Pontificali pro Defunctis per Episcopum celebranda.

1. PRo Missa defunctorum sequentia paranda, videlicet Altare nullo ornatu festivo, sed simpliciter & nullis imaginibus, sed sola cruce & sex candelabris paretur, & duobus super Credentia cum candelis ex cera communi; super eam nulla ornamenta ponantur, sed tantùm quæ sunt necessaria; videlicet bacile & buccale, simplex Missale, vas aquæ benedictæ cum aspersorio, thuribulum cum navicula, item pannus niger extendendus pro facienda absolutione finita Missa, nisi adesset lectica mortuorum, aut castrum doloris. Gradus Altaris, & totum Presbyterium debet esse nudum, excepto quod unum tapete sub faldistorio Episcopi & aliud super primo gradu suppedaneo apud Altare ponendum. Omnia paramenta tam Altaris quam Celebrantis, & ministrorum, librorum, & faldistorii sint nigra, & in his nullæ imagines mortuorum, vel cruces albæ ponantur.

2. Episcopus non vtitur in hac missa sandaliis & Chirotecis, nec baculo pastorali, non dicit Antiphonam *Ne reminiscaris*, nec Psalm. *Quam dilecta &c.* nec Orationes quæ in aliis Missis dicendæ sunt, antequam induatur, sed dicit tantum Orationes ad paramenta quæ sumere debet, incipiendo ab ea *Exue me Domine &c.* & tunc deponet cappam, & lauabit manus, ac parabitur dicendo ad aquam & paramenta consuetas oratio-

nes.

nes, exceptis iis quæ dicuntur pro sandaliis & chirotecis.

3. Episcopus capiet Manipulum ante Crucem pectoralem vt in Missali, & cùm accedet ad Altare, finita Confessione non osculatur librum, sed Altare tantùm, & statim sine incensatione redibit ad sedem suam cum mitra, vbi stans nudo capite versus Altare leget Introitum producens signum Crucis super librum.

4. Diaconus & subdiaconus vtuntur Dalmatica & Tunicella & Assistens Pluuiali, & adsunt Capellani soliti cum superpelliceis & scutiferi sicut in aliis Missis.

5. Ministri aliquid dantes vel recipientes ab Episcopo in tota Missa, numquam eius manum aut rem deosculantur.

6. Ad Orationes soli Presbyter assistens, Diaconus & subdiaconus stans omnibus aliis genuflexis Epistola & Euangelium numquam in ambone leguntur, sed in Presbyterio loco conuenienti, nec subdiaconus osculatur manum Episcopi finita Epistola.

7. Si distribuendæ sunt Candelæ, tunc post Epistolam dum cantatur sequentia distribuuntur accendendo ad Euangelium, ad eleuationem SS. Sacramenti & finita missa ad Absolutionem. Diaconus non petit benedictionem, nec incensum, nec luminaria deferuntur ad Euangelium, dicit tamen *Munda cor meum &c.* & procedet ad Euangelium cantandum hoc ordine, videlicet primò ipse Diaconus, tum subdiaconus, vltimo loco duo Capellani seu Acolythi præcedente Cæremoniario.

8. Finito Euangelio Episcopus non osculatur librum, sed statim dicit: *Dominus vobiscum. Oremus.* & Offertorium, tum lauat manus more solito, & ad Altare accedit. Nō benedicit aquam

ponendam in Calice, nec subdiaconus sustinet patenam, benedicit tamen incensum, incensat oblata, & postea solus thurificatur à Diacono.

9. Dum dicitur *Sanctus* quatuor Capellani cum quatuor funalibus ex eadem cera communi accensis pro elevatione Sacramenti, accedunt, & genuflectunt more solito, & similiter omnes genuflectunt sic permanentes usque ad *Per omnia secula &c.* ante *Pax Domini &c.* Capellani verò cum funalibus usque post Communionem.

10. Subdiaconus impositio thure à Thuriferario SS. Sacramentum thurificabit genuflexus in cornu Epistolæ. Non datur pax nec percutitur pectus ad *Agnus Dei*.

11. In fine Missæ non datur benedictio, nec publicantur Indulgentiæ, sed Diaconus dicit *Requiescant in pace* versus Altare. Episcopus dicto in Altari *Placeat tibi &c.* & dicto etiam *Initium sancti Euangelii &c.* in cornu Euangelii, vbi signat Altare, ad sedem suam redibit, & ibidem depositis planeta, ac etiam Dalmatica & Tunicella, ac manipulo capiet Pluuiale nigrũ Diacono & subdiacono paratis remanentibus, depositis tamen manipulis suis, & Episcopum ad exuendam planetam, & alia, & induendum pluuiale adiuuantibus. Presbyter autem assistens discedit & deponit pluuiale.

12. Si sermo habendus sit in laudem defuncti pro quo Missa celebratur, tunc ea finita, ante absolutionem, accedet sermocinaturus vestibus nigris indutus & facta oratione ante medium Altaris, nulla petita ab Episcopo benedictione, sed facta ei profunda reuerentia, ascendit pulpitum panno nigro tectum, vbi facta iterum Episcopo reuerentia, signans se signo Crucis sermonem

nem faciet ; Quo finito, vel si sermo non habendus statim Missa finita, accepto pluuiali per Episcopum ante infimum gradum solii extenditur pannus niger pro absolutione facienda, nisi aliàs lectus mortuorum, vel Castrum doloris esset in medio Ecclesiæ. Quo casu Episcopus pluuiali paratus ibidem, vel solus vel cum aliis quatuor absoluentibus accedere deberet.

13. Si verò Episcopus erit in faldistorio, tunc pannus niger ante infimum gradum Altaris in medio extendetur pro absolutione facienda.

14. Interim dum extenditur pannus Episcopus sedet & Cantores incipient Responsorium *Libera me Domine, &c.* & dum repetitur idem Responsorium accedunt ad Episcopum duo Acolythi vnus cum thuribulo & nauicula , alius cum Aspersorio & Vase aquæ benedictæ. Tunc Episcopus ministrante Diacono Nauiculam à dextris sine osculis, imponet thus in thuribulum, & statim si est in faldistorio accedit ad Altare vbi cùm à Choro dicetur *Kyrieeleison* deponet mitram, & stans versus Altare dicit intelligibili voce *Pater noster* quod secretè complendo, ministrante Diacono Aspersorium , & eleuantibus hinc inde Diacono & subdiacono fimbrias pluuialis, Episcopus stans aspergit ter super pannum nigrum vel lecticam mortuorum & reddito Aspersorio Diacono, & ab eodem sumpto thuribulo , thurificabit eodem modo ter thuribulum ducens super pannum vel lecticam , ministris oras pluuiâlis similiter eleuantibus. Tunc accedent duo Acolythi cum duobus candelabris & candelis accensis sistunt se ante Episcopum qui ex libro ante ipsum per ministrum sustentatum cantat Versiculos *Et ne nos &c.*

cum

cum aliis & Orationem vt in Missali, & in fine repetit Versiculum *Requiem æternam, &c* faciens signum Crucis super pannum, vel lecticam vt in Missali & Cantores dicent *Requiescant in pace*, Episcopus verò depositis paramentis, factaque oratione discedit in pace.

TITVLVS XXVI.

De Absolutione solemni ab Episcopo & aliis Prælatis faciendæ circa Castrum doloris.

1. SI aderit in Ecclesia Lectus mortuorum, seu Castrum doloris, & Missa sit celebrata pro anima summi Pontificis, vel S. R. E. Cardinalis, seu Metropolitani, aut Episcopi proprii, seu Imperatoris, Regis, aut Ducis Magni, aut Domini loci, conueniens est, vt fiant Absolutiones apud Castrum doloris, tam ab ipso Episcopo celebrante quàm ab aliis quatuor Episcopis, vel Prælatis, si adsunt. & in defectum Episcoporum, à quatuor primis dignitatibus, vel Canonicis, ordine infrà scripto; Videlicet, finitâ Missâ, & sermone si habitus sit, quatuor Prælati, seu dignitates, seu Canonici præfati accedant ad Sacristiam, vel alium locum conuenientem, & propinquum, vbi quilibet eorum accipiat super Rochettum, aut Cottam, si sit Religiosus, Amictum, Stolam, & Pluuiale nigrum, ac Mitram simplicem, si ea vti possunt; sin minùs, Biretum, & omnes sic parati conueniant apud Episcopum celebrantem paratum, vt suprà, cum quo ibunt ad Feretrum, seu Castrum doloris hoc ordine.

2. Præcedunt duo Acolythi, vnus cum thuribulo & nauicula, alius cum vase aquæ benedictæ, & aspersorio; tum duo alii Acolythi cum duobus aliis candelabris, & candelis accensis, in quorum medio erit Subdiaconus Epistolæ paratus, sed sine Manipulo, deferens Crucem: Post eum duo iuniores Prælati, tum duo seniores, & quilibet eorum habebit penes se vnum Capellanum sequentem qui de Mitra seruiet, & vnum scutiferum, qui cereum accensum portet ante suum Prælatum. Vltimo loco incedet Episcopus celebrans habens ad sinistram Diaconum paratum, sine tamen Manipulo, qui eum comitetur, & postea Capellani cottis induti.

3. Cum peruenerint ad Castrum doloris, seu locum destinatum pro Absolutionibus faciendis, Thuriferarius cum alio Acolytho de vase aquæ benedictæ firmabunt se in capite loci à parte dextræ, Acolythi verò ceroferarii, ac Subdiaconus cum Cruce ibunt ad pedes loci, & Subdiaconus cum Cruce collocabit se in medio eorum.

4. Iunior Prælatus sedebit in scabello in angulo Castri doloris ad pedem dextrum Episcopi qui est à sinistris Subdiaconi, alius post eũ in angulo ad sinistrum humerum, tertius in angulo ad pedem sinistrum, quartus, qui erit senior, in angulo ad humerum dextrum: ita vt se se inuicem aspiciant, scilicet iunior Prælatus tertium qui est in alia parte respiciat directè: Secundus verò qui est in parte tertia ad humerum sinistrum celebrantis Episcopi quartum & digniorem: Celebrans verò sedebit in faldistorio in capite loci in medio, ita vt Crucem directè respiciat, & ita vt ipse renes vertat Altari, modò tamen faldistorium eius sit parum à latere Epistolæ.

5. Omnibus sic ordinatis, surget Celebrans dete-

detecto capite, omnibus similiter surgentibus, & caput detegentibus, & incipiet in tono Lectionis absolutè Orationem *Non intres in iudicium*, qua finita omnes sedebunt, coopertis capitibus, & Cantores incipient Responsorium *Subuenite Sancti Dei, &c.* tunc duo Acolythi cum thuribulo, & nauicula, & aqua benedicta, & aspersorio, quos Diaconus sequetur, accedent ad angulum dextrum capitis, vbi est dignior Prælatus, & se ad eius dexteram collocabunt, prope Diaconum, aduertentes vt debitas reuerentias faciant Prælatis ante quos transibunt. Præcedet etiam eos Cæremoniarius, & ille qui librum defert, & hic firmabit se ad sinistram Prælati.

6. Incœpto versiculo *Requiem æternam, &c.* Acolythus dabit nauiculam Diacono, & ipse accedet cum thuribulo ante dictum digniorem Prælatum, qui ministrante Diacono nauiculam, imponet cum benedictione thus in thuribulum. Cùm per Chorum dicetur primum *Kyrieeleison*, surgent omnes nudo capite, & prædictus dignior Prælatus voce intelligibili dicet *Pater noster, &c.* quod secretè complebit, & interim sumpto aspersorio, cum aqua benedicta de manu Diaconi, aspergetLectum circùm circà ambulans, incipiens à sua parte dextra, ter aspergens quamlibet lecti partem lateralem tantum, Diacono à dextris, vt in Missali habetur non verò à sinistris vt in Cæremoniali, comitante, & fimbrias Pluuialis subleuante, & dum transibit ante alios Prælatos, illos salutabit, & similiter Cruci reuerentiam faciet transiens ante illam ad pedes Lecti. Idem faciet Diaconus annuente Cæremoniario qui procedet à sinistris Prælati, veleum præcedet, si via sit angustior.

7. Postquam cum aspersorio circumierit lectum & ad locum suum redierit, ibidem ab eodem

liter surgentibus,
ipiet in tono Le-
on intres in iudi-
t, coopertis capi-
esponsorium Sub-
colythi cum thu-
edicta, & aspersо-
ccedent ad angu-
lignior Prælatus,
unt, prope Dia-
s reuerentias fa-
ibunt. Præcedet
le qui librum de-
am Prælati.
m æternam, &c.
acono, & ipse ac-
tum dignorem
cono nauiculam,
s in thuribulum,
um Kyrieeleison,
rædictas dignior
t Pater noster, &c.
terim sumpto as-
manu Diaconi,
nbulans, inci-
pergens quamli-
m, Diacono à
n verò à sinistris
& fimbrias Plu-
sibit ante alios
iter Cruci reue-
m ad pedes Le-
ente Cæremo-
ælati, veleum

circumierit le-
, ibidem ab eo-
dem

dem Diacono capiet thuribulum, & Lectum similiter circum circà thurificabit, ter in qualibet parte thuribulum ducens: hoc est in duobus lateribus Lecti.

8. Cum redierit post thurificationem ad locum suum, stans ante scabellum non conuersus ad altare dicet Versiculum *Et ne nos inducas, &c.* & alios versiculos & Orationem *Deus cui omnia viuunt, &c.* vt in Pontificali, ex libro quem Minister seruiens de eo sustinet stans ante eum.

9 Qua finita omnes sedent cum Mitra, & Cantores incipient Responsorium, *Qui Lazarum, &c.* Dum dicent versiculum, *Requiem æternam, &c.* vt suprà, Ministri accedent ad secundum dignorem Prælatum sedentem in angulo ad sinistrum pedem videlicet à dextris Subdiaconi, qui imposito thure, vt de primò dictum est, dicto vltimo *Kyrie* à Choro surget, omnibus pariter surgentibus, dicet *Pater noster*, asperget, & thurificabit Lectum, vt suprà, & demum dicet versiculos, & Orationem *Fac quæsumus, &c.* Qua finita omnes similiter sedebunt, & Cantores cantabunt Responsorium *Domine quando veneris, &c.* & interim dignior Prælatus sedens ad sinistrum humerum seruabit omnia quæ superiùs primus, & secundus seruauerunt; & demum dicet Orationem *Inclina Domine aurem tuam, &c.*

10. Quâ finitâ, quartus & iunior Prælatus, sedens in angulo ad dextrum pedem faciet similiter, & in fine dicet Orationem *Absolue quæsumus &c. vt in resurrectionis gloria, &c.*

11. Demum cantato à Choro Responsorio *Libera me Domine de morte æterna, &c.* Episcopus celebrans imposito thure in thuribulo, dicto *Pater noster*, asperget & thurificabit Lectum, prout de primo, & aliis dictum est, & in dictis versiculis,

culis, dicet Orationem *Absolue quæsumus Domine, &c. vt defunctus seculo, &c.* & responso per Chorum *Amen.* ipse Episcopus dicet *Requiem æternam, &c.* bene dicens Lectum, vt in Missali & demum duo Cantores dicent *Requiescant in pace.*

12. Quo dicto, receptis ab omnibus Prælatis Mitris, seu biretis, si mitris non vtantur, omnes eo ordine, quo venerant redeunt in Sacristiam, vel alium locum deputatum, vnde, depositis suis paramentis, quilibet recedit ad propria.

13. Quatuor, seu quinque istæ absolutiones non semper in omnibus exequiis conuenit fieri, sed tantùm in primis exequiis quæ solent fieri post obitum, vt sunt exequiæ nouemdiales quæ fiunt pro anima defuncti Pontificis. In exequiis verò anniuersariis, non debent fieri absolutiones, sed vna tantùm per Celebrantem, vt suprà dictum est, post Missam.

14. Vel si esset Castrum doloris, vel alius locus, vbi esset eundum ad absoluendum, Celebrans solus paratus, vt suprà, præcedente Cruce cum omnibus Ministris suprà natratis, & sequentibus eum suis Capellanis, accedet ad Castrum doloris, & ibidem dispositis Ministris, vt suprà dictum est, stans apud faldistorium in capite Lecti, dicet Orationem *Non intres, &c.* qua finita sedet, & cantato per Chorum Responsorio *Libera me Domine de morte, &c.* imposito thure in thuribulo, vt suprà, asperget, & thurificabit Lectum ordine quo suprà dictum est, & demum dicet vnam ex quinque Orationibus suprà assignatis quam maluerit, & redibit ordine quo venerat Quod similiter seruari poterit in exequiis primis vbi commodè quatuor Prælati qui post Missam, vt suprà dictum est, absoluant, haberi non possunt.

15. Si loco Prælatorum quatuor, adsint tantùm

cùm Canonici, solus Episcopus debet incensum benedicere, & conuenit vt isti stent ad Responsoria, quæ succesiuè cantantur nudo capite, & non ledeant. Nec aderunt Capellani de Mitra, & scutiferi qui ferant candelas, & tunc cùm quilibet faciet absolutionem suam deponet biretum in manibus cuiusdam Clerici, sicut & candelam. Si Defunctus sit Episcopus aut Prælatus Sacerdos, & corpus sit præsens, faldistorium Episcopi Celebrantis parabitur ad pedes eius, non verò ad caput, vt in Rit. Romano, aliàs semper parabitur ad caput Lecti seu Castri doloris.

TITVLVS XXVII.

De Missa quæ sine cantu ab Episcopo celebratur.

1. CVm Episcopus celebrabit Missam priuatam conuenit, vt paret se non in Sacristia, sed ad Altare, vbi celebrare debet (nisi ibi sit SS. Sacramentum expositum, quia paramenta tunc sumet in Sacristia) super quod poni debent paramenta ordine retrogrado disposita, postquam, aliquo eius Scutifero ministrante, lauerit manus.

2. Calix, Missale, & manipulus super Credentiam, & alia quæ ibi poni solent, alia vero necessaria super Altare ponuntur per Sacristam, aut aliquem ex Capellanis. Ideo conuenit vt duos Capellanos ad minus habeat cottis mundis indutos apud se ministrantes, qui ea omnia disponere sciant, & possint, & cum induere cum debitis reuerentiis & osculis rerum quas ministraturi sunt, ita vt ille qui induit Episcopum, & accipit paramenta, partem anteriorem eorum habeat versus se, & posteriorem, ad extra. Sed si ille qui accipit ea immediatè de Altari, eadem ministraturus est alicui alteri Capellano, seu ministro,

par-

partes posteriores tenebit versus se, & anteriores ad extra.

3. Accipiet paramenta coloris conuenientis, & ea omnia quæ pro Prælatis in Missali expressa sunt, & non aliis indumentis Pontificalibus, præter Crucem pectoralem, & annulum, vtetur, quæ duo etiam parantur super altare.

4. Altare quoque in quo celebrat sit mundis tobaleis & pallio conuenienti ornatum pro qualitate festorum & temporum. Nam in festis solemnibus conuenit vt sint super illud quatuor candelabra cum totidem cereis, & in eorum medio Crux, argentea vel ex alia materia: Aliis festis non ita solemnibus, & feriis sufficiunt duo candelabra. Ante altare paratur fald. vbi Episcopus orat super Cussino, & postea ibi lauat manus Rochetto indutus, vno Scutifero ministrante aquam, & Capellano mappam, deposita prius Mozzeta. Conuenit vt capiat paramenta nudo capite, quia dicit Orationes ad singula paramenta. Manipulum capit dicto *Indulgentiam*, nisi in Missis Defunctorum. Si dicat *Gloria in excelsis* dicit *Pax vobis*.

5. Præfati duo Capellani seruient ei in Missa hinc inde in respondendo, in transferendo librum, cooperiendo & discooperiendo Calicem, cùm opus est, in porrigendo mantili (non enim scutiferi illud ministrare debent, vt multi abusiuè directè contra Cæremoniale) cùm lauat manus, deferendo Calicem post Offertorium de Credentia ad altare, (si iam fortè non est super illud, quod non decet) cùm paramenta Episcopi sint extensa ante Missam in medio ipsius altaris. Item vnus eorum seruit in ministrando candelam, si ea vti velit Episcopus vt decet.

6. Si erunt tres Capellani, poterunt duo iuniores ex iis ad eleuationem *SS. Sacramenti* post Episcopum celebrantem genuflexi à latenbus

sustinere duo funalia accensa, tertius verò dignior Episcopo assistere, & cùm opus est, tintinnabulum tangere ad *Sanctus*, & ad eleuationem. Cùm autem Episcopus surgit à genuflexione, conuenit vt hic Capellanus & alter eius socius, si adsit, adiuuent eum sustentantes brachia eius, & cùm ascendit ad altare, conuenit etiam vt vnus, relambo aliquantulum eleuent anteriores partes vestimentorum eius.

7. Si verò non adsint tres Capellani, poterunt ad funalia supplere duo Scutiferi, aut alii familiares, arbitrio Episcopi honestè vestiti; sed & si copia nó esset eorum qui sustinerent funalia, poterunt eadem funalia seu cerei maiores positi super duobus candelabris magnis, ad eleuationem, accendi, & post eleuationem extingui.

8. Si fortè aliquis Prælatus, Cardinalis, aut Princeps huiusmodi Missæ interfit, primus ex dictis Capellanis, dicto ab Episcopo *Agnus Dei*, sumpto pacis instrumento cum velo appenso, genuflexus ad dexteram Episcopi illud ipsi offert osculandum, cui Episcopus dicit *Pax tecum*, & illi respondet *Et cum Spiritu tuo*, tum idem instrumentum cum pace portat osculandum Prælato vni, aut pluribus, aut Principibus præsentibus dicens *Pax tecum*, cui etiam respondent *Et cum spiritu tuo*, sed aduertat, vt nullatenus genuflectat, nec vllum signum reuerentiæ faciat alicui ex iis, antequam instrumentū porrexerit osculandum, sed tantùm post illud osculatum, quia tunc non habetur ratio ministri, sed pacis quæ à sacrificio altaris ad illum defertur, postea verò vel illis genuflectit, vel se inclinat.

9. Liber Euangelii nemini etiam defertur osculandus quicumq; sit, celebrante Episcopo, sed si adsit aliquis Cardinalis, vel Princeps maximus, potest dari alius liber, non verò vnquàm liber Episcopi.

10. Epi-

10. Episcopus bis manus lauat, scilicet post Offertorium, & post Communionem, semper Scutifero ministrante aquam, & pelum, & Capellanis mantile; lauat tamen etiam manus prius ante Missam.

11. In fine Missæ Episc. celebrans si non pro Defunctis celebret benedicit dicens *Sit nomen Domini &c.* non vrens baculo, nec Mitra, nec Cruce, si sit Archiepiscopus.

12 Finita Missa deponit sacra paramenta etiam ante Altare in infimo gradu, & ibi super cussino gratias agit.

13. Ministri seu Capellani genuflectunt ad Confessionem, ad Eleuationem & communionem: Minister qui est à sinistris dat ei manipulum post *Indulgentiam*. Alii omnes genuflectunt in tota Missa præterquam ad Euangelium.

14 Alia omnia Episcopus celebrans seruat prout alii Sacerdotes iuxta Rubricas Missalis.

15. Mozzeta, dum Episcopus celebrat in sua Diœcesi, ponitur expansa super faldistorio, ita vt eius Capitium sit versus Altare, & ora eius circùm circa defluant & ibi etiam ponitur eius biretum; extra Diœcesim mantelletum eius ponitur plicatum super aliqua mensa vel alio loco congruo.

FINIS.

DECRETA ET STATVTA

MAXIMILIANI HENRICI

ARCHIEPISCOPI ET PRINCIPIS Electoris Colonienſis,

DE TRIPLICI VICARIO GENERALI, & cuiuſque officio ac poteſtate.

MAXIMILIANVS HENRICVS DEI & Apoſtolicæ Sedis Gratiâ Electus & Confirmatus S. Colonienſis Eccleſiæ Archiepiſcopus, S. Romani Imperij Princeps Elector, & per Italiam Archicancellarius, ac dictæ Sedis Legatus Natus: Epiſcopus ac Princeps Leodienſis, & Hildesheimenſis: Adminiſtrator Berchteſgadenſis, Vtriuſque Bauariæ, nec non ſuperioris Palatinatus, VVeſtphaliæ, Angariæ, & Bullionis Dux, Comes Palatinus Rheni, Landtgrauius Leuchtenbergenſis, Marchio Franchimontenſis: Comes Loſſenſis, & Hornenſis &c. Venerabili Clero, & uniuerſis ac ſingulis Chriſti fidelibus Ciuitatis & Archidiœceſis Noſtræ Colonienſis ſalutem in Domino ſempiternam.

CAPVT I.

CVm ex iniuncti Nobis Archiepiſcopalis muneris debito, ob quamplurima, eaque, quorum mole aſſiduè premimur, grauiſſima negotia, qui ſpiritu- *Epiſcopo nimis occupato licet exequa-*

alia per tres Generales Vicarios, Suffraganeum, Vicariũ in spiritualibus & Officialem, quorum gesta censẽtur esse Episcopi.

nequaquam per Nosmetipsos simus sufficientes omnibus; Spiritualibus autem comprimis intendere, potissimùm Nostrum sit studium & conatus, Generales tres, ut Vicarios, qui in partem oneris Nostri Archiepiscopalis per Ciuitatem & Archidiœcesin Nostram Colonienſem succedant, constituamus, sacri Nobis Canones & iura permittunt. Primus horum in Pontificalibus vices Nostras gerens, vsitato passim nomine Suffraganeus. Alter qui Spiritualia curat, recepto loquendi more simpliciter Vicarius in Spiritualibus. Tertius qui præcipuè intendit causis fori contentiosi, proprio nomine Officialis appellatur.

c. potest quis per alium 68. & c. qui facit per alium 72. de reg. iur. in 6. l. 1. §. penult de procur. Et cum singuli Officium, quod Episcopo constituenti Ordinario iure competit, ipsius vice & nomine exerceant, eandem cum illo Ordinariam in suo vnoquoque munere iurisdictionem participant, sicut colligitur *ex c. inter cætera de Offic. Iud. Ord. c. cum Episcopus eod. tit. in 6. l solet 16. cum seq. vbi gloss & DD. ff de iurisd. omnium iudic. Riccius in praxi Resolut. 199. Zoesius comment. in lib. 1. Decretal tit. 28. n. 10. & 11. & Rota diuers. part. 2. decis. 297 & apud Seraph. decis. 1057. n. 5* De Vicario enim in Pontificalibus Generali seu Suffraganeo patet *ex c. quoniam in plerisque vbi gloss & DD. verbo Vicarium de Offic. ind. Ord. & c. si Episcopus de Præb. in 6.* De Vicario autem in Spiritualibus Generali *ex c. in nona 16. q. 7. c. cum nullus de temp. Ord. in 6. & c. cum in generali de offic. Vicarij eod. 6.* De Officiali denique *ex c. 2. de consuet. in 6. citato c. cum nullus; item ex c. licet vbi gloss. verb. Officialem. c. cum in generali de Offic Vicarij in 6. Clement. 2. de rescript. iuncta glossa ibidem verbo Officialis.* Debent autem singuli limites suæ potestatis obseruare, non egredi, nam aliàs factum non teneret, *Zoesius loco citato n. 10.*

Eorum facultates ha-

§. 2. Et quanquam trium istorum Vica-

riorum

riorum poteſtates proprijs officijs & dignitatibus diſcretæ ſint, iura etiam decernant, quantum cuique Generali Vicario iuriſdictionis competat, neque Nos maiorem Noſtris Vicarijs in vtroque foro iuriſdictionem tribuere, quàm iure ordinario ipſis competere debeat, prohibeamur: quia tamen annis ſuperioribus non rarò fuit animaduerſum, ex non ſatis diſcriminata ſingulorum facultate confuſas iuriſdictionis actiones, nimias functionum dilationes, animorumque offenſiones, præter Noſtram intentionem, interdum fuiſſe ſubortas. Hinc Nos poſt hac incommodis eiuſmodi occurrere cupientes, omninò volumus cuiuſque Vicariatus vnicuique, cùm in foro interno, tum externo, voluntario & contentioſo, tam à iure communi, quàm à Nobis tributam iuriſdictionis poteſtatem diſtinctam eſſe, illamque integram, intactam & illæſam ſeruari.

Genus confuſa, declarantur & diſtinguuntur.

§. 3. Quod vt clariùs omnibus & ſingulis, ad quos ſpectat, conſtet, declaramus & præſentium tenore decernimus, ea omnia competere Vicario Noſtro in Pontificalibus Generali, quæ ſunt Pontificalia, quæ item verſantur circa poteſtatem ac miniſterium Ordinis & dignitatis Epiſcopalis, vel eiſic connexa & coniuncta ſunt, vt quocunque tandem modo ex eo pendeant: cuiuſmodi ſunt; quarumcunque Ciuitatis & Archidiœceſis Noſtræ Colonienſis Eccleſiarum, tum Metropolitanæ, tum Collegiatarum, Parochialiumque & quorumuis Ordinum Regularium, tam virorum, quàm mulierum, & aliorum quocunque nomine cenſentur locorum piorum; Altaria, Cali-

Ad Vicarium quidem in Pontificalibus Generalem ſpectãs exercitia Ordinis & dignitatis Epiſcopalis, vti Eccleſiæ Altaria, Calices, Patenas & Cãpanas conſecrare, atque indulgentias elargiri

ces, Patenas, Campanas, atque ipsasmet Ecclesias consecrare: nec non ratione muneris sui Episcopalis Indulgentias vnius anni in ipso die Dedicationis seu Cõsecrationis cuiusque Ecclesiæ vel Altaris, & in die Anniuersario Consecrationis huiusmodi (sicut & aliam ob causam iustam, atque in casibus Episcopo iure Ordinario permissis) quadraginta dierum Indulgentias elargiri.

c. perlectis §. ad Episcopum dist. 25. c. quamuis dist. 68. c. quanto vbi gloss. verb. reseruata & Abb. n. 2. & 3. de consuet. c. transmissam vbi gl. fin. de elect. c. aquavbi gloss. verb. iurisdictionis & Abb. num. 2. 4. & 7 de consec. Eccl. c. accedentibus vbi. Abb n. 2. de excess. Prælat. c. cum ex eo §. adhæc & c. vbi Abb. n. 5. de pœnit. & remiss. c 1 & fin eod. tit. in 6. vbi Fran. n. 4.

Ecclesias & Capellas de nouo exstruere & destruere, atque exstructas benedicere, & in Altari portali celebrandi licẽtiam impertiri.

§. 4. Item quaslibet Ecclesias, Capellas, Oratoria, Altaria, ac loca pia de nouo ædificandi, eademque si ruinam minentur, vel in meliorem sint reducenda formam, vel in commodiorem locum transferenda, demoliendi: Ecclesias quoque, Capellas, & Oratoria recens ædificata & nondum consecrata iuxta regulam in Rituali Romano positam benedicendi, nec non in Ecclesijs huiusmodi Capellisque & Oratorijs super Altari portatili consecrato sanctissimum Missæ Sacrificium, si cubi id exegerit necessitas, & ad breue tempus, celebrandi, diuinaque ibidem Officia peragendi facultatem dare.

Rituale Rom. tit. Ritus benedicendi nouam Ecclesiam.

Loca sacra violata reconciliare.

§. 5. Adhæc Ecclesias & loca sacra, aut illis annexa, si quæ violari contingat, reconciliare.

Cœmeteria, Cruces, Ima-

§. 6. Cœmeteria, Cruces, Imagines, Corporalia, Tabernacula, qualiacunque tegumen-

gumenta, ornamenta, paramenta & indumenta Eccleſiaſtica, ac quæuis alia vaſa & vtenſilia ad diuinum cultum peragendum neceſſaria benedicere, eaque benedicendi, atque violata loca reconciliandi licentiam, quibuſdam idoneis ac probatis Sacerdotibus, ſecundùm poteſtatem à Sede Apoſtolica Nobis peculiariter factam, ac de expreſſa ſummi Pontificis voluntate à Nobis eidem Noſtro Suffraganeo communicatam, atque Pontificalis ac Ritualis Romani normam vice Noſtra & Apoſtolica Nobis attributa & vt ſuprà dicto Suffraganeo Noſtro communicata auctoritate concedere.

gines, & quæuis ornamenta, paramenta, & vtenſilia Eccleſiaſtica benedicere.

§. 7. Item facta electione quorumcunque Abbatum & Abbatiſſarum, quibus Archiepiſcopali Noſtra auctoritate Ordinaria impendendum eſt confirmationis munus, electionis formam & actum, atque electæ perſonæ habilitatem, fidem, ætatem, vitam, mores, prudentiam, & alias qualitates requiſitas ex præſcripto Sacrorum Canonum, Concilijque Tridentini & Conſtitutionis fel. rec. Gregorij huiuſce nominis XIV. Papæ diligenter examinare, explorare, inquirere & diſcutere, ac deinde ſi, præmiſſa per ſe diligenti examinatione huiuſmodi & diſquiſitione, ritè omnia confecta, & ipſa perſonam electam dignam eſſe & idoneam atque à Nobis confirmationis literas obtinuiſſe compererit, eandem, iuxta ritum in Pontificali præſcriptum, benedicere.

Electorum Abbatũ & Abbatiſſarũ qualitates examinare, eoſq; poſt impetratam Confirmationem, benedicere.

c. venerabilem de elect. eſt enim, *inquit ibi text.* regulariter & generaliter obſeruatum, vt ad eum examinatio perſonæ pertineat, ad quem impoſitio manus ſpectat *& colligitur ex eo. nihil eſt de electo c. indemnitatibus eod. tit. in 6. gloſſ. fin. in c. cum ex iniuncto de hæret. c. ſi Epiſcopus vbi gloſſ. de præb. in 6.*

Concil. Trid. sess. 23. de reform. cap. 7. 11. & 12. sess. 25. de Regul. cap. 6. & 7. Gregorij Papæ XIV. constit. 6. Bullarij tom. 2. Concil. prouinc. Colon. sub Hermanno 5. part. 1. cap. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23. & seq.

Sacra olea benedicere.

§. 8. Quintâ feriâ Cœnæ Domini Oleum Catechumenorum & Infirmorum benedicere, Chrisma conficere.

Primam Tonsuram, minores & maiores Ordines conferre; Ordinandos examinare, super interstitijs, Irregularitatibus, suspensionibus, & defectu natalium dispensare.

§. 9. Primam itidem Tonsuram, omnes, etiam sacros ac Presbyteratus Ordines aptis & idoneis personis conferre, Ordinãdos examinare, admittere, vel reijcere; eorundem qualitates & dotes, vitia, ac defectus animi seu corporis cognoscere, & dijudicare, super interstitijs à sacro Concilio Tridentino præscriptis, nec non irregularitatibus & suspensionibus ex delicto occulto, non tamen homicidio voluntario, prouenientibus, & cum eo, qui defectum patitur natalium, ad Clericalem Tonsuram & quatuor minores Ordines, iuxta communis iuris & eiusdem Concilij Tridentini dispositionem, dispensare.

Concil. Trid. sess. 23. de reform. cap. 7. 11. 13. & 14. & sess. 24. de reform. cap. 6. c. 1. de filijs Presbyt. in 6.

Super defectu ætatis vnius anni ad Presbyteratum dispensare: hæreticos, eorumq; filios conuersos Ordinare: extra tempora, & non seruatis interstitijs, omnes etiam

§. 10. Insuper, vt necessitatibus Ecclesiarum Ciuitatis & Archidiœcesis Nostræ Colonien sis circa ministrorum idoneorum penuriam meliùs prospiciatur, cum Clericis Nostris subditis super defectu ætatis vnius anni, vt ad Presbyteratum promoueri possint; nec non cum hæreticis, atque etiam cum hæreticorum filijs eiusdem Ciuitatis vel Archidiœcesis Nostræ subditis, præuiâ tamen hæresum abiuratione iudiciali, sanctæ Matri Ecclesiæ reconciliatis, vt ad sacros etiam Presbyteratus Ordines, si aliàs idonei sint, nec aliud Canonicum ijs obstet impe-

impedimentum, promoueri poſſint, diſpenſare. Item quatuor minores & ſacros Subdiaconatus, Diaconatus & Presbyteratus Ordines, extra tempora ad id à iure ſtatuta, & non ſeruatis interſtitijs, Clericis pariter Noſtris ſubditis conferre, iuxta peculiares à Summo Pontifice in Congregatione Generali ſanctæ Romanæ & vniuerſalis Inquiſitionis facultates Nobis conceſſas, & de expreſſa eiuſdem Pontificis Maximi voluntate à Nobis dicto Suffraganeo Noſtro communicatas.

Presbyteratus Ordines conferre.

§. 11. Ab Ordinandis fidei Catholicæ profeſſionem iuxta formulam à Pio IV. Summo Pontifice fel. mem. præſcriptam, per ſe, vel alium à ſe deputatum, recipere.

Ab Ordinandis fidei profeſſionem recipere.

Pij Papæ 4. conſtitut. 89. Bullarij tom. 2.

§. 12. Literas item dimiſſoriales quibuſuis Noſtris Archidiœceſanis Colonienſibus, qui ab alieno Epiſcopo petunt Ordinari, concedere. Nam quemadmodum, ex Apoſtolicæ ſedis delegatione & expreſſo Noſtro conſenſu ius & poteſtas Ordinandi cunctos Ciuitatis & Archidiœceſis Noſtræ Colonienſis ſubditos Ordinis capaces, tam Seculares, quàm Regulares, quantumuis exemptos, eſt penes Noſtrum in Pontificalibus Generalem Vicarium, tanquam ordinarium miniſtrum Sacramenti Ordinis ex vi & poteſtate ſui officij; ita ad eundem quoque Noſtrum in Pontificalibus Vicarium vel maximè ſpectat, literas dimiſſorias dare ijſdem Noſtris ſubditis Archidiœceſanis, qui ab alio Epiſcopo petunt Ordinari: is enim rectè poteſt dimiſſorias literas concedere,

Literas dimiſſorias ad Ordines ab alieno Antiſtite accipiendos concedere.

dere, qui & licitè ordinare valet; cùm eiusdem sit potestatis Ordinare, vel literas dimissorias concedere. Quare nemo Ciuitatis aut Archidiœcesis Nostræ prædictæ, vel Secularis vel Regularis etiam quantumcunque exemptus, ad Primam Tonsuram aut Ordinem aliquem ecclesiasticum coram alieno Episcopo se præsentet, nisi de speciali Nostra, Nostriue Vicarij in Pontificalibus Generalis licentia in scriptis obtenta: neque etiam qui alterius Diœcesis est, Nostro in Pontificalibus Vicario præsentetur absque Antistitis sui Diœcesani vel eius Vicarii in Pontificalibus Generalis litteris dimissorialibus, in quibus ipsius natales legitimi ex Catholicis parentibus, Baptismus, Confirmatio, Ætas, Honestas siue famæ integritas, Doctrina, Titulus, cæteræque qualitates ad ecclesiasticos Ordines suscipiendos necessariæ commendentur. Literæ verò dimissoriæ ab alio, quàm à proprio Ordinario Diœcesano seu eius Vicario prædicto impetratæ nullius sint roboris seu momenti; easque concedens contra Concilij Trid. decreta, ab officio & beneficio per annum suspensus sit: nisi à Capitulo Cathedrali post annum à die vacantis sedis Episcopalis, aut infra eum annum, vbi ecclesiastici beneficij recepti, aut recipiendi occasione Ordinandus fuerit arctatus.

c. nullus c. quando dist. 24. c. quoniam in plerisque vbi gloss. verbo Vicarium, de offic. Iud. Ord. c. si Episcopus de Prab. in 6, & explicatiùs Conc. Prouinc. Colonien. locis suprà citatis. Menoch. de arbitr. iudic. cas. 222 n. 9. Tiberius instruct. Ordinand. cap. 7. quæst. 51. vers. quod si absente &c. gloss. fin. in c. cum nullus de temp.

Orde-

Ord. in 6. Rota apud Seraphinum deciſ. 985. n. 3. c. cum nullus. c. nullus de temp. Ord. in 6. Cone. Trid. ſeſſ. 7. de reform. c. 11. & ſeſſ. 23. de reform. c. 3. 8. & 10. Conc. Trid. ſeſſ. 7. de reform. c. 10. & cit. ſeſſ. 23 c. 10.

Quod nec Vicario in Spiritualibus Generali, aut Officiali, vel cuiquam alteri licet.

§. 13. Cùm autem crebrò compertum ſit nonnullos ex Ciuitate vel Archidiœceſi Noſtra Colonienſi indoctos, ac vitæ non ſatis probatæ, nec alijs requiſitis à ſacris Canonibus & Oecumenico Concilio Tridentino dotibus & qualitatibus præditos, fuiſſe Ordinatos; alios verò vt Generalis Noſtri Colonienſis in Pontificalibus Vicarij inquiſitionem & examen ſubterfugerẽt, quin & minus idoneos, rudes & ignaros, ab eodem Noſtro in Pontificalibus Vicario, tanquam inhabiles & indignos reiectos, Dimiſſorias literas varijs modis extorſiſſe; atque earum prætextu in exteris Diœceſibus ſacros Ordines furtiuè & interſtitijs minimè ſeruatis ſuſcepiſſe: vnde grauia plerumque nata ſunt incommoda & offendicula, cùm ſic doloſè vitioſèque Ordinati, nec diuina officia peragere, nec eccleſiaſtica Sacramenta rectè valuerint adminiſtrare. Nos pro Officij Noſtri debito tantis de hinc malis obuiare volentes, ſeuerè prohibemus Colonienſi Noſtro tum Officiali, tum Vicario in ſpiritualibus Generali, tum alijs omnibus, ac ſingulis vbiuis locorum Archidiœceſis Noſtræ Colonienſis, conſtitutis Officialibus, Vicarijs, Commiſſarijs atque miniſtris quocunque nomine vocentur, aut vice Noſtra fungantur munere, ne illorum quiſpiam deinceps vlli Ciuitatis vel Archidiœceſis Noſtræ Colonienſis ſubdito, quãtumlibet exempto litteras dimiſſorias ad

Primam Tonſuram, eccleſiaſticum ue Ordinem ſeu minorem ſeu maiorem ab alieno Epiſcopo ſuſcipiendum, quantumuis graui ac legitimâ causâ vrgente, concedat; neque etiam Archidiœceſanorum Noſtrorum Colonienſium quemquam permittat ab alieno Epiſcopo Ordinari, niſi habitis prius à Nobis ſeu Generali Noſtro in Pontificalibus Vicario literis dimiſſoriis. Inſuper ſub pœna ſuſpenſionis inhibemus Archidiœceſanis Noſtris Colonienſibus quibuſcunque, etiam exemptis, ne quiſquam illorum ab alieno Epiſcopo Clericalem Tonſuram vel eccleſiaſticum aliquem Ordinem accipere præſumat, abſque ſpeciali Noſtra, Noſtriue Vicarii in Pontificalibus Generalis licentia inſcriptis obtenta.

Licentia ab alieno Epiſcopo ſuſcipiendi primam Tonſuram vel eccleſiaſticum Ordinem ſeu minorem ſeu maiorem impetranda eſt à proprio Epiſcopo Diœceſano ſeu eius Vicario in Pontificalibus Generali, penes quem eſt ius licitè Ordinandi quoſuis ſubditos Diœceſanos Ordinis capaces, tum ſeculares tum regulares, exemptos & non exemptos. *c. quoniam in pleriſque de Offic. Iud. Ord. vbi gloſſ. verb. Vicarium & DD. paſſim. c. ſi Epiſcopus de præb. in 6. Conc Trid ſeſſ. 7. de reform. c. 11. ſeſſ. 14. de reform. c. 3. & ſeſſ. 23. de reform. c. 3. 8. & 10.* Vicarius autem in ſpiritualibus Generalis, item Officialis Epiſcopi, hanc poteſtatem alienum Epiſcopum adeundi, nulli ſubdito ordinando facere poteſt, cùm ad hoc ſe non extendat ipſius officium, ſicut expreſsè ait *text. in c. cum nullus de temp. ord. in 6. & gloſ in c. licet de Officio Vicarij eodem 6.* nec etiam Archidiaconus *c. ſignificaſti. de offic. Archid.* is enim Ordinario iure poteſt dimiſſorias literas dare, qui & licitè otdinare valet. *Gloſſ. fin in d. c. cum nullus*; cum eiuſdem ſit poteſtatis ordinare, vel literas dimiſſorias concedere. *Ita Rota apud Seraphinum deciſ. 985. n. 3.*

§. 14.

Ad eundem Suffraganeũ ſpectat Sacramenta omnia Eccleſiaſtica miniſtrare.

§. 14. Prætereà ad Vicarium Noſtrum in Pontificalibus Generalem pertinet Sacramenta Baptiſmi, Confirmationis, Pœnitentiæ, Euchariſtiæ, Extremæ Vnctionis, quibuſuis Ciuitatis & Archidiœceſis Noſtræ Colonienſis perſonis, vbi, quando, & quoties expedire ſibi videbitur, miniſtrare, & earundem Matrimoniis aſſiſtere.

A caſibus reſeruatis abſolnere.

§. 15. A caſibus Nobis quomodolibet reſeruatis pœnitentes abſoluere.

Horas Canonicas & Miſſæ Sacrificium Pontificaliter celebrare.

§. 16. Similiter ſacroſanctum Miſſæ Sacrificium, maioresque & minores Horas Canonicas, quæcunque alia diuina officia ſolenni & Pontificali ritu in Eccleſiis & locis Ciuitatis & Archidiœceſis Noſtræ Colonienſis, in quibus id ad maiorem Dei glotiam, animarumque conſolationem & profectum ſpiritualem pertinere iudicauerit, celebrare ac decantare; populo ſolenniter ac Pontificaliter benedicere.

Conc. Prouinc. Colon. ſub Hermanno 5. par. 7. cap. 37. pag. 384.

Publicè & priuatim prædicare.

§. 17. De rebus diuinis, tum ad Clerum, tum ad populum publicè ac priuatim, prout occaſio & neceſſitas poſtulabit, ad pectora auditorum inflammanda, & in mentibus illorum Dei timorem, amoremque ingenerandum, verba facere; cæteraque omnia ac ſingula alia munera Pontificalia, etiam quæ notã aut expreſſionem magis ſpecialem requirerent, nec cenſerentur comprehenſa ſub generali huiuſmodi Noſtra declaratione & decreto, erga perſonas alioquin habiles & idoneas exercere, obire &

peragere, iuxta Pontificalis Ritualisque Romani & Cæremonialis Episcoporum præscriptum.

Consilio Ecclesiastico præsidere.

§. 18. Volumus etiam, vt Generalis Noster in Pontificalibus Vicarius pro tempore existens à fel. mem. Ernesto & Ferdinando Archiepiscopis & decessoribus Nostris Præses Consilij Nostri Ecclesiastici Colonienſis constitutus, idem Consilium, quoties videbitur, conuocet, occurrentes causas & supplicationes Consiliariis ad deliberandum clarè proponat, suffragia singulorum exquirat, & iuxta illorum potiorem partem concludat, concluſa executioni demandari curet: iis tamen, quæ maioris fuerint momenti, ad Nos priùs relatis. Absente autem Nostro in Pontificalibus Vicario, alius ab ipso ex Consiliariis Nostris Ecclesiasticis substitutus eo tempore suppleat eius vices, atque prædicta perficiat.

Denique sicuti Suffraganeum ob Episcopalem qua præminet, Dignitatem, ab omnibus honorari par est, ita & ornamentis, atque insignijs Pontificalibus vbique decorari.

§. 19. Porrò cùm ex grauissimo Tridentini Concilii decreto, tum Cæremonialis Episcopalis præscripto Episcopis quibuscunque seriò præcipiatur, vt tam foris, quàm in Ecclesia gradum suum & Ordinem præ oculis habentes, vbique se Patres & Pastores esse meminerint, nusquam autem ita indignè se demittant, vt, qui Patrum locum tenent, ministrorum munus subire videantur, reliquis verò tam Principibus, quàm cæteris omnibus, vt eos paterno honore ac debitâ reuerentiâ prosequantur, ibidem inculcetur, non tantùm fas est, quia sacris Canonibus, Conciliis generalibus, atque diuersis aliis Apostolicis Sanctionibus, ad Episcopalis dignitatis decorum & grauitatem

tatem pertinentibus inhærentes cenſemus, & hoc Noſtro decreto declaramus eundem Noſtrum in Pontificalibus Vicarium tanquam ad vniuerſitatem cauſarum & officiorum Pontificalium in Ciuitate & Archidiœceſi Noſtra Colonienſi exercendorum, de ſpeciali conſenſu Noſtro, Apoſtolicâ auctoritate delegatum, atque adeò Ordinariâ de iure communi iuriſdictione ſiue poteſtate præditum, per eandem Ciuitatem & Achidiœceſin Noſtram & in quibuſuis Eccleſiis & locis, qualiacunque præeminenti dignitati Epiſcopali competentia indumenta, ornamenta, paramenta & inſignia publicè & priuatim geſtare; Mitrâ & Baculo Paſtorali in functionibus ſuis Epiſcopalibus vti: vniuerſis item & ſingulis iuribus, honoribus, prærogatiuis ac præeminentiis, quibus Epiſcopi Titulares aliorum Epiſcoporum Vicarii in Pontificalibus Generales, atque alii Antiſtites extra Romanam curiam, in aliena Diœceſi de iure, vſu, & conſuetudine reſpectiuè vti, frui, & gaudere poſſunt & debent, pari modo liberè ac licitè vti, frui, & gaudere poſſe & debere, ſingulis noſtris ſubditis Noſtrâ, reliquis verò Concilii Tridentini auctoritate mandantes, vt antedictum Noſtrum Epiſcopali dignitate præfulgentem Vicarium paterno quoque honore ac debitâ vbiuis reuerentiâ proſequantur; nec ipſe ſtatus ſui oblitus, Pontificiam ſuam dignitatem indecenti quadam demiſſione, & debiti habitus neglectu labefactet, dedecoret, vel dehoneſtet.

Conc. Trid. ſeſſ. 25. de reform. c. 17. Carem. Epiſc. lib. 1. c. 4. pag. 17. col. 2. & ſeq. c. Epiſcopus in Eccleſia diſt. 95.

o. quis dubitet. cap. duo sunt, cum seq. dist. 96. & solita de maior. & obed. Menoch. cons. 52. num. 59. 88. 89. 90. 91. & seq. Rota apud Caputaquen. par. 1. decis. 307. num. 1. 3. & 4. c. quoniam in plerisque de officio Iud. Ord. vbi gloss. & Hostien. verbo vicarium diserte aiunt Episcopum alterius Episcopi Vicarium in Pontificalibus Generalem seu Suffraganeum habere ordinariam iurisdictionem siue potestatem: *& colligitur ex c. si Episcopus de Præb. in 6.* Quod Episcopus, cui in aliena Diœcesi Episcopalia munia obire Apostolica autoritate conceditur, vti possit Mitrâ & Baculo Pastorali, expressè habetur *in Cær. Episc lib. 1. cap. 17. pag. 93. col. 1. in fin & col. 2.* Differentiam vero Baculi Episcopalis à Baculo Abbatiali *vide apud Gauant. in Rubr. miss. par. 1. tit. 19. sub n. 3. lit. E. & par 2. tit. 1. sub n. 6. lit. X. pag. 96. col. 1. circa med.*

CAPVT II.

Ordinariæ autem Vicarij in Spiritualibus Generalis potestatis est, quascumque Collegiatas, Capitula, Parochiales, aliasq; Ecclesias & personas, atque vtriusq; sexus Monasteria hospitalia, & Confraternitates visitare, Prælatorum & aliorum

§. 1. ALia verò quàm suprà dicta spiritualis Iurisdictionis exterioris & interioris exercitia, quæ nullum ordinarium Iuris processum, neque Iudicem pro tribunali sedentem requirunt, Vicario Nostro in spiritualibus Generali incumbunt, vt sunt quascunque Collegiatas earumque Capitula, nec non Parochiales, cæteras quealias Ecclesias & personas, item Monasteria, Conuentus, & Ecclesias quorumuis ordinum Regularium, tam virorum, quàm mulierum, etiam Nobilium Virginum Canonissarum appellatarum Collegia, Hospitalia, Confraternitates laicorum & omnia, quocunque nomine censentur, loca pia Ciuitatis & Archidiœcesis Nostræ Coloniensis tam in capite, quàm in membris, assum-

pso

ptoſecum Notario Clerico non coniugato, vel ſaltem aliquo Presbytero, quotannis, quin etiam toties, quoties opus fuerit, tum Archiepiſcopali Noſtrâ ordinariâ, tum Apoſtolicâ Nobis à Concilio Tridentino & Apoſtolicis Conſtitutionibus delegatâ auctoritate viſitare, ac de fide, vita, moribus & regimine Abbatum, Præpoſitorum, Decanorum, Canonicorum, Parochorum, Vicariorum, Capellanorum, Sacellanorum, Officiatorum, quarumcunque perſonarum Regularium, Cuſtodum, Ludimagiſtrorum, Ædilium, Prouiſorum, reliquorumque incolarum diligenter inquirere, exceſſus ſubditorum corrigere, & delinquentes, prout qualitas exceſſus exegerit, punire, contradictores quoslibet & inobedientes ſub cenſuris & alijs pœnis Eccleſiaſticis compellere, abuſus quoſcunque tollere & abolere iuxta Sacrorum Canonum, Concilijque Tridentini, & Summorum Pontificum Conſtitutiones, implorato etiam & adhibito, vbi opus fuerit, publico brachij ſecularis auxilio.

quorumcũque defectus corrigere.

c. Inter cætera c. Conquerente de offic. iud. ord. c. cum Apoſtolus de cenſibus. c. 1 §. ſanè & ſeq. eod. tit. in 6. De modo & ſcopo viſitationis vide *Conc. Trid. ſeſſ. 24. de reform. c. 3.*

§. 2. Item Sacramenta Baptiſmi, Pœnitentiæ, Euchariſtiæ, & Extremæ Vnctionis, quibuſuis Ciuitatis & Archidiœceſis Noſtræ Colonienſis perſonis, vbi, quando & quoties ipſi Vicario Noſtro expedire videbitur, miniſtrare, earundemque perſonarum Matrimonijs aſſiſtere: eadem inſuper Sacramenta adminiſtrandi poteſtatem aliis idoneis & dignis Sacerdotibus delegare.

Sacramenta Eccleſiaſtica miniſtrare, ac matrimonijs aſſiſtere.

§. 3. Im

Denunciationes matrimoniales remittere, atque in irregularitatibus & suspensionibus dispensare.

§. 3. In proclamationibus matrimonialibus rationabili ex causa, & in irregularitatibus ac suspensionibus ex occulto delicto, non tamen homicidio voluntario, prouenientibus, iuxta Concilii Trid. decretum dispensare.

Conc. Trid sess. 24. de reform. matrim. c. 1. & eidem sess. de ref. c. 6.

A Casibus reseruatis absoluere.

§. 4. A casibus Nobis quomodolibet reseruatis Pœnitentes absoluere.

Sacerdotes ad Confessiones, & Ecclesiastica beneficia admittendos examinare & approbare.

§. 5. Quoscunque Sacerdotes ad Confessiones quarumcunque personarum sacramentaliter audiendas, cum facultate vt ab iisdem casibus Nobis reseruatis Pœnitentes suos absoluere queant; item ad prædicandum verbum Dei, promouendos quoque ad quæcunque & qualiacunque beneficia Ecclesiastica siue curata siue non curata Ciuitatis & Archidiœcesis Nostræ Colonien sis, seruatâ in omnibus ac per omnia, quoad eius calamitosissimo hoc belli & rerum statu fieri poterit, formâ Concilii Tridentini & Constitutionis sanct. mem. *Pij huius nominis V. Papæ*; examinare, probare, & reprobare.

Conc. Trid. sess. 7. de reform. c. 13. sess. 14. de reform. c. 11. & 13. sess. 24. de reform. c. 1. & 18. sess. 25 de reform c. 9. Pij Papæ 5. Constitutio 33. Bullarij tom 2.

Ad beneficia præsentatos instituere.

§. 6. Præsentationes personarum Ecclesiasticarum ad beneficia Ecclesiastica prædicta de iure patronatus existentia, per illorum patronos infra legitimum tempus, factas admittere, præsentatosque ad beneficia huiusmodi, si tamen idonei fuerint reperti, secundum sacrorum Canonum & dicti Concilii ordinationem instituere.

6, Is-

c.1. de inſtit. in 6. c. cùm ex inuncto vbi gloſſ. fin. de haret. c.1. & 2. de Capel Monach. c. cùm & plantare §. in Eccleſijs verò. de priuileg. Rota in recent. par. 2. deciſ. 243 n. 7. Zoeſius comment in lib. 1. Decretal. tit. 28. n 4.

Fidei profeſſionem à Curatis recipere.

§. 7. Profeſſionem fidei iuxta formulam ſupradicti Pij *quarti*, atque obedientiæ iuramentum, à Parochis, & Vice-Parochis recipere.

Beneficiorum permutationes, & ſimplices reſignationes admittere.

§. 8. Adhæc beneficiorum quorumcumque & officiorum Eccleſiaſticorum permutationes, quæ Canonicis Sanctionibus & Apoſtolicis Conſtitutionibus permittuntur, item ſimplices qualiumcumque beneficiorum & officiorum Eccleſiaſticorum reſignationes canonicè factas ex cauſis, quæ Conſtitutione dicti Pij V. Papæ, de beneficiorum & officiorum Eccleſiaſticorum reſignationibus per Epiſcopos & alios facultatem habentes admittendis edita continentur, recipere, admittere, atque beneficia & officia huiuſmodi ex reſignationibus ad eiuſdem Vicarii manus factis & per ipſum admiſſis vacantia, aliis Clericis dignis & idoneis, iuxta Concilii huiuſmodi prædictæque & alterius eiuſdem Pij V. Conſtitutionis diſpoſitionem, ordinariâ Noſtrâ auctoritate conferre, & de illis prouiſos in corporalem, realem & actualem poſſeſſionem beneficiorum & officiorum prædictorum immittere.

Pij Papæ 5. Conſtitutio 58. Bullarij tomo 2 c. vlt. de offic. Vic. in 6. c 1. de inſtit. in 6.

Penſiones ſuper ijs imponere.

§. 9. Penſiones ſuper beneficiis & officiis Eccleſiaſticis, in caſibus iure permiſſis, imponere.

Puellarum Religionem ingredi &.

§. 10. Quarumcunque Virginum Deo dicandarũ voluntatem tam ante ſuſceptionem

nem habitus, quàm emissionem professionis regularis, iuxta decretum Concilij Tridentini diligenter examinare, & explorare, & id genus alia voluntariæ iurisdictionis spiritualis (iis tamen omnibus, quæ ad Generalem Nostrum in Pontificalibus Vicarium, vt suprà diximus, pertinent, omninò exceptis) etiamsi talia sint, quæ sub generali hac Nostra declaratione & decreto nõ comprehendantur, nisi speciatim exprimantur, administrare, gerere ac perficere, nisi tamẽ præmissorum aliqua alicui alteri specialiter ex causis aliquando animum Nostrum mouentibus committenda esse censuerimus.

Conc. Trid. sess. 25 de Regular. c. 17.

CAPVT III.

Officiali verò ordinaria potestate cõpetit quascumq; causas controuersas cognoscere & decidere.

§. 1. EA demum, quæ sunt fori externi & contentiosi, formalemq; Iuris processum ac decretum seu Sententiam iudicialem exigunt, ad contentiosum Officialis Nostri tribunal declaramus pertinere, qualia sunt: contentiosas causas siue controuersias Ecclesiasticas & profanas, cùm ciuiles tum criminales, tũ mixtas, siue ad Procuratoris Fisci, siue ad aliorum quorumcunque instantiã moras audire, cognoscere, ac, prout Iustitia suaserit & ordo dictauerit rationis, definire; cunctaque ac singula in prædictis causis seu controuersiis & circa illas necessaria, seu quomodolibet opportuna, etiamsi talia fuerint, quæ specificã magis & expressiorẽ postulant mentionem, facere, dicere & exequi, demptis tamen illis omnibus, quæ Generali Nostro tum in Pontificalibus, tum in Spiritualibus Vicario Colonienſi & eorum cuilibet cõpetere suprà expressimus, atq; ipsis seu aliis rationabili ex causa duxerimus specialiter esse cõmittenda

c.1. de offic. iud. ord. c. tuæ de procur. c. cum nullus, de tempor. ordin. in 6. c. licet, vbi gloſſ. verb. Officialem de offic. Vicar. in 6. Clem. 2. vbi gloſſ. verb. Officialis de reſcript.

Archidiæceſani porrò omnes Vicarijs Generalibus obedire iubentur.

§. 2. Quamobrem mandamus omnibus & ſingulis Noſtris Archidiœceſanis Colonienſibus, ad quos ſpectat, & ſpectabit, quacunque dignitate, auctoritate, poteſtate & præeminentiâ fulgentibus, vt prædictis Vicarii Noſtris Generalibus in ſingulis cuiq; præſcriptis Vicariatus officiis promptiſſimè pareant & obediant, alioquin ſententias ſeu pœnas, quas iidem Vicarii, vel eorum quilibet ritè tulerint ſeu ſtatuerint in rebelles, ratas habebimus & faciemus, auctore Domino, vſque ad ſatisfactionem condignam, inuiolabiliter obſeruari. Non obſtantibus Noſtris Noſtrorumque deceſſorum ſtatutis, decretis & ordinationibus, ſi quæ ſint, aliisque in contrarium facientibus quibuſcunque. In cuius Noſtræ declarationis & decreti fidē præſentes literas manu Noſtrâ ſubſcripſimus, atque Sigilli Noſtri appreſſione communiri iuſſimus. Datæ in Oppido Noſtro Bonnæ die 26. Septembris 1651.

Maximilianus Henricus Archiepiſcopus & Elector Colonienſis.

Loco ✠ Sigilli

Vt. Georgius Paulus Strauius Epiſcopus Ioppenſis, Suffraganeus & Vicarius in Spiritualibus Generalis Colonienſis &c.

B. Holbeech.

DECRETA ET STATUTA

SERENISSIMI AC REVERENDISSIMI Principis ac Domini

D. MAXIMILIANI HENRICI,

ARCHIEPISCOPI ET PRINCIPIS Electoris Colonienſis, &c.

DE PROCESSIONIBVS, REPRÆSENTATIONIBUS, Choreis & Spectaculis Scenicis.

MAXIMILIANVS HENRICVS DEI & Apoſtolicæ ſedis gratia electus & Confirmatus ſanctæ Colonienſis Eccleſiæ Archiepiſcopus, Sacri Romani Imperii Princeps Elector, & per Italiam Archicancellarius: eiuſdem Apoſtolicæ ſedis Legatus natus: Epiſcopus & Princeps Hildeſienſis, & Leodienſis: Adminiſtrator Berchtesgadenſis: Vtriuſque Bavariæ, nec non ſuperioris Palatinatûs, VVeſtphaliæ, Angariæ, & Bullonii Dux: Comes Palatinus Rheni, Landtgravius Leuchtenbergenſis, Marchio Franchimontenſis, &c. Venerabili Clero, & univerſis ac ſingulis Chriſti-fidelibus Civitatis & Archidiœceſis Noſtræ Colonienſis ſalutem in Domino ſempiternam.

CAPUT I.

Sanctitas Proceſſionũ ac ſtationum.

§. 1. SAcræ & religioſæ Proceſſiones, cùm nihil aliud quàm ſupplicantis cætus ſacro cum Ritu & Cæremonia ambulationes, tam in Veteris quàm nouæ legis

væ legis institutis fundatæ sint, supplicationes, & à præcipua, quæ in earum quibusdam adhibetur, Cæremonia, Theophoria, Litania, vel Staurophoria, dici solent supplicationes ab humili demissoque procedentium habitu, corporis demissionis internæ indice; Theophoria à Sanctissima Eucharistia; Staurophoria, à Sanctæ Crucis signo, vel Dominicæ Passionis instrumentis deportatis; Litania, à Sanctis invocatis nominatur. His accedit subinde Statio, cùm inter procedendum certo loco ad solennem aliquam Cæremoniam procedentium mentes varietate quadam sacra excitantur, ne continuâ ambulatione fessi obtorpescant. Hæc nomina æquè ac res per ipsa significatas ex antiquissimo Sanctorum Patrum instituto Catholica suscepit Ecclesia, vel ad inflammandam fidelium in pœnitentiæ operibus pietatem, vel ad commemoranda Dei beneficia, eique gratias agendas, vel ad Divinum auxilium implorandum; ideoque uti consuevit, & qua par est reverentia ac pietate celebrari debent; continent enim magna ac divina mysteria, & salutares Christianæ pietatis fructus, quos eas piè exequentes à Deo consequuntur, de quibus fideles præmonere & erudire, quo tempore magis opportunum fuerit, Parochorum, Vice-Parochorum, Concionatorum, & Catechistarum est officium. Qui licet omnibus hominibus in genere Sanctitatem Processionum suadere possint, speciatim tamen memores erunt modestiæ ac verecundiæ humanæ, neque Virgines ad eas, nisi intra Civitatem suam, nunquam certè ad remotiores, ob pericula, invitabunt, monente tum prudentium usu, tum S. Hieronymo scribente Virgini; *Rarus, inquit, sit egressus in publicum. Martyres tibi quærantur in cu-*

in cubiculo tuo. Nunquam deerit causa procedendi, si semper, quando necesse est, processura sis.

Cæremon. Episc. lib. 2. cap. 32 Rituale Rom. tit. de Processionibus §. Publica, & c. S. Hieronymus ad Eustach. de Custod. Virgin.

Ea sunt ordinariæ.

§. 2. Processiones duplices sunt, alteræ statæ seu ordinariæ, alteræ imperatæ seu extraordinariæ, Prioris generis certis fixisq; diebus per anni circulum in festo Purificationis Beatissimæ Mariæ semper Virginis, Dominica Palmarum, in festo S. Marci, quæ Litaniæ majores vocantur, ac triduo ante Ascensionem Domini, quæ Litaniæ minores & rogationes nuncupantur, nec non festo SS Corporis Christi, vel aliis diebus pro consuetudine particularium Ecclesiarum, etiam Regularium Ordinum hactenus toleratæ seu permissæ, quæ nullo Ordinario Diœcesano contradicente obeuntur.

c. quando ubi gloss. verb. ad Litanias. dist. 38. c. Rogationes de consecrat. dist. 3. Cæremon. Episc. lib. 2. cap. 32 & 33. Rituale Rom. loco citato §. Processiones autem quædam & c. & quædam verò, & c. Concil. Provinc. Colon. sub Herman. 5 Archiepisc part. 9. cap. 7. & 8. pag. 390.

Vel extraordinariæ.

§. 3. Posterioris generis sunt illæ, quæ ratione obortæ necessitatis ad placandum Deum, vel ad divinam opem implorandam, vel in gratiarum actionem, jussu seu decreto Ordinarii Diœcesani indicuntur. Non verò illæ, quæ absque certa scientia & consensu Ordinarii Diœcesani ab aliquo Parocho, Vice-Parocho, vel Ordine regulari, seu superiore Ordinis talis, quovis pietatis colore, instituuntur, uti ampliùs infrà declarabitur.

Potestas indicendi & Ordinarii dicas.

§. 4. Cùm igitur Episcopi Diœcesani sit indicere, quando, quò, & quà, tam Ordinariæ quàm Extraordinariæ Processiones institui, dirigi,

dirigi, quasvè ad Ecclesias nominatim perduci debeant. Laicis autem quibuscunque etiam jure civili Processiones publicas sine Ordinarii Diœcesani licentia & consensu imperare sit interdictum. Nos sanctionibus Apostolicis, & Sacræ Congregationis Cardinalium declarationibus inhærentes, omnibus & singulis Civitatis & Archidiœcesis Nostræ Abbatibus, Præpositis, Archidiaconis, Decanis, tam Collegialibus, quàm Ruralibus, Pastoribus, Vice-Pastoribus, & quorũcunque Ordinum Provincialibus, Prioribus, Guardianis, & aliis quovis nomine nuncupatis Ecclesiarum seu Ordinum Regularium superioribus, & aliis personis quibuscunque sæcularibus ac Regularibus, etiam quovis exemptionis à Diœcesani jurisdictione privilegio munitis, severissimis sub pœnis arbitrio Nostro imponendis prohibemus, ne illorum quisquam ullam prorsus extraordinariam Processionem, supplicationem, vel Stationem in Archidiœcesis Nostræ Urbe, Oppido, Pago vel agro extra suæ Ecclesiæ seu Monasterii septa, foris; multoque minùs Peregrinationem cum Processione, seu Processionem cum Peregrinatione unquam & usquam, sine expressa Nostra, Nostrivè Vicarii in Spiritualibus Generalis Licentia, instituere seu obire audeat.

Declarationes Cardinalium interpretum Concil. Trid. sess 5. de Regular cap. 13. Suprà part. 1. tit. 4. cap. 1. §. 4.

Necessitas comparendi in eu.

§. 5. Contrà sciant omnes prædicti, quantumvis exempti, tam Clerici sæculares in Civitate vel Archidiœcesi Nostra, qui beneficiis, seu officiis Ecclesiasticis gaudent, quàm Regulares quicunque, etiam Monachi, Sacerdotes quoque, qui Ecclesiis Religionis Ordinis

S. Joan-

S. Joannis Hieroſolymitani inſerviunt, ſe ad Publicas Proceſſiones ordinarias vel extraordinarias ex quacunque cauſa, Ordinaria Noſtra auctoritate Archiepiſcopali indictas, vocatos, accedere debere; & contumaces juſſu Noſtro pœnis arbitrariis, aliisque Juris remediis, quod vocati comparere detrectent, puniri poſſe; iis tantùm exceptis, qui ſeptis ſuis arctiùs clauſi perpetuò vivunt; vel quos ſedes Apoſtolica excipit, quique ultra medium milliare Italicum à Civitate ſeu loco Proceſſionis abſunt: hi enim ad Proceſſiones quaſcunque minimè ſunt compellendi, juxta Concilii Tridentini Decretum, ac deſuper editas ſacræ Congregationis Cardinalium declarationes.

Concil. Trid ſeſſ. 25. de Regular. cap 13.

CAPUT II.

Honeſtas & Ordo circa ea, quæ fieri ſolent in Communi.

§. 1. INſuper quàm enixè à deceſſoribus Noſtris Archiepiſcopis Colonienſibus laboratum fuerit, ut ſacræ Proceſſiones, Supplicationes, & Stationes, juxta pium ſanctæ Matris Eccleſiæ Catholicæ inſtitutum & mentem, *honeſtè & ſecundùm ordinem fierent*; atquè ab eis quidquid leve, petulans, laſcivum, & enormibus perſæpè flagitiis obnoxium erat, omninò amoveretur, quivis ex iis, quæ in Provincialibus, Diæceſanisque Conciliis, & diverſis aliis Conſtitutionibus Archiepiſcopalibus editis, ſalubriter ſtatuta ſunt, abundè poteſt cognoſcere; quæ proindè hic ſummatim excepta, nec exemplarium defectus, vel reperiendi ignorantia quenquam excuſet, inſeremus.

1. *Cor.* 14. 40

Earum diſpoſitio ex Colonienſibus Concilijs.

§. 2. De iis itaque extat comprimis Concilii Provincialis Colonienſis ſub Hermanno V.

anno milleſimo quingenteſimo trigeſimo ſexto, habiti, his comprehenſa verbis ſanctio: *Quod Proceſſiones*, inquit, *per agros & campos peraguntur, rationem quidem habet, nempe, quod populus oret, ut ſegetes ac fruges terræ à Domino conſerventur. Verùm ut alia plurima, ita & hic mos hominum malitia depravatus eſt, quippe occaſionem talis deambulationis, quæ Deo placando erat inſtituta, pleraque ſcelera committantur. Quamobrem Nobis ſatiùs videtur, ut hæ, aliæque Supplicationes, ac proceſſiones, de cætero intra ſepta Eccleſiarum religioſè fiant, ac ut in Templo, loco precationibus peculiariter dedicato, oretur Deus, habeaturque tum pius, tum rei, ac tempori conveniens ad populum commonitorius ſermo.* Quæ etſi quibuſdam prudentibus quiddam Reformationis, vel deformationis potius tunc in Germania perversè colore verbi divini à Lutheranis attentatæ, & circumſtrepentis redoleant; ſanum tamen ſenſum non excludunt, ſi Proceſſionum ritus non damnetur, & malis moribus ſublatis, uſus bonus ſervetur.

Conc. Prov. Colon. ſub Hermanno, 5 part. 9. cap. 7 pag. 390. & cap. 8. pag. 391. Infrà hoc tit. cap. 5. §. 2. Infra hoc ca. §. 4. 5 6. & ſeq. Rituale Rom. tit. de proceſſ. §. edendi ac bibendi, &c.

Abuſus, & ſi quid in Proceſſionibus eius indecorũ evitetur.

§. 3. Hoc ſenſu Catholico, hanc Concilii Sanctionem in uſum revocamus, & ſeveriſſimè mandamus, ut ubi tanquam Zizania triticum, ſic abuſus probos ritus obruerunt, ut non videatur ager Dominicus poſſe ab offendiculis repurgari, ejuſmodi Proceſſiones, in abſynthium offendiculorum converſæ, omittantur, & loco depravati moris intra Templi, Cœmiteriive, aut vicini tractus ſpatia, aut certè Civitatis ſeu Oppidi ſeu Pagi ſepta breviſſimo circuitu contineantur; nè vel minima ullis com-

essationibus, potationibus, aliisque insolentiis, lasciviis & iniquitatibus occasio præbeatur. Veruntamen omnes & singulos Parochos, Vice-Parochos, & Ecclesiarū superiores seriò admonemus, ut sint prudētes vel in talibus abrogandis, cùm offendicula adverterint ordinaria evenire, vel retinendis, si magnis & multis abusibus possint occurrere.

Sublati ab Adolpho 3o Archiepiscopo Coloniens.

§. 4. Eam rem & Concilium Provinciale sub Nostro decessore Adolpho III. Archiepiscopo Colonienſi anno millesimo, quingentesimo, quadragesimo nono celebratum accuratiùs persequens, hæc, quæ sequuntur, constituit.

§. 5. *Nihil propè*, inquiens, *tam sanctum est, quod sæcularium hominum vanitas non trahat in abusum: Ecclesia de thesauro Corporis Christi exultans, circumfert longis Processionibus etiam extra sacras ædes Hostiam illam salutaturus, videlicet simul repræsentans itineris Christi historiam, qui dum quæreret salutem nostram, in medio populi versatus est, & universam Iudæam circumambulavit docens, & ægrotos sanans, discipulis comitantibus: quamobrem & Sanctorum Reliquias & Imagines eorum, qui vestigia eius secuti sunt, simul circumferimus, significantes illos nunc cum ipso regnare & triumphare in cœlis; quæ memoria debet pijs esse jucunda & læta.*

Concil. Provinc. Colon. sub Adolpho 3. cap. nihil prope tam sanctum. pag. 451. & seq.

§. 6. *Verùm huc sæcularis Stultorum hominum vanitas irrepsit, & adhibentur etiam Ludi profani & scurriles magno Strepitu, ac quasi ad bellum procedendum esset, tympana pulsantur, & otiosa spectacula eduntur, rebus istis non congruentia; quibus populus delectatus, à rebus, quæ Processione aguntur, avocatur.*

infra hoc tit. cap. 8. § 2. 3. & 4.

§. 7. *Mandamus idcirco, ut quicquid non valet ad devotionem excitandam à Processionibus removeatur.*

§. 8. *Sed sint Processiones compositæ, graves & modestæ; absint risus, joci & confabulationes, & orent homines, aut suaviter corde & uoce modulentur.*

§. 9. *Nec beatæ Virginis, aut alterius cuiuslibet Sancti plures. quàm Imago una uniuscujusque circumferatur.*

Infra part. 1. tit. 10. cap. 2. §. 3.

§. 10. *At ubi populus vanus noluerit abusum hunc corrigere, & insolentiam prohibere, mandamus & præcipimus Sacerdotibus & Clero, ne talibus Processionibus intersint, ubi iram Dei, non verò misericordiam in nos provocamus.*

§. 11. Præmissa Nos omnia volumus ubivis locorum Civitatis & Archidiœcesis Nostræ Colonienſis à quibusuis quarumcunque Ecclesiarum seu Sæcularium seu Regularium, quantumvis exemptarum, Abbatibus, Præpositis, Archidiaconis, Decanis, tam Collegialibus, quàm Ruralibus, Pastoribus, Vice-Pastoribus, aliisque Superioribus, etiam Custodibus & Aedituis, sub in deprecabili à Nobis arbitraria pœna infligenda, exactissimè observari, ita ut in nullis Processionibus, Supplicationibus, & Stationibus, plures unquam, quàm una, etiam Deiparæ Virginis, vel alterius Sancti Statua & Imago deportetur, nisi fortè Sodalitia plura contingat esse, quæ sub diverso ejusdem Sancti titulo, uti Beatæ Mariæ Conceptæ, Annunciatæ, Assumptæ sunt instituta, in his enim ut ejusdem Sancti Imago, vel Vexillum sæpiùs circumferatur, præsertim si historicam differentiam Imagines ipsæ præseferant, potest tolerari.

§. 12.

§. 12. Additum est in eodem sub Adolpho III. Archiepiscopo Concilio, ut Visitatores inter cætera, pro Ecclesiarum & locorum diversitate, indaganda expressè inquirant. *Vt supra*

§. 13. *An in deportatione Venerabilis Sacramenti, quidquid ad veram devotionem excitandam parum valet, removeatur?*

§. 14. *An unius Sancti plures, quàm una, Imagines ad excitandam Sancti beatam & utilem memoriam, in ejusmodi Processionibus circumferantur: præsertim indignæ Sanctis, veluti ad sæculum magis, quàm ad Sanctorum repræsentationem effigiatæ ac compt æ*

Statuta Adolphi 3. tit quæ in Ecclesijs Cathedral & Collegiat inquiri debeant pag. 481. col. 1. in fin. & col. 2. in princ

§. 15. *An in Processionibus, Stationibus & Supplicationibus publicis omnes, qui intersunt Clerici, devotè orent, & cum gravitate religiosè & suppliciter cantando incedant, & finita Supplicatione eò, unde processerunt, revertantur, non curiosè interim circumspectantes, nec vacantes profanis colloquiis, nec ad jentacula, seu potationes dilabentes, vel aliô deambulantes?*

Suprà hoc tit. cap. 2. § 2. 3. 4. 5. 6. & seq. Statuta Adolph 3. tit. quæ à Decanis inquiri debeant pag. 486. col. 1. in princ.

§. 16. *An curent etiam quando in solennibus festivitatibus circumferenda est hostia illa Salutaris, quod tum omnes Ludi profani, & quidquid non valet ad veram devotionem excitandam, removeatur. Imprimis quod non pulsentur tympana, absint risus, ioci, confabulationes, populus autem oret: & quod unius tantùm Sancti, non plures quam una Imago circumferatur: Nec vagando per agros discurrant, præsertim Rogationum tempore.*

§. 17.

Pœna delinquentium

§. 17. Quæ item ab omnibus & singulis Civitatis & Archidiœcesis Nostræ Colonienſis Visitatoribus, Commissarijs, & Decanis Ruralibus Nostris quam diligentissimè investigari; etsi uspiam tales abusus repererint, graviter in delinquentes, & ita delinquentibus consentientes, jubemus animadverti.

CAPVT III.

Processiones contrahendæ intra breviorem viarum circuitum

§. 1. CÆterùm cum saluberrimis tam prædictorum Provincialium & Diœcesanorum Conciliorum, quàm variis fel. rec. Ferdinandi decessoris & patrui Nostri Archiepiscopi Colonienſis decretis de contrahenda Processionum, Supplicationum, & Stationum circuitione, aliisque damnatis ejusmodi offendiculis, & abusibus, multis in locis nondum fuerit paritum, ipsa tamen Augustissimi Sacramenti Eucharistiæ præsentia & acatholicorum super ejusmodi excessibus exsibilatio, abolitionem eorundem efflagitet.

Ut quævis in eis deformitas abolenda

§ 2. Hinc Pastoribus, Vice-Pastoribus sub certa trecentorum florenorum aureorum Rhenensium locis pijs applicandorum, aliaq; arbitraria pœna præcipimus, ne quis eorum aut aliorum Ecclesiasticorum, Processionibus, Supplicationibus, & Stationibus, per agros seu campos ad aliquod milliaria institutis, & multis horis durantibus, vel ad quas populus non tam orandi quàm spectandi gratiâ confluit, vel in quibus quasi ad speciem bellici apparatus tympana pulsari, vel aliquæ insolentiæ & abusus à Nobis seu decessoribus Nostris Archiepiscopis Colonienſibus speciatim damnati, committi, vel quædam inepta ac lasciva misceri solent, interesse audeat, multòque minùs

Au-

Augustissimum Eucharistiæ Sacramentum in ijsdem per se, vel alios deportent, ne, uti suprà dictum est, Dei potiùs in nos ira, quàm misericordia provocetur, & dies Iubili in Luctum & mœrorem, sicut, dum Arca prostrato subita morte Oza deportaretur, factum scimus, convertatur.

Alij abusus à Ferdinando Archiepiscopo Coloniensi antiquati.

§. 3. Præterea non tam pia, quàm damnata consuetudine, & superstitione introductum censetur, quod aliquibus in locis puellæ nubiles, aliæve mulieres in Processionibus, Supplicationibus, Stationibus, Crucem, Vexillum, sacras Reliquias, Sanctorum Imagines vel statuas, aut proximè ante SS. Eucharistiæ Sacramentum, tædas gestent, ut adoptato Connubio & Matrimonio potiantur. Vnde nimia plerumque in Comessationes, comporationes, tripudia, oscula, & alios actus libidinosos oritur profusio; quibus illecebris pronæ ad Lasciviam puellæ ad nefanda facinora perducuntur. Nos pro Archiepiscopalis Nostri muneris debito, tantis dehinc malis occursuri sub pœnis suspensionis à beneficio & officio, alijsque gravioribus pro modo culpæ & offendiculi arbitrio Nostro infligendis, prohibemus omnibus ac singulis Civitatis & Archidiœcesis Nostræ Abbatibus, Præpositis, Archidiaconis, Decanis tam Collegialibus, quàm Ruralibus, Pastoribus, Vice-Pastoribus, alijsque quarumcunque Ecclesiarum Superioribus, Custodibus, & Aedituis, Officiantibus, & Ministris, ne imposterum cujuscunque Processionis vel Supplicationis Crucem vel Vexillum, nec unquam sacras Reliquias, aut Sanctorum Imagines seu Statuas, in quibusvis Processionibus, Supplicationibus, vel Stationibus ab ullis cujuscunque Status, gradus &c conditio-

nis

nis puellis aut fœminis, adhibito etiam contra inobedientes & refractarias brachij Secularis, si opus fuerit, auxilio, deferri permittant, sed quò major sacris ejuscemodi rebus accedat veneratio juxta decessoris Nostri fel. mem. Ferdinandi Archiepiscopi decreta, ac Nostra Statuta de Reliquijs Sanctorum; de Imaginibus sacris, nec non de Ordine Solennis Supplicationis typis respectivè vulgata, à Clericis sacris initiatis ac linteatis, & aliis Ecclesiasticis vestimentis indutis (quoad ejus fieri potest) vel saltem, ubi Tumbarum seu Statuarum moles gravior robustiores bajulos exegerit, à pijs honestisq; viris Sæcularibus, palliatis tamen & detectis capitibus, omni reverentia & pietate, præcedentibus duobus cum acerris, qui thus continuò, versus sacras Reliquias adoleant, nec non tædiferis saltem duobus latus utrumquè stipantibus, quàm decentissimè current circumferendas: quos bajulos, honestè & decenter vestiti adolescentes, qui fulcra Tumbis seu Statuis supponenda portant, comitentur.

Infra part. hac prima tit. 9. ac 10.

Tituli in Processionibus deferendi.

§. 4. Singulas Tumbas pro notitia pignorum sacrorum & excitanda pietate, puer Angelico Schemate, vel certè Ephœbi honorarij habitu anteibit cum inscriptione nominis, & si haberi possit, cum insignibus istius Sancti, cujus Exuviæ deportantur. Sodales quoque ejusdem Sancti, si qui sint, aut alij ejus Clientes, vel eius cultus augendi studiosi viri tœdis accensis tumbam ambibunt. Duo minimùm Canonici vel Vicarij Superpelliceis seu Albis & Pluvialibus induti, pijsque Orationibus & precibus intenti sacras quisque Ecclesiæ suæ Reliquias proximè subsequentur.

§. 5. In-

§. 5. Insuper quia piè introducta consuetudo repræsentandi populo Sanctissimam Christi Domini Passionem, gloriosa Martyrum certamina, aliorumque Sanctorum res præclarè gestas, hac hominum perversitate eò deducta est, ut multis offensioni, multis etiam risui atque despectui sit: ideò prohibemus, ne in quibuscunque sacris Processionibus, vel Supplicationibus, vel Stationibus imposterum ullæ Sanctorum aut Sacrarum historiarum, ne ipsius quidem Christi Salvatoris nati vel passi à personatis adolescentibus, aut alijs repræsentationes fiant, vel quidquam, quod possit intuentium animos, ab eo, quod in Processione, vel Supplicatione potissimùm intenditur, ad se rapere, sed potiùs ea mysteria à Concionatoribus ex Cathedra gravi sermone, rudi populo explicentur; vel Imaginum decorè pictarum & non sordidarum, aut imperita manu factarum ad viam expositione adumbrentur, non verò, ut dictum est, vivarum personarum introductione, quæ Christi & Sanctorum gesta nunquam ita expresserint, quin sancta vilescant.

Repræsentationibus abstinendum.

Caremon. Episc. lib. 1. cap. 32. & 33.

CAPUT IV.

§. 1. TAmetsi pium & laudabile sit, ut in communibus Processionibus, Supplicationibus, ac Stationibus deportentur Sanctorum, si quæ in Ecclesijs habeantur Reliquiæ, vel sola Imago Divi loci Tutelaris, in eis tamen Processionibus vel Supplicationibus, ubi Sanctissimum Sacramentum circumfertur, nullæ meritò Sanctorum vel Reliquiæ, vel Imagines, vel Statuæ juxta S. Caroli Borromæi præ-

De Statuis & hierothecis alijs à Thephoria excludendis.

præscriptum, nisi pia multorum locorum consuetudo, aliud postulet, deportentur, de qua tamen consuetudine integrum erit Nobis Nostrove in Spiritualibus Vicario Generali seu Decanis Ruralibus cognoscere, an cum pietate vera, an persuasa consistat. Simpliciter verò nunquam & nusquam Capsulæ Seu Tumbæ quantumcunque prætiosæ, in quibus vel nullæ sunt, vel non approbatæ Sacræ Reliquiæ, venerationis causâ, in Processionibus, vel Supplicationibus deferantur, aut Stationibus proponantur, vel in Ecclesijs ipsis populo exhibeantur.

Caremon. Episc. lib. 2. cap. 32. Acta Ecclesiæ Mediolan. lib. 2. tit. de Sanctissimo Sacramento processionaliter deferendo n. 3. pag 126. c. 1. de Reliq. venerat. Con. Trid. Sess. 25. decreto de Sanct. Reliq. venerat.

Theophoriæ verò instituendæ.

§. 2 Sanctissimum utique Eucharistiæ Sacramentum piè & utiliter ad populi pietatem interdum in publicis Processionibus ac Supplicationibus, potissimùm verò in festo sacro Christi Corpori propriè consecrato, & per ejus octavam defertur: sed ne nimia frequentia debitam tanto Sacramento minuat reverentiam rariùs extra prædicta tempora id fiat, & non nisi in arduis causis pacis, aut publicæ necessitatis vel utilitatis seu aliàs de Licentia & Consensu Nostro Nostrive Vicarij in Spiritualibus Generalis, sicut disertè constitutum est à Concilio Provinciali Colonienſi sub Nicolao Cusano S. R. Ecclesiæ Cardinale ac de latere legato, Theoderico Archiepiscopo Colonienſi decessore Nostro his verbis id comprobante. *Ad maiorem*, inquit, *honorem Sanctissimi Sacramenti statuimus, quod deinceps ipsum Sanctissimum Sacramentum nullatenus visibiliter in quibuscunque Monstrantijs ponatur aut defera-*

tur

tur, niſi in Sanctiſsimo feſto Corporis Chriſti cum ſua Octava, & extra hujuſmodi feſtum cum ſua Octava, ſemel in anno, in qualibet Civitate, aut Oppido, ſeu Parochia, vel ex ſingulari indulto Ordinarij aut aliàs pro pace, vel alia neceſſitate imminente, ex indiſpoſitione Rempublicam pragravante: & tunc cum ſumma reverentia atque devotione.

Clement. 1. de reliq. & venerat. Sanct. Conc. Trid. ſeſſ. 13. de ſanct. Euchariſt. Sacram. c. 5. & can. 6. Concil. Provinc. Colon. ſub Nicolao Cuſano Cardinale pag. 251. §. item ad maiorem honorem, &c.

Via in eis ornanda & mundanda.

§. 3. Inſuper ad Proceſſiones Corporis Chriſti decorandas, juxta Exemplum eorum, qui ingreſſum Dominicum in Jeroſolymitanam urbem ramis & veſtibus ſuis oblatis honorarunt, omnes viæ & plateæ, per quas Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum portabitur, mundentur, Arboribus, Ramis, Frondibus, Floribus, Herbis odoriferis, gramine ſternantur, decenter ornentur, Eccleſiæ, & parietes viarum tapetibus, auleis & ſacris Imaginibus, non autem profanis aut vanis figuris, ſeu indignis ornamentis. Et reliqua ſingulis Proceſſionibus in Cæremoniali Epiſcoporum ac Rituali Romano ſeu Proceſſionali, ſeu Paſtorali ad uſum Romanum accommodato præſcripta accuratiſſimè ſerventur.

Ceremon. Epiſc. lib. 2. cap. 33.

Idque ab Incolis loci in ordinariis Proceſſionibus.

§. 4. In ordinariis ergò Proceſſionibus ſciant incolæ vias ſibi eſſe curandas, in extraordinariis utique, quæ vel tempore, vel viarum tranſitu ab aliis differunt, Vicani potiſſimùm monendi erunt, ut munditiem & ornatum in plateis ſuis procurent. Eam verò curam in Proceſſionibus Parochialibus Ædiles, in generalibus

neralibus Præfecti dirigendis Processionibus constituti ejusmodi per ministros suos Vicanis denuncient domatim, aliovè meliori modo, ne se excusare possint, si honestatem Christo debitam neglexerint.

Vmbella Eucharistica adhibenda.

§. 5. Deputentur item primarii aliquot viri, pro portanda Umbella, sub qua Sacerdos cum Sacro-sancto Eucharistiæ Sacramento, Processionis ritu incedat. Quandocunque enim in publicis Processionibus Sacro-sancta Eucharistia circumfertur, id nunquam posthac, nisi sub Umbella fiat, quam honestiores Parochiani deferant, & quam Pastores seu Vice-Pastores in qualibet Ecclesia, ubi deest, expensis Fabricæ, vel ex fidelium oblationibus, quamprimùm sibi comparent.

Caremon. Episc. lib. 2. cap. 33.

Eadem in delato SS. Sacramento ad infirmos, usurpanda.

§. 6. Similem honorem, quoties ad infirmos defertur, Sacro-sancto huic Sacramento optaremus exhiberi, præsertim in civitatibus, oppidis, & pagis, in quibus frequentior est populus, & ædes sunt viciniores Ecclesiæ Parochiali. Quod ut facilius Pastores & Vice-Pastores exequantur, hortamur ipsos, ut in suis Ecclesiis Sanctissimi Sacramenti Sodalitium, cujus Sodales cæteris in pio hoc obsequio exemplo præluceant, curent erigendum. Quem in finem Quadraginta dierum Indulgentias iis, qui qualibet vice Umbellam detulerint, in Domino elargimur.

CAPUT V.

SS. Eucharistia, Reliquiæ & Statuarum.

§. 1. MAximoperè dedecet Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, Sanctorumvè Reliquias, Imagines, aut Statuas in Pro-

Proceſſionibus, aut Supplicationibus à perſonis currui vel equis inſidentibus circumferri. Quare ne quid in rerum Sanctiſſimarum reverentiam peccetur, ſub trecentorum florenorum aureorum Rhenenſium, aliaque graviori pœna arbitrio Noſtro infligenda, prohibemus omnibus & ſingulis Civitatis & Archidiœceſis Noſtræ Abbatibus, Præpoſitis, Archidiaconis, Decanis, Paſtoribus, Vice-Paſtoribus, aliisque Eccleſiaſticis quibuſcunque, ne illorum quiſquam deinceps in ulla unquam Proceſſione, Supplicatione, aut Statione Sacroſanctam Euchariſtiam, vel Sanctorum Reliquias, Imaginem, aut Statuam aliter, quàm pedes, nullo autem modo currui vel equo inſidens, deportet, ſeu à quocunque alio deportari permittat.

tuæ non curru vel equis devehenda.

§. 2. Ea propter ubicunque tam longi ſunt Proceſſionum, vel Supplicationum circuitus, ſeu Stationum diſtantiæ, ut Auguſtiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, aut Sanctorum Reliquiæ, Imagines, vel Statuæ commodè à peditibus nequeant circumferri, vel etiam populi pietas langueſcat, ſeu in itinere bibendi occaſio præbeatur, eos ita contrahi, ad brevius ſpatium ſub eadem pœna mandamus, ut omnis offendiculi & reverentiæ minuendæ tollatur occaſio, & viarum longitudine pietatis ardor minimè refrigeſcat.

Proinde Viarum compendium eſt eligendum.

Supra hoc tit. cap. 2. §. 2. & ſeq part. 1. tit. 10. cap. 3. §. 1.

CAPUT VI.

§. 1. MUltò verò magis Nobis diſplicent comeſſationes, compotationes, tripudia, Choreæ, pulſatis tympanis, quæ occaſione

Choreas, Comeſſationes ſtrepitus profanos

nes & Processionibus eliminandæ.

sione festorum Sanctissimi Sacramenti, vel Dedicationis Ecclesiarum Parochialium solent institui; fuerint olim eæ testimonia publicæ Lætitiæ gaudiique Spiritualis, ut animo simul & corpore fideles, Davidis exemplo, exultarent in memoriam tantæ solennitatis in Civitate & Archidiœcesi Nostra Coloniensi à quatuor & ultrà sæculis, ex speciali divinæ Majestatis beneficio institutæ, modò tamen ex morum corruptelâ, multis periculis lasciviæ & turpitudinis sunt obnoxiæ, præsertim illæ, in quibus personati vel larvati quidam, mutato sexus habitu, & ad luxuriam & levitatem quomodolibet compositi, Choros ducunt. Quare districtè injungimus, ut omnes & singuli Pastores, Vice-Pastores, Concionatores & Catechistæ, Salutaribus suis monitionibus populum generatim à comessationibus, comporationibus, Choreis, tripudiis, tympanorum pulsu conentur avocare: quæcunque verò illis admisceri solent circumstantiæ, quæ lasciviam, scurrilitatem, & levitatem, vel quodcunque aliud peccatum redoleant, severè prohibeant, & hujus Nostri mandati & prohibitionis contemptores, mulctis & pœnis arbitrariis pro ratione culpæ & offendiculi, adhibito, si opus, brachii sæcularis auxilio, puniantur; præsertim cùm quidam ita his capiantur, ut præcepti audiendi Sacri obliviscantur.

Personatarũ & spectaculorum apud Processiones moderatio.

§. 2. Salutares hujusmodi cautelas etiam adhiberi volumus in theatralibus historiis, in Templis & publicis Processionibus, supplicationibus, & Stationibus, occasione similium festivitatum exhiberi solitis, per quas scilicet Christi, Sanctorum, vel aliorum quorumcunque, sive vivorum, sive mortuorum personæ, miracula, vel res quomodolibet gestæ repræ-

sentan-

sentantur, quas imposterum omninò volumus abrogari, vel nullis etiam cujuslibet instituti Religiosis aliter permitti, quàm prævio Nostro, Nostrivè in Spiritualibus Vicarii Generalis, aut ubi id commodè fieri non poterit, Decanorum Ruralium, vel saltem Pastorum seu Vice-Pastorum loci, examine & permissu, quorum erit diligenter attendere, ne quidquam in ejusmodi spectaculis, quod à veritate vel pietate sit alienum, quodquè oblectet magis oculos carnis, quàm mentis exhibeatur: unde sæpè evenire intelligimus, ut populus ejusmodi ludis sic absorbeatur, & à verâ pietate abstrahatur, ut cultus & reverentia Augustissimo Sacramento tunc maximè exhibenda, non sine offendiculo, prô dolor, negligatur, cùm populus à debita ipsius ter Maximi Sacramenti veneratione, & oratione ad curiosum ornatus puerilis, & quasi Comicæ cujusdam actionis aspectum avocetur.

CAPUT VII.

Modestia Cleri, maximè Sacerdotum procuranda.

§. 1. QUæ de Processionibus, Supplicationibus, & Stationibus ad instructionem populi à Nobis suprà decreta sunt, ea tantò religiosiùs ab Ecclesiasticis personis omnibus sive sæcularibus sive Regularibus observentur, quantò reliquis Christianis vitæ sanctioris professione altiùs eminent, ut in eos tanquam in speculum laici oculos conjiciant, ex iisque sumant modestiæ ac pietatis exemplum, quod imitentur. Graviſſimum enim illud offendiculi genus est, quod ad detestandum nomen Domini, & exprobrandum castris Dei Israel, veræ fidei & Catholicæ Religionis hostibus isti præbent, qui fidei Catholicæ præcipui culto-

cultores habentur, & in omni Christiani populi Processione seu supplicatione non solum ne leviter quidem offendere, sed quos omninò decebat pro culpis & offensionibus suis & aliorum omnium sua præcellenti pietate lesæ Deo irascenti murum opponere, ejus, iacr furorem, sanctis Orationibus, gemitibus, queymis, atque suspiriis suis placare debuerunt.

Concil. Provin. Colon. sub Hermanno 5 part. 3 cap. 28 & 29. sub Adolpho 3. Archiepis. cap. quantum in Processionibus &c pag. 452. cap. Decanis Rural pag. 413. col. 5. in princ act. Quæ in Ecclesiis Cathedral. & Colleg. inquiri debeant. pag. 481. col. 2. §. An in Processionibus, &c. act. nul. Quæ à Decanis inquiri debeant pag. 476. §. An curam etiam, &c.

Comessationes & Convivia etiam post peracta Processiones eliminanda.

§. 2. Quamobrem quod primùm in Concilio Provinciali sub decessore Nostro Adolpho III. Archiepiscopo Colonienſi, nulla adjecta pœna, sancitum est: deinde in Diœcesanis synodis Colonienſibus sub eodem Adolpho III. Archiepiscopo habitis sub divini interminatione judicii prohibitum est, ut dum Processiones, seu Sanctissimo Sacramento, vel sacris Reliquiis & Imaginibus deportatis aguntur, nemo adultorum, qui hujusmodi Processionibus intersunt, esu, potuvè jejunium violet, antequam peracta cum timore Dei, piisque precibus Processione, singuli ad domos suas revertantur, ac ne tum quidem comessationibus & sympoſiis indulgendum esse, sed cibum parcè cum gratiarum actione sumendum; ne gratiâ divinâ quam in sacris Processionibus ambiunt homines, fœda ista temulentia duplicato crimine spolientur. Id verò ne suo exemplo in mores populi inducant, Clerici & Ecclesiæ Ministri, quos dolenter intelligimus aliquando Laicos in hac re pravis moribus anteire, ita

ut etiam

ut etiam Sanctus, ad cujus honorem die Festo ipsius Processio fuit instituta à gula populi vel Cleri exercita vorax, vel potator alibi proverbio blasphemo nominetur, ut ab aliis festivitatibus ejusdem Sancti, vel cognominis Divi discernatur Processionis celebritas ventri consecrata.

Concil. provinc Colon. sub Adolpho 1. Archiepiscopo cap. nihil prope tam sanctum pag. 451. & cap. quum inter omnia pag 514. & seq. & cap. septimo quia pag 530.

§. 3. Quod idem sub antecessoribus Nostris Adolpho III. & Ferdinando Archiepiscopis Colonienſibus salubriter statutum est, ne Imagines Sacræ secularitèr comptæ, nec in Templis, nec in Processionibus tolerentur; & ut quæ ad ornatum Supplicationum proponuntur, ejusmodi sint, quæ oculos spectantium non offendant: item quæcunque vel in Constitutionibus Apostolicis, vel in Conciliis Provincialibus, aut synodis Diœcesanis Coloniensibus aliisque sanctionibus hac de re constituta sunt, singuli Ecclesiarum tam secularium, quàm Regularium Prælati, Rectores ac superiores qualescunque à Clero & populo sibi subjecto exactissimè satagant observari.

Observandæ Constitutiones Canonicæ in eisdem.

Vide supra hoc tit. cap. 2. §. 1. 2. 3. 4. 5. & seq. & cap. 3. §. 1. ac seq.

§. 4. Curent quoque Magistratum secularem, imminente Processionis vel Supplicationis die, tempestivè præmoneri, si qua in re officium ejus desideretur; vel ad cohibendam & coërcendam impiorum insolentiam, vel ad impediendum ne in via, qua procedendum erit, esculenta aut proculenta quasi Nundinarum & mercatûs tempore exponantur & vendantur; vel ad removenda quæcunque alia, quæ ad excitan-

Magistratus ad earum commodum requirendus

excitandam veram pietatem nihil faciunt, sed potiùs ad vanitatem animos relaxant, & à sanctis cogitationibus avocant.

CAPVT VIII.

Canonicarũ seu Canonissarum in Processionibus cultus.

§. 1. QVod decreta Conciliorum tam Provincialium quàm Synodalium Colonienſium vetant, ne Canonicæ ſeu Canoniſſæ Sæculares nimis exquiſito utantur cultu, neve veſtibus pretioſis ſæculari modo comptis & excultis: illud præcipuè in publicis Proceſſionibus, Supplicationibus & Stationibus ſervari mandamus, eaſque in Collegijs ſuis veluti Scholis virtutum palæſtra, omni pietate ac timore Dei ita cupimus exerceri, ut omni laſcivia, ſuperbia, ac levitate remotâ, animi demiſsione, modeſtia, verecundia, pudicitia, cæteriſquè virtutibus, quibus Chriſti ſponſas ornatas eſſe decet, verè nobiles & illuſtres appareant.

Concil. provinc. Colon. ſub Hermanno 5 part. 10. cap. 19. pag. 393. Statuta Adolphi 3. Archiepiſ. pag. 436. cap. Idem Statuimus & pag. 496. cap. cum hæc.

Præparandus populus ad inſtantes Supplicationum dies.

§. 2. Vnde quibuſcunque malis moribus, abuſibus, & corruptelis in Proceſſionibus, Supplicationibus & Stationibus exoriri ſolitis, pro Archiepiſcopalis Noſtri Officij debito deinceps mederi cupientes, diſtrictè præcipimus omnibus ac ſingulis Civitatis & Archidiœceſis Noſtræ Colonienſis paſtoribus Vice-Paſtoribus, & verbi Dei Præconibus tam Sæcularibus, quàm Regularibus, ut proximo Feſto S. Marci, vel triduo Rogationum, quo ſtatæ Proceſſiones, decantatis Majori & Minori Lytanijs, juxta pium & laudabilem Eccleſiæ morem celebrari conſueverunt: nec non feſto

Cor-

Corporis Chriſti & alio, quo aliqua habenda erit ſolennis Proceſsio, Supplicatio, ſeu Statio, Dominica ipſum Proceſsionis, Supplicationis ſeu Stationis diem proximè antecedente, cauſam Proceſſionis, Supplicationis vel Stationis ejuſcemodi populo diſertè exponant, erroreſque & abuſus in ea cavendos graviter inculcent, nec non ſeriò exhortentur Chriſti fideles, ut omnes ad profitendam fidem ſuam, ad celebranda Crucis Chriſti myſteria, ad honorandum nomen Dei ſui, & ad precandum pro neceſsitatibus Eccleſiæ, reiq; publicæ conſervatione, magna pietate, animorumque concordia, ſub Vexillo Crucis Chriſti pariter conveniant, conſiſtant & procedant, atquè nominatim ab abuſibus & vitijs in prædictis deceſſorum Noſtrorum & his Noſtris Decretis & Conſtitutionibus damnatis, vitato curſu, fabulis, riſu, jocis, ac à quavis alia levitate, à reverentia & religione aliena ſibi temperent, ſed potiùs pijs Orationibus, Litaniarum, aliarumquè precum, cantui & recitationi, & Myſteriorum, quæ in proceſsionibus, Supplicationibus & Stationibus peraguntur, meditationi intenti, ex profundo intimoquè animo divinam implorent miſericordiam, *ut nemini dantes ullam offenſionem, vituperationibus obloquentium non ſint obnoxij*: Digna enim reprehenſione ab adverſarijs fidei, & Catholicæ Religionis æmulis carpentur, & eorum vitio, linguæ impiæ, in injuriam religionis ſe armabunt, ſi ipſorum mores in actu religionis, à puritate Chriſtianæ profeſsionis diſcreparint.

Concil. provinc. Colon. ſub Hermanno 5. part 9. cap. 7. & 8. pag. 390. & ſeq. ac ſub Adolpho 3. Archiepiſcopo 3 cap. nihil prope tam Sanctum pag. 451. & Cap. Decanis Rurale, hui pag. 453 & tit. qua in Eccleſijs Cathedral. & Colleg.

inquiri debeant. §. An in deportatione §. An unius Sancti plures §. An in processionibus pag. 481. col. 1. in fine & col. 2 in princ. ac tit. quæ ã Decanis tam Colleg. quam Rural. de Rectoribus Ecclesiarum Parochialium inquiri debeant §. An curent etiam pag. 486. col. 1. circa princ. & cap. quum inter omnia pag. 514. cap 7 quia & pag 530. Corinth. cap. 6. vers. 3. S. Leo Serm. 4. de quadrag. qui legitur Dominica 1. Quadrag. in Breviario Romano Lect. 6.

§. 3. Vt verò in Processionibus, Supplicationibus, & Stationibus omnes debito, juxtà cujusque gradum, dignitatem, Statum & conditionem, ordine incedant, nec is unquam perturbetur, præsertim cùm numerosiore populo constant, in singulis Collegijs, Monasterijs, ac Parochijs certi Magistri Cæremoniarum & Internuncij constituantur, qui ultrò citroquè commeant, totumquè Processionis, ac Supplicationis corpus conjunctum ordine certo disponant & contineant; viris Laicis in unum, fœminis in alterum cœtum distributis, ne minùs decorè utriusque Cleri choro se misceant Huc valde conducunt Sodalitia, similesquè pij tituli, quibus per Vexilla & imagines prælatas promiscua plebs in certas classes distinguitur, pueri ac puellæ à natu majoribus separantur & per Catecheses ac Scholas dividuntur.

Ordo & nexus Processionum.

A Magistris Cæremoniarum seu internuntijs constituendus lustrandus.

§. 4. Deniquè quæcunque ad majorem Processionis, Supplicationis, seu Stationis Solennitatem ac populi pietatem promovendam spectare videbuntur, ijdem debita cum reverentia singulos Ordines obeundo lustrandoque omni diligentia ac sollicitudine curent.

Nec non componendus & dirigendus

§. 5. Præter hos singulis Collegijs & Monasterijs adsint ministri, qui Signo aliquo, cum procedendum vel sistendum fuerit, sibi mutuò indicent; ita ut priores ad posteriorum

nutum

nutum ſeſe dirigant, omnes autem à poſtremo dependeant, qui continuò apud Sanctiſſimum Sacramentum remanebit: & ne hac de cauſa novo graventur ſumptu, poterunt Collegia ſuis Virgiferis aut Cuſtodibus: Monaſteria autem aliquibus ex ſuis miniſtris aut ſacris perſonis provinciam hanc demandare.

Conſtantia ne ab Ordine vel Statione ante finem recedatur.

§ 6. Ne aliqui ex Proceſsionibus, Supplicationibus, vel Stationibus digrediantur, earumque ordinem ſuo diſceſſu deforment, in uſum revocamus Statuta deceſſoris Noſtri Friderici Archiepiſcopi Colonienſis, ut nimirum diſtributiones, quæ ratione Proceſſionum, Supplicationum, aut Stationum dandæ ſunt, non alijs dentur, quàm qui ſervato legitimo Proceſsionis, Supplicationis, vel Stationis ordine, in ea toto Supplicationis tempore perſeverarint, & Eccleſiæ, in quaſit Statio, Chorum ingreſsi ibidem uſque ad finem officij divini religiosè perſtiterint, & divinis peractis, cum Cruce eodem ordine, quo venerant, ad Eccleſiam ſuam revertuntur; exceptis duntaxat his, quos vel neceſsitas, vel alia juſta cauſa, judicio Decani & Capituli, in Domino excuſarit.

Statuta VVilhelmi Archiepiſcopi Colon. cap. 1. §. 11. pag. 150 col. 2. & Frederici Archiepiſcopi Colon. cap. 46. & 47. pag. 216. & Adolphi 3. Archiepiſc. Colon. cap. Quantum pag. 452. Col. 1.

CAPVT. IX.

Non turbanda ſunt officia divina vel Sermones in Eccleſia, quam Supplicantes adeunt.

§. 1. CUm in obeunda via, quam appellant, Romana, alijſque Proceſsionibus & Supplicationibus publicis, per obvias Eccleſias tranſeuntibus, ut plurimùm tam officia, quæ in his Eccleſijs canuntur Divina, quàm Sermones, qui ad populum habentur, iſtiuſmodi

di Processionum & Supplicationum cantu & Strepitu turbari cognoverimus, neque tamen minus optemus, has non nisi congruo decentiqúe modo & ordine cum populi fructu sine offendiculo peragi. Omnibus Pastoribus, Vice-Pastoribus, Concionatoribus, & Catechistis, alijsque Ecclesiarum sive Sæcularium sive Regularium Superioribus, & similium Processionum ac Supplicationum præfectis & moderatoribus seriò mandamus, ut populum & Supplicantium cœtum admoneant, quod licet per eas quidem Eccclesias Processionis aut Supplicationis ritu cum silentio modestiaque sine cantu & strepitu transire possint, ibique preces fundere, in quibus divina officia decantantur, si tamen in eisdem Concio, Catechesis, vel exhortatio alia habeantur, quoad ejus fieri potest, ab earum ingressu abstineant. Habeantque ad manum præfecti ministrum, qui præcedat, & quid in prænominatis Ecclesijs fiat, tempore exploret, & referat ductori vel primi Vexilli aut tituli bajulo, ut is circum Ecclesiam via commoda deflectat, quò melius tota Processio seu Supplicatio dirigatur. Quam diligentiam si Processionis Rector adhibere neglexerit, potestas erit Ecclesiæ illius Præfectis, vel ministris inobedientibus hujusmodi & contemptoribus fores occludendi, ne turbaturi ingredi possint.

Cuius cura incumbet Præfecto Processionis

§ 2. Quod si omninò Ecclesia præteriri non posset, quod tamen intra Coloniam dici non potest, unus Curatoris loco vel ipse Curator aut Præfectus Processionis vel Supplicationis præ foribus Ecclesiæ impeditæ consistat, & opportunè quemlibet clarâ voce precantem vel cantantem moneat, ut ob Concionem vel divinum officium sileat priùs, quam Templi fores attigerit.

CAPVT

CAPVT X.

INſuper ſeverè prohibemus, ne Proceſſiones lugubres de Paſſione Domini ulla ratione Sabbato ſancto, poſt decantatum Alleluja inſtituantur, nec tempore Paſchali ea gerantur, quæ hebdomadæ Sanctæ aut Quadrageſimæ conveniunt, ſed omnium rerum ea ratio teneatur, quam S. Mater Eccleſia, maximè Romana cunctarum Mater ac Magiſtra tenet & obſervat. Paſchatis die aboleantur lugubria, quamtumvis ſacra ſigna Quadrageſimæ, & vice verſa tempore Paſſionis Domini removeantur lætitiæ feſtivæ, & plauſus, maximè ipſa hebdomada Sancta, vitentur, & omninò ſpiritui ſanctorum Patrum congruenter omnia temperentur.

Temporis ratio aptanda Proceſsionibus.

CAPVT XI.

§. 1. CVm porrò Eccleſiæ Catholicæ decus non ſolùm in Proceſsionibus, Supplicationibus, & Stationibus ritè & rectè, ac ſecundùm ordinem Superioribus Capitibus à Nobis præſcriptum adornatis, verùm etiam in reſpondentibus his officijs divinis atque Eccleſiaſticis functionibus maximè eluceat, earumque gravi actione populi pietas foveatur, augeaturque. Ideò abolitum prorſus eſſe volumus (ſi vel ex parte aliqua, alicubi in uſu adhuc ſit) feſtum Hypodiaconorum, quod ſtultorum vocant, omneſque nugas, levitates & abuſus, qui hoc nomine in ullam Civitatis & Archidiœceſis Noſtræ Eccleſiam irrepſerunt, antiquamus.

Abrogandi hypodiacon. 1.

§. 2. Conſuetudinem quoque ſeu potius de-

Puerorum Episcopi

testabilem corruptelam, qua pueri à die S. Nicolai, usque ad festum SS. Innocentium, personatum Episcopum suum colunt, cùm ea puerilibus levitatibus & ineptijs plena cæperit esse, multùmq; gravitatis & decoris divinis detrahat officijs, prorsus abrogamus, & abrogatam esse omninò decernimus.

Ecclesiæ Saturnalia.

§. 3. Præcipuè verò sub pœna trecentorum florenorum aureorum Rhenensium, cujus dimidia pars pijs usibus Fabricæ Ecclesiæ, seu Mensæ pauperum, altera denunciatori & fisco Nostro applicabitur, aliáque graviori arbitrio Nostro delinquentibus imponenda præcipimus, ne Clerus se pueris die SS. Innocentium submittat, ac eorum locum occupet, & functiones in divinis officijs obeat, nequè personatus Episcopus benedictiones aliquas faciat, aliique pueri in cantandis Horarijs precibus, lectionibus & Collectis, Sacerdotum, Diaconorum, aut Subdiaconorum officia quædam usurpent, ne sè puerilis ætatis Episcopus die, quo eligitur, vel munere suo defungitur ad se ostentandum, vel colligendam pecuniam mitratus, Baculo, & ornamentis cæteris Pontificalibus decoratus, cum personatis aliquot militibus per plateas equitet. Multò minùs convenit, ut Canonici & Vicarij ex Collegarum suorum numero aliquem ex ordine designent Episcopum; qui reliquos omnes, magnis impendijs, liberali convivio excipiat: ab his enim, cùm sapiant Gentilium Saturnalia, eodem mense Decembri celebrata, quibus Domini servorum, & hi vicissim Dominorum suorum locis, munijsque gaudebant exiguo temporis spatio. Ab his ineptijs Christi sponsam Ecclesiam cùm deceat esse liberam, severissimè prohibemus, ne deinceps personati Episcopi

piscopi lusu cum Pontificalis dignitatis & honoris detrimento pecunia in symposia profundenda corradatur.

Et superalia.

§. 4. Similiter gravissimis sub pœnis vetamus abusum illum, quo in pluribus Nostræ Archidiœcesis Ecclesijs Parochialibus, Fauni potiùs & Satyri, quàm sinceri Catholici, sub specie spargendorum inter cantillantes pueros Scholares, in secundis Vesperis Natalis Domini, bellariorum in magna quantitate poma, pira, & in eorum defectu alios Sylvestres fructus in domum Dei inferunt, seque sub divinis in ipsa Ecclesia, vel extra eam in Cœmeterio, aut alias honestas matronas & puellas, imò ipsum quandoquè Parochum ijsdem petulanter, Lupercorum veterum, gentiliumque more impetunt, Ecclesias quippè, quæ divino cultui deputatæ domus Dei sunt, & orationi dicatæ, maximè decet ab omnibus actibus profanis, indecoris & puerilibus immunes conservari, juxta Domini Nostri Iesu Christi eas severissimè vindicantis exemplar.

Antiquam dabat bacchanaliorum mimesis.

§ 5. Et quia non tantùm ridiculum, sed Religioni & sactis Ordinibus probrosum est quod tempore Bacchanaliorum, vel aliàs personati Monachi vel Moniales partim veræ mendicæ, partim vagæ parentum indulgentiâ filiæ per urbem volitent, Parochi, Confessarij, Catechistæ, Parentes, ipsosque pueros ab ejusmodi illiberalibus & impijs moribus arceant, constituto etiam in contumaces, per Magistratum Secularem, justæ castigationis, pro modo culpæ, exemplo.

Abrogandi trium Mariarum spectaculum

§ 6. Repræsentationes trium Mariarum visitantium Dominicum Sepulchrum, quæ nocte Resurrectionis Dominicæ, in quibusdam Ecclesijs fiunt. Item insolens illud tumultua-

rium, ut vocant, Dœmonum vel Iudæorum exterminium in nocte Paschæ, cum potiùs in ijs inveniamus, quod risum movere, pietatem impedire, sacras imagines & Ecclesiæ supellectilem deformare, quàm pietatis aliquem affectum excitare possit, volumus prorsus intermitti. Ritum verò & Ordinem servandi feria quinta, sexta & Sabbatho majoris hebdomadæ officium Divinum, quo imago Domini in crucem acti in sepulchro collocatur, eademq; nocte Paschali levatur è tumulo, qui à Sancta Matre Ecclesia Catholica & Apostolica est approbatus, piè atque modo eodem volumus observari.

nocte Paschatis & tumultus Dæmonum vel Iudeorum expulsio.

§. 7. Quem etiam in finem extra Gymnasia seu Scholas, aut Sodalitatum Oratoria, nullæ imposterum Comœdiæ, Tragœdiæ, Historiæ, Ludivè, Scœnæ, ejusque generis actiones tempore sacro, maximè hebdomadæ sanctæ diebus exhibeantur. Quod si ejusmodi in Gymnasijs seu Oratoriis ad promotionem divini cultus prudentes censuerint aliquando producendas, id non nisi maturo consilio superiorum, & siquidem sub dio, vel in propatulo, & promiscuè patenti loco essent extra septa exhibendæ, eæ nequaquam, nisi priùs à Nobis, vel ab uno ex deputatis Nostris librorum Censoribus diligenter revisæ, atque Archiepiscopali Nostra auctoritate ordinaria approbatæ fuerint, permittantur: nec hæ tunc quidem uspiam divinorum officiorum tempore, nec in ulla Ecclesia, aliovè loco sacro à quoquam, sub expressa suprà pœna centum florenorum aureorum Rhenensium, dimidiata parte pijs usibus, Fabricæ Ecclesiæ, seu Mensæ pauperum loci, & altera denunciatori & Fisco Nostro applicanda, aliaque graviore

pro-

pro delicti qualitate Archiepiſcopali Noſtra authoritate infligenda in ſcenam producantur.

Nec in Nundinis admittendi.

§. 8. Sæcularium porrò ſpectacula, Scœnæ & Ludi, qui in Nundinis à Circumforaneis edúntur, cùm & pagos atque Oppida & Vrbes ejuſmodi circulatores expilent, hoſpites ſuos & fautores decipiant, obſcœnitatem & cæcæ Inventutis illecebras inducant, vehementer in Domino hortamur Civiles Magiſtratus omnes, ut huiuſmodi nequitiis modum ac leges ſeveras ſtatuant, ipſoſque ſi quid turpe & flagitioſum induxerint graviſſimè mulctent, Fiſco cunctis eorum inſtrumentis & lucris applicatis, imò perſonis eorum, ſi opus ſit, apprehenſis, & pro modo delicti caſtigatis, præſertim cùm eiuſmodi Hiſtriones tacito vel expreſſo cum dœmone pacto ſpectantinm oculos faſcinent, vel ſuos fucos præſtigiis perniciosis vendant. In quorum fidem præſentes literas propriâ manu Noſtrâ ſubſcriptas ſigilli Noſtri appreſſione juſsimus communiri Datæ in Oppido Noſtro Bonnæ die 24. Septembris 1651.

Supra hac part. 1. cap. 8. §. 4.

Maximilianus Henricus Archiepiſcopus Colonienſis.

Loco † Sigilli

Vt Georgius Paulus Stravius Epiſcopus Ioppenſis Suffraganeus Colonienſis.

B. Holbeck. Secret.

DE

DE SANCTISSIMO MISSÆ SACRIFICIO.

MAXIMILIANVS HENRICVS DEI & Apostolicæ sedis gratia electus & Confirmatus sanctæ Colonienſis Eccleſiæ Archiepiſcopus, Sacri Romani Imperii Princeps Elector, & per Italiam Archicancellarius: eiuſdem Apoſtolicæ ſedis Legatus natus: Epiſcopus & Princeps Hildeſienſis, & Leodienſis: Adminiſtrator Berchtesgadenſis: Vtriuſque Bavariæ, nec non ſuperioris Palatinatûs, VVeſtphaliæ, Angariæ, & Bullonii Dux: Comes Palatinus Rheni, Landtgravius Leuchtenbergenſis, Marchio Franchimontenſis, &c. Venerabili Clero, & univerſis ac ſingulis Chriſti-fidelibus Civitatis & Archidiœceſis Noſtræ Colonienſis ſalutem in Domino ſempiternam.

CAPUT I.

De cura Archiepiſcopi circa ſacra tractantes.

§. 1. INter graviſsimas Archiepiſcopalis Noſtri muneris curas, quò impenſiùs exoptamus eos, qui in ſortem Domini vocati, Chriſti militiæ dederunt nomen, ſpiritualem Eccleſiæ Hierarchiam non perturbare, eò quorundam impietatem majori indignatione deteſtamur, ac ſacrilegam temeritatem execramur, qui ſacris Canonibus, ſummorum

morum Pontificum & Nostrorum decessorum Archiepiscoporum Coloniensium Decretis conculcatis, Ordines sacros contra jus & fas suscipiunt; & dum in Ecclesiasticorum Ministrorum cœtum per scelus irrepserunt, Dei cultui, animarum saluti, & ijs omnibus, quæ ad tranquillam & uniusmodi Christianæ Reipublicæ gubernationem pertinent, plurimùm obesse deprehenduntur.

De illicitè ad ordines provolantibus.

§. 2. Comprimis autem, gravi animi Nostri molestia comperimus, quod complures suæ salutis immemores, Deiqúe timore postposito, ad Ordines sacros non legitimè contendant, partim quod ante præscriptam ætatem, vel extra tempora ad id à jure statuta, & quidem diebus nec Dominicis, nec fori Festis, vel absque dimissorijs Antistitis sui Diœcesani literis, ab Episcopo alieno, sine dispensatione Apostolica, sese curaverint Ordinandos, partim etiam specie tituli, seu Beneficij Ecclesiastici, seu Patrimonij ficti vel fiduciarij, aut etiam falsi contra sanctiones Canonicas, cum maximo bonorum omnium offendiculo, & status Clericalis opprobrio Ordines impetraverint; imò cùm sic dolo, vitioque Ordinati, à suorum Ordinum usu & exercitio ipso jure essent suspensi, atque ejusmodi suspensionis vinculo constricti, in ijsdem Ordinibus ministrando, pœnam irregularitatis, quâ non nisi Summi Pontificis auctoritate liberari queunt, incurrissent, præter alias pœnas, quas talibus generaliter jura decernunt; nihilominus ejusmodi censura irregularitatis affecti, suam patriam, in qua facilius horum notitia potuisset haberi, fugiant, & in Civitate & Archidiœcesi Nostra Coloniensi Sacrificent, divinis fungantur officijs, & Ecclesiastica proximis administrare Sacramenta non vereantur. *vel*

c. vel non est compos. c. dilectus, c. sane, c. de eo c. cùm quidam c. literas c. consultationi, de temp. ordinat. Concil. Trid. Sess. 7. de reform. cap. 11. Sess. 14 de reform cap. 2. & 3. & Sess. 23. de reform cap. 3. 8. & 10. Pij 2. Papæ constit. 7. Bullarij tom. 1. Vrbani 8. Papæ constit. 33. Bullarij tom. 4. contra malè ordinantes & malè ordinatos.

vel præsumentibus sacrificare sine Ordinatione

§. 3. Detestabilis tamen maximè eorum impia videtur temeritas, qui Catholicam veritatem, quæ tam ex divina institutione & Apostolica traditione, quàm sanctæ Matris Ecclesiæ sanctione soli Sacerdoti ritè consecrato potestas fit *pro vivis & defunctis Sacrificium offerendi*: sacrilego facto oppugnant, dum sacro Presbyteratus Ordine minimè initiati sacrum audent celebrare, nec solùm idololatriam exteriorem, per externa & aspectabilia Religionis signa committunt ipsi, sed etiam Christi fideles, qui eos Ordinatos esse credunt, vereque Sacramentum Eucharistiæ conficere, subeunt ejusdem periculum, dum panem & vinum, uti verum Christi Domini nostri Corpus & Sanguinem adorant.

Lucæ cap. 22 vers. 19. Concil. Nicænum 1 can. 14. Concil. Lateranense sub Innocentio 3. ut refertur in c. firmiter de sum Trinit. Concil. Trid. Sess. 22. de Sacrif. Missæ cap. 1. & can 2. & Sess. 23. de Sacram. ordin. cap. 1. & 4. & can 6. c. 1. & 2. de Cler. non ordin. ministr. Clement. 8. Papæ constit. 18. Bullar. tom 3. Vrbani 3 constit. 79. Bullarij tom. 4.

Earum pœna

§. 4. Ea propter fel. mem. Clementis VIII. & Vrbani VIII. summorum Pontificum constitutionibus desuper editis inhærentes statuimus, ut quicunque sive laicus, sive Clericus secularis, aut cujusvis Ordinis, instituti, societatis, aut Congregationis Regularis, licet immunitatis privilegio videatur ab Ordinarij Diœcesani jurisdictione eximi, si tamen

divinæ

divinæ hujus legis violatæ, ut atrociſſimi ſceleris reus compertus fuerit, tanquam Eccleſiæ miſericordia indignus à foro Eccleſiaſtico abijciatur, & ſacrorum Ordinum, ſi quos habet, gradu depulſus, Curiæ civili tradatur, Iudicum ſecularium ſententia debitis pœnis puniendus: quin nec hujuſmodi reo privilegium ætatis minoris viginti quinque annis, dummodò vigeſimum ætatis annum compleverit, valeat aut debeat Suffragari, quò minùs decretis à præfatis Pontificibus Maximis pœnis ſubijciatur.

§. 5. Nos innumeris, quæ ex hac facinoroſa ſanctiſſimi Miſſæ ſacrificij celebratione, potiſſimùm autem ex minùs Canonica Clericorum Ordinatione proveniunt, malis, quantùm in Domino poſſumus, maturè occurrere cupientes; quæcunque ſacrum Oecumenicum Concilium Tridentinum, ſummi Pontifices & Noſtri deceſſores Archiepiſcopi Colonienſes, de extraneo, vago, ignoto, ſeu peregrino Clerico ſeu Sacerdote à ſacris adminiſtrationibus arcendo, ritè & rectè ſanciverunt, ea firmiter obſervari mandantes, omnibus iterùm modis interdicimus videlicet, ne quis extraneus, vagus, ignotus, vel peregrinus, imò nec quiſquam ratione ſeu originis, ſeu domicilij, ſeu beneficij Archidiœceſanus Noſter ab alieno Epiſcopo ordinatus Sacerdos, etiam Regularis quomodocunque exemptus, in ulla Civitatis vel Archidiœceſis Noſtræ Eccleſia ſive ſeculari, ſive Regulari, ad celebrandam Miſſam, Sacramenta miniſtranda, aut etiam Prædicandum Verbum Dei, aliaſvè ſacras functiones admittatur, niſi exhibito priùs Epiſcopi ſui à quo conſecratus eſt,

testimonio, vel superioris sui commendatitijs literis.

Concil. Trident. Sess 14. de reform. cap. 3. & Sess. 22. in decreto de observ & evit. in Celebratione Missæ & Sess. 23. de reform. cap. 16. in fin. statuta VVichboldi Archie. Colon cap. 3 pag. 51 Henrici Archiep. Colon cap. 10 pag. 63. Philippi Archiepiscopi Colon. pag. 283. Concil. Provinc. Colon. sub Hermanno 5. part. 1 cap. 31. pag. 347. Statuta Adolphi 3. Archiepiscopi Colon pag 462. col. §. post hæc. Synod. Colon sub Ernesto Archiepiscopo anno 1598. celebratit. 4.

Sacerdotes, qui diu à Diœcesi abfuerint Ordinarij sui commendatitias adferant.

§. 6. Quod si à propria Diœcesi diu absens in aliena commoratus fuerit, commendatitias etiam Ordinarij Diœcesani illius loci literas adferat, quibus de Ordinatione sua legitima accepta, vitæ, morumque integritate, honesta conversatione, eruditione, ac titulo suæ Ordinationis, nec non celebrandi Sacrum licentiâ fidem faciat; doceatque nullo excommunicationis, irregularitatis, aliove Canonico impedimento se ab executione Ordinis prohiberi.

Cautela adversus obreptitias literas Sacerdotum

§. 7. Et ne aliquando Suppositæ pro Ordinis functione literæ obtrudantur, omnium ac singularum Civitatis & Archidiœcesis Nostræ Colonienſis Ecclesiarum Prælatis, Superioribus, Pastoribus, Vice-Pastoribus, Presbyteris, Sacristis, Aedituis, Custodibus, alijsque Ecclesiæ Ministris quibuscunque præcipimus, ut deinceps nullum alterius Diœcesis, vel etiam Nostræ Archidiœcesis ab alieno Episcopo Ordinatum Sacerdotem ad sacrosanctum Missæ officium celebrandum, Sacramenta ministranda, vel etiam Concionandum in suis Ecclesijs admittant, aut in Sacellanum, Chorisocium, vel Cantorem recipiant, nisi prius ipsis scripto constiterit, quod hujusmodi testimonia & literæ commendatitiæ à Nobis

bis vel Nostro in spiritualibus Vicario Generali visæ fuerint & examinatæ, quodque lator earum in his, quæ ad vitam, mores, doctrinam, nec non ad Ritus & Cæremonias sacrificij Missæ pertinent, diligenter examinatus, & à Nobis vel Vicario Nostro antedicto ad Missarum celebrationem, aut Sacramentorum administrationem, vel Concionem habendam fuerit approbatus & admissus.

Peregrinus seu extraneus Sacerdos in Ordine susceptо, publicè Ministrare, vel rem Divinam facere volens non debet ab Episcopo loci admitti, priusquam de Canonica sua ordinatione per commendatitias (quæ communiter, distinguuntur à dimissoriis in eo, quod hæ contineant commissionem ordinandi illæ autem probent Ordinem susceptum, ut in eo celebrare alibi liceat) vel per testes docuerit. c 3. de Cler. peregri mò ex valdè longinqua regione, Clerici incogniti probare Ordines suos debent per literas quinque Episcoporum Sigillis munitas c. 1. de cler. pereg. nihil faciente iuramento c. 2. tit. de Cler. peregr. Inferiores autem Episcopo non possunt Clericum alienum seu extraneum in suas Ecclesias recipere aut in eis instituere absque Episcopi loci licentia c. ult. de Cler. pereg. ratio est, ne vel non ordinati admittantur, vel per saltum Ordinati aut indigni. Ita DD. locis suprà citatis.

§. 8. Itaque Decani omnes tam Collegiatarum Ecclesiarum Civitatis & Archidiœcesis Nostræ, quàm Rurales advigilent, qui suis in Ecclesijs, vel sub sui Decanatus districtu degant Pastores ac Vice-Pastores, & hi, quos in suis Parochijs, seu Ecclesijs Sacellanos, Vicarios, Sacerdotes, Clericosve habeant; ab horum singulis, Decani quidem à sibi subjectis, Pastores & Vice-Pastores à suæ Ecclesiæ Clericis, previâ harum promulgatione, prædicta in scriptis documenta exigant, & hac semel vice ad Nos, vel antè dictum Nostrum Vicarium referant, vel fideliter referri faciant, intra prox-

De examine Generali Ministrorũ Sacrorum semel per Archidiœcesin faciendo.

imos tres Menses à die notitiæ huius Noſtri mandati habitæ numerandos, ut de legitimo eorum, qui modò in Civitate & Archidiœceſi Noſtra verſantur, & in Ordinibus ſacris miniſtrant, in eccleſiam introitu, ſcientia, vita, & moribus Nobis conſtet, atque ab his, qui deinceps admittendi erunt, ſeu conſtanter in loco aliquo Archiepiſcopali Noſtræ juriſdictioni in ſpiritualibus ſubjecto commoraturi, ſeu ut peregrini in itinere futuri, hæc Noſtra conſtitutio accuratè obſervetur: ita ut nullus, niſi exhibitis ſuprà commemoratis teſtimonijs, ad ullum cuiuſvis eccleſiæ, Civitatis & Archidiœceſis Noſtræ Miniſterium ſub gravi pœna arbitrio Noſtro infligenda admittatur: ſic enim lupis ab ovili Dominico abactis eccleſiæ Hierarchia inviolatè conſervabitur.

CAPUT II.

De facinoroſis Sacerdotibus.

CVm Epiſcopi etiam ex ſanctione Concilij Tridentini curare debeant, ne quis publicè criminoſus Sacerdos, aut ſacro Altari miniſtrare, aut ſacris intereſſe permittatur; injungimus omnibus Eccleſiarum Prælatis, Superioribus, Ruralibus Decanis, & alijs univerſis animarum curam habentibus, Regularibus ac ſecularibus, ut Archiepiſcopali auctoritate Noſtra publicos Concubinarios, Vſurarios, Simoniacos, aliosque palam excommunicatos, criminoſos Presbyteros ab Altaris miniſterio removeant, alioqui tam illi qui mortalis peccati publici rei celebrant, quàm qui in hoc connivent, ſeverè à Nobis punientur.

Concil. Trid Seſſ. 22. in Decreto de obſerv. & evit. in celebratione Miſſæ infrà hoc tit. Cap. 4. §. 3.

Vt

§. 2. Vt inter septem planetas splendidissimum jubar solis, sic inter ecclesiæ Sacramenta sacrosancta Eucharistia eminet, quæ purissimum & lucidissimum iustitiæ solem reipsa & per se præsentem comprehendit, quam non nisi tersâ & vitijs omnibus lethalibus expurgata conscientia licet percipere: idcircò divino & positivo jure præceptum est, ne quis peccati mortalis conscius, quantumvis sibi contritus videatur, absque præmissa Sacramentali Confessione, ad sacram Eucharistiam accedere audeat; quod præceptum inviolatè à laicis Communione sacra reficiendis, majoriqueratione à Sacerdotibus Sacrificantibus mandamus observari, quoties adest copia Confessarij. Quod si urgente necessitate Sacerdos, absque prævia Confessione, excitatâ tamen priùs contritione Missam celebrarit, ea finita, quam primum, ut definivit Oecumenicum Concilium Tridentinum, tenetur confiteri.

Confessio Sacramentalis Missæ præmittenda.

Concil. Trident. Sess 13. de Sanct. Eucharistia Sacramento cap. 7. & can. 11.

§ 3. Si quis autem Presbyter pridiè temulentus, aut in crimen incontinentiæ, aliudvè publicum lapsus, rem divinam facere non vereatur, proviolata sacramenti & sacrificij reverentia, datoque offendiculo, gravissimè se sciat arbitrio Nostro puniendum.

Abstinendum à Sacrificio ob culpam.

§. 4. Iniungimus præterea omnibus & singulis Civitatis & Archidiœcesis Nostræ Ecclesiarum tam sęcularium, quàm Regularium Superioribus, & Ministris, ut nulli Sacerdoti Sacrificium Missæ suis in Ecclesijs celebrare, nulliqueDiacono vel Subdiacono solenniter inservire permittant, qui honesto habitu Clericorum & Ecclesiastico suo Ordini ac statui cõvenienti non sit indutus, capillisque abscissis,

Habitus Clericorum secundum gradum cuique insurpandus.

vel saltem decenter compositis, Clericalem etiam justæ magnitudinis Tonsuram seu Coronam in vertice capitis sui pro uniuscujusque Ordinis, gradus, ac status conditione latam, eamque conspicuam non gerat; ac secunda vel tertiâ qualibet hebdomadâ, ac præcipuis anni festivitatibus non faciat renovari: maximè cùm pij etiam laicorum animi ministros Christi, more militum comatos, & calamistratos Sacris astare, vel inservire Altaribus horreant: & Concilium tam Oecumenicum Tridentinum, quàm Provincialia & Synodalia Coloniensia declarent, nullum primâ Tonsurâ initiatum aut etiam in Ordinibus sacris constitutum fori privilegio gaudere, nisi Tonsura & habitu Clericali à laicis distinguatur. Quàm latam porrò quisque pro ratione Ordinis, gradus, ac status sui Coronam, promissamque vestem gestare debeat Clericalem, infrà præscribitur.

Concil Trident. Sess. 23. de reform cap 6. Synodus Coloniens. sub Sifrido Archiepiscopo cap. 9 §. item denunciamus pag 44 sub Henrico Archiepiscopo cap. 2. pag. 86. sub VValramo Archiepiscopo cap. 4 pag. 111. & cap. 18. pag 24. & cap. 2 . pag. 129. sub VVilhelmo Archiepiscopo cap. 5. pag. 157 sub Friderico Archiepisc. cap 9. pag. 189. Infra part. 2. tit. 30. de Sacramento Ordinis cap 3 §. 21. & 22.

CAPUT III.

Vniusmodi Cæremoniæ Sacri induendæ.

§. 1. SIcut una est Christi Ecclesia, sic omnia Ecclesiæ membra uniusmodi esse, & concordiam semper observare necessum est, maximè in sanctissimo Corporis & Sanguinis Christi mysterio, *quò multi*, teste Apostolo, *unum sumus*. Quare ad præcavendam omnem varietatem, atque Cæremoniarum ac Rituum

in

in ſacræ Miſſæ officio confuſionem, Epiſcopus Sacerdotes omnes à ſe recèns Ordinatos admonet, ut diligenter totius Miſſæ Ritus, ac ſacræ Hoſtiæ Oblationem, Conſecrationem, Fractionem, & Communionem ab alijs jam doctis Sacerdotibus ediſcant, priuſquàm ad Celebrandam Miſſam accedant. Quia tamen eo non obſtante experientiâ cognovimus, ſæpè eos deligi Sacerdotes, qui magis egerent doceri, utpotè Cæremoniarum ac Rituum, Romanæ præſertim Eccleſiæ, rudes & ignari, quam docere. Et cùm in antiquis Miſſalibus Colonienſibus nulli certi Ritus aut Cæremoniæ præſcribantur, nec extent ulli hujus Archidiœceſis aut Provinciæ libri Rituales, qui formam ſacram illam ac tremendam actionem peragendi præſcribant, tantam Cæremoniarum ac Rituum in hanc ſacratiſſimam actionem tractu temporis varietatem, ignorantiam, neglectum & confuſionem videmus irrepſiſſe, ut (quod omnes graviter offendit) quot ſunt Eccleſiarum Miniſtri, tot penè videre ſit in Ritibus atque Cæremonijs ſacrificij Miſſæ diverſitates.

D. Cyprianus tom. 2. cap. 3 de unitate Eccleſiæ Catholicæ 2. Corinth. cap. 10. verſ. 17. Pontif. tit. de ordinat. Preſb. in fin.

Cura & ſollicitudo Archiepiſcopi Colonienſis.

§. 2. Vndè meritò vehementer angimur & dolemus hac etiam in parte ſtatum Archidiœceſis ac Provinciæ hujus vehementer eſſe perturbatum. Cui malo ut Fel. mem. Ferdinandus Archiepiſcopus Colonienſis deceſſor & Patruus Noſter pro Archiepiſcopali ſuo munere & auctoritate occurreret, Miſſale Colonienſe ad diſpoſitionem ſanctæ Romanæ Eccleſiæ accommodatum edendum, eidemque ple-

nissimè generales & speciales Rubricas inferendas curavit, ut Cæremoniæ & Ritus eodem modo in Ecclesijs sibi subjectis observarentur; & ne Ecclesia Nostra piè intenti operis fructu defraudaretur, in Synodo suâ Colonienſi postremâ omnibus in virtute sanctæ obedientiæ mandavit, ut amotis quibusvis alijs, sive jam antiquatis, sive peregrinis vel privatis, & omnibus singularum Ecclesiarum proprijs Missalibus, deinceps novo Missali uterentur: iussit etiam, ut in omnibus Ecclesijs Collegiatis & Parochialibus, alijsque ubi plures sunt Clerici, unus constitueretur, qui Cæremoniarum, ac Rituum curam gereret, novos Sacerdotes Cæremonijs instrueret; quique, ut omnia suo Ordine, loco ac tempore fierent, advigilaret. Idem etiam singularum Ecclesiarum Superiores, Decanos, Pastores, Vice-Pastores, Rectores, aliosvè quovis nomine vocatos, de Ritibus pravis certiores reddere teneretur, ut eorum auctoritate, quod interdum Cæremoniarum Præfecti corrigere non possent, in usum reduceretur; sed cùm hactenus salubre illud decretum minùs rectè sit observatum, & difficillimum sit assuetis desuescere.

Synodus Colon. habitæ 19. Aprilis 1627. tit. 5. pag. 14. infra hoc tit. cap. 4. §. & seq.

Neo-Mystæ in Ritibus & Cæremonijs Missæ sedulo instruendi.

§. 3. Idcircò Archiepiscopali Nostra auctoritate iterum sub gravi eaque arbitraria pœna severè prohibemus, ne quisquam deinceps Sacerdos sæcularis primitias celebret, nisi priùs generales ac speciales Rubricas & Ritum celebrandi Missam tam privatam, quàm solennem, secundùm præscriptum Missalis Romani diligenter perlegerit, atque sacris Missæ Ritibus & Cæremonijs, ab aliquo pio & erudi-

to

to, Cæremoniarumque & Rituum Eccleſiæ Romanæ apprimè perito Sacerdote, debitè fuerit inſtructus; nec non eaſdem Cæremonias & Ritus ſe perfectè didiciſſe, Capitulo, vel Decano, alijve Superiori, cui ſubeſt, teſtimonio inſtructoris ſui legitimè probaverit.

§. 4. Sub gravi item & arbitraria, ut antè, pœna veramus, ne ullus Civitatis vel Archidiœceſis Noſtræ Colonienſis Sacerdos, privatis affectibus ductus, alijs Cæremonijs ac Ritibus in Miſſæ ſacrificio utatur, plures ſcilicet cruces, benedictiones, aut genuflexiones faciat, quàm Miſſalis Romani Rubricis ac Regulis præſcribuntur, ſed omnes juxta ejuſdem normam, veſtium collaribus lineis ſub amictu ſeu humerali tectis, tremendum illud Miſſæ Sacrificium reverenter pieque peragant, modeſtè ac religiosè in omnibus Sacroſanctæ Miſſæ Ritibus atque Cæremonijs ſanctæ Catholicæ & Apoſtolicæ Romanæ Eccleſiæ cæterarum Eccleſiarum omnium Matri ac Magiſtræ obſequantur: indèque normam ſumant ſacrificandi, unde fidei ſumpſerunt exordium. Idem ſacra Rituum Congregatio in Decreto Miſſali Romano præfixo his inculcat verbis. *Demum renovando Decreta aliàs facta, mandat ſacra Congregatio in omnibus & per omnia ſervari Rubricas Miſſalis Romani, non obſtante quocunque prætextu, & contraria conſuetudine, quam abuſum eſſe declarat. Et facta relatione horum Decretorum S. D. N. Vrbano VIII. Sanctitas ſua annuit, & ab omnibus ubique ſervari & in Miſſali Romano noviter imprimendo apponi mandavit.* Iulius Roſpiglioſius Secret. *Præſertim Miſſalis Romani.*

Concil. Trid. Seſſ. 22. in decreto de obſerv. & evit. c. 1. c. 2. c. nolite errare c. quis neſciat diſt. 11. Statuta Henrici Ar-

Archiepiscopi Colon. cap. 3. in fin pag. 61 infra hoc tit. cap. 10. §. 5 & 11.

CAPUT IV.

Mundities & honestas paramentorum sacrorum procuranda.

§. 1. ET ne Sacerdotum sordibus res sacrosancta in oculis quoque vulgi vilescat, & *maledictio*, quam Deus minitatur, *opus suum negligenter facientes* feriat, volumus, & quibuscunque Civitatis & Archidiœcesis Nostræ Presbyteris severè præcipimus, ut omnes tremendum Missæ sacrificium celebraturi, mundis honestisque Altaris ornamentis, vasis, Calicibus, Patenis Pontificali Ritu consecratis, benedictis Corporalibus, Pallis, Purificatorijs, vestibus item similiter benedictis, nitidis pariter & integris, Romano, aut saltem novo ad Romanum renovato Colonensi Missali, nunquam solis candelis sebaceis in Altari, sed cum eis, vel sine eis, semper duobus minimùm decentis formæ ceteis, in festis autem solennioribus etiam pluribus, ante Evangelium S. Ioannis, vel aliud si dicendum fuerit, in fine Missæ plenè lectum, non extinguendis, utantur.

Ier. cap 48. vers. 10. Concil. Trid Sess. 22 in decreto de observ. & evit. in celeb. Missæ. supra hoc tit. cap. 3. §. 1. 2. 3 & 4.

Velo & Bursa tutendum & locus proprius paramentorum aptandus

§. 2. Omnes etiam Sacerdotes deinceps velum ad cooperiendum Calicem adhibeant, quod quò pretiosius, eò erit convenientius; item Bursa seu involucro pro Corporali in ea recondendo, nec post sacrificium Missæ peractum hæc, neque Missale unquam in Altari relinquantur, quod sicut & alia Sacerdotis indumenta ad Sacristiam aut armarium reportari,

tari, semperq; suis claustris, ligulis, seu funiculis, clausum, ut diutiùs mundum & integrum conservetur, præcipimus.

§ 3. Severissimis quoque sub pœnis prohibemus, ne sacrificans ullus, aut ejus ministri in Altari, quando in eo Divina litatur Hostia; neque in principio, vel fine: quod valdè indecorum censetur: Strophiolum seu Sudariolum, ad emungendas nares, deponant; sed potiùs sub Planeta seu Casula è cingulo ad dexteram suspendant; Pileum verò, Biretum, Chirothecas, Claves, Breviarium, Diurnale, & alios libros à Missali diversos, Beffam seu Almutiam, vel Epomidem Celebrantis, ut videatur Canonicus, vel id genus alia, quæ ad ipsum Missæ sacrificium, vel Altaris ornamentum non pertinent, extra Aram collocent, quin etiam Casulam cum Alba, Amictu, Cingulo & Missali, quæ Sacerdos ad Sacrificium adhibuit, ibidem relinqui vetamus, sed ad Sacrarium referri, & singula honestè complicata in scrinio aut armario recondi præcipimus sub pœna unius floreni Coloniensis à Pastore seu Vice-Pastore, seu quovis alio sacerdote ad opus Fabricæ Ecclesiæ loci solvendi, quoties dicta instrumenta in Altari reperta fuerint: ea duplicabitur pœna, si superiùs dicta, vel alia quæ ad ornamentum Altaris minimè pertinent in illo reposita, etiam extra tempus Divini officij, patiatur: Quod enim Regius Psaltes de Dei Templo enunciavit, *Domum tuam decet Sanctitudo Domine.* id de omni sacrosanctę domus supellectile ad Missæ usum maximè directa, quilibet exterioris interiorisve munditiei cultor piè interpretabitur.

Supellex in Altari non toleranda

Psalm. 92.

Infrà part. 3. tit. 9. cap. 3. §. 14.

§. 4. Por-

Capitis & pedum tegumentum ac Rochetti forma.

§. 4. Porrò Sacerdotem celebrantem ob majorem honestatem ac decorem oportet esse calceatum, & caput ejus apertum ac nudum; *nullus* enim inquit Zacharias Pontifex Maximus, *Episcopus, Presbyter, aut Diaconus ad solennia Missarum celebranda præsumat cum baculo introire, aut velato capite Altari Dei assistere; quoniam & Apostolus prohibet viros velato capite orare in Ecclesia: & qui temerè præsumpserit, communione privetur.* Nec Episcopus Diœcesanus, nec cujusvis Ordinis Prælatus, ob senectutem sacrificantis, loci frigus, infirmitatis, vel aliam similem causam licet manifestam, sine peculiari facultate Apostolica, potest sacrificandi capite tecto pileolo, usque ad consecrationem facere potestatem, id enim his verbis vetatur, *Nemo audeat uti pileolo in celebratione Missarum sine expressa licentia Sedis Apostolicæ, non obstante quacunque contraria consuetudine.* Sicuti videre est in decreto sacræ Rituum Congregationis, præfixo Missali Romano. Quo item decreto disertè *prohibetur usus Rochetti, exceptis tamen quibus de iure competit. Et præter hos, statuimus & declaramus, nemini licere inservire, aut assistere in celebratione Missarum aut divinorum officiorum cum Rochetto, neq; cum cotta, ideſt, superpelliceo habente manicas angustas instar Rochetti; & idem servandum est in Concionibus.* Quæ omnia in quibuscunque Civitatis & Archidiœcesis Nostræ Colonienſis, præsertim cujusvis Ordinis Regularium, Ecclesijs diligenter & inviolatè præcipimus observari, nullo exemptionis vel quovis alio privilegio, quavis etiam verborum forma concepto, illis suffragante.

Decretum sacræ Rituũ Congregationis præfixum Missali Romano

c. nullus Episcopus de consecrat. dist. 1.

CAPVT V.

CAPUT V.

§. 1. APud pios maximè censetur indecorum, ante Missæ sacrificium à sacerdote Tabacum sumere, tum ob periculum illud in stomachum traijciendi, tum ad pravam hac in re quorundam Ecclesiæ ministrorum consuetudinem, quæ etiam plebeis offendiculo solet esse eliminandam. *Damnatur Tabaci usus ante sacrificium.*

§ 2. Idcircò sub pœna gravissima arbitrio Nostro imponenda prohibemus, ne ullus Sacerdos, sive Secularis, sive cujuscunque Ordinis & instituti Regularis qualiscunque sacrosanctum Missæ officium celebraturus, Tabacum sive solidum sive concisum, aut in pulverem redactum, ore, seu naribus vel fumo per tubulos, seu qualicunque alio modo, etiàm speciè medicinæ ante Missæ sacrificium, nec quævis aliâ persona ante sacram Communionem hauriat vel percipiat; nam ut ait S. Augustinus *placuit spiritui sancto, ut in honorem tanti Sacramenti, priùs in os Christiani Corpus Dominicum intraret, quàm cæteri cibi.* Idem de usu Tabaci, si eum invalescere vidisset, dixisset, eoque magis, quo teter odor, quem eo utentes afflare in concursu hominum vicinis solent præ cibis alijs vehementiùs offendit alios. *sub gravissima pœna, ne quis in Ecclesiis, earumque atriis & ambitu Tabacum quovis modo sumat.*

Vide Vrbani Papæ 8 constit. 49. aliàs 50. in appendice Bullarii tom. 4. qua sub pœna excommunicationis latæ sententiæ eò ipso absque declaratione, incurrenda prohibetur. S. Augustin. libro responsionum ad Ianuarium Epistola 118. cap. 6. ante medium tom. 2.

CAPUT VI.

§. 1. CVm manifesti Clericorum percussores etiam non denunciati, vel ob quam

quamcunque causam excommunicati declarati, item usurarij, & alij criminosi publici, ab omnibus Christi-fidelibus, præsertim in Missæ sacrificio, vitari debeant; caveant Sacerdotes, ne illis præsentibus rem sacram peragant, sub pœna suspensionis à divinis & alia arbitraria eo ipso incurrenda. Quod si moniti ab Ecclesia discedere noluerint, id statim Præfecto seu Magistratui loci, ne illorum protervia cultus divinus negligatur, insinuetur.

Concil. Trid. Sess. 22. in decreto de obser. & evit supra hoc tit. cap. 2. §. 1. & 2.

Missa Parochialis, ac Matutinæ, nec non Catechismos & Vesperarum tempus.

§. 2. Quò Christi-fideles Ecclesiæ præcepto de Missa audienda faciliùs queant satisfacere, seriò mandamus, ut in omnibus Curatis & Vice-Curatis Archidiœcesis Nostræ pagorum Ecclesijs non Collegiatis, Dominicis & foriFestis diebus Missa Parochialis certâ & eadem semper hora fiat, æstate quidem à festo Paschæ usque ad festum S. Remigij horâ octavâ, hyeme verò à festo S. Remigij usq; ad Pascha horâ nona. Missa autem matutina in æstate horâ quintâ, hyeme horâ sextâ, sicuti alibi etiam præscripsimus, peragatur, præmissâ tamen singulis prædictis Missis trina campanarum pulsatione; porrò dimidiatæ vel saltem quadrantis horæ intervallum inter unum & alterum pulsum intercedat, ut Parochiani juxta locorum distantiam, etiam remotiores, in Ecclesia sua sacrificio Missæ, & Verbo Dei audiendo tempestivè possint interesse, sub gravi pœna arbitraria à secus facientibus incurrenda. Missâ matutinâ finitâ solliciti etiam sint Pastores, & Vice-Pastores, ut pauperes, mendici, famuli, ancillæ atque alij mechanici

Caro-

chismo informentur in his, quæ sine suæ salutis periculo ignorare non possunt. Caveant item Sacerdotes, ne tempore Concionis hujus matutinæ sive etiam pastoralis Sacrificent, sicque auditores à Concione seu Catechismo audiendo avocentur. Vesperas quoque, justas ob causas animum Nostrum moventes, in eisdem Ecclesijs Parochialibus quovis tempore, singulis diebus Dominicis & Festivis, eadem hempè secundâ vel aliâ commodiori pomeridianâ horâ jubemus decantari, nec vllum Pastorem seu Vice-pastorem ab illis decantandis ea de causâ volumus excusari, quod filiales, ut vocant, Ecclesias seu Capellas duntaxat possideant.

Suprà part. 1. tit. 2. cap. 3. § 3. Suprà part. 1. tit. 8. cap 2. §. 6.

Ordo Missarum ubi plures præscribendus

§. 3 Vt populo major quotidie Deo serviendi sit opportunitas, curabunt Ecclesiarum superiores, Pastores, aut eorum Vicesgerentes, ubi magna est Missarum frequentia, ut per singulas dimidiatas, aut saltem horas Missa fiat: qua in re ad omnem evitandam confusionem, nunquam plures unâ horâ simul ad Altare convolent, ne reliquo tempore nullus in Templo Sacerdos Sacrificium offerens reperiatur, sed ordinatè alter alteri succedat; quibus ex officio Sacrificare incumbit, certamque sibi horam in catalogo celebrantium aptè concinnato, & in Ecclesiæ choro vel sacristia affixo, præscriptam habeant; illi verò, qui pietatis studio Sacrum facturi sunt, si priores per spatia diversa Sacrificabunt, idem intervallum observabunt; sin autem sine aliqua temporis intermissione alius alium ad Sacrificandum subsequatur, nec post nec ante illos Sacrificium offerre his integrum sit, ita cum prioribus concurrant, ut tamen

men non eodem temporis momento nisi in parte duntaxat ecclesiæ, si magna illa fuerit, longissimè ab alijs dissita: unà cum ijs ad Altare accedant, sed vel ad lectionem Evangelij, vel post factam Corporis Christi elevationem, Sacrum inchoabunt. Idipsum & in Monasteriis fieri exoptamus, ne dum simul plurimi Sacris operantur, decori domus Dei, aut Mysteriorum veneration i & gravitati nonnihil decedat, sed omnia ordine, summaque cum honestate & dignitate in Dei Ecclesia peragantur, sic enim sacris Mysterijs major accedet reverentia, populo verò ad Templum quotidie venienti commodior erit Sacri statim audiendi occasio.

CAPUT VII.

locus sacrificii proprius

§. 1. SAnctus Felix primus nominis hujus Papa & Martyr, vetuit à quoquam nisi Sacerdote, & nusquam nisi locis Deo consecratis: nisi fortè aliud extrema necessitas exigeret: Missam fieri. Idem ab alijs summis Pontificibus atque Concilijs fuit confirmatum, quibus visum, satiùs esse, Missam non audiri, quàm hanc loco non sacro celebrari.

c. sicut c. Missarum c hic ergo c. nullus Presbyter, non oportet c Clericos de Consecrat. dist. 1.

In privatis ædibus non Sacrificandum

§. 2. Nunc verò quod concedi consuevit desiderijs diuturno morbo laborantium, de Missa in privatis ipsorum ædibus interdum celebranda, paulatim extra fines præscriptos excessit, & in apertum tandem abusum contra sacros Canones degeneravit. Huic occurrit malo Concilium Tridentinum, statuitq; ne quis Secularis aut Regularis Sacerdos privatis in domibus, atque omninò extra ecclesiam, & ad divinum tantummodo cultum dedicata Oratoria, ab Ordinarijs locorum Episcopis designata

signata & visitata, sanctum Missæ sacrificium peragat.

Concil. Trident. Sess. 22. in decret. de observ. & evit. in Celebrat. Missæ.

§. 3. Quæ ordinatio ut exactiùs pro rei gravitate observetur, severissimè inhibemus omnibus & singulis Civitatis & Archidiœcesis Nostræ Abbatibus, Præpositis, Archidiaconis, Decanis tam Collegialibus, quàm Ruralibus, Pastoribus, Vice-pastoribus, ac Presbyteris tam Secularibus, quàm Regularibus quibuscunque, etiam quoquo modo exemptis, ne quisquam ob antiquam quamcunque consuetudinem, statutum, aut privilegium deinceps dictam Concilij Tridentini sanctionem transgrediatur; nec in privatis ædibus, aut omninò extra ecclesiam seu oratorium divino duntaxat cultui dedicatum, & per Nos vel Nostrum in Pontificalibus Vicarium Generalem Archiepiscopali Nostra auctoritate designatum & visitatum, sacrosanctum Missæ officium ulla ratione celebret; mandantes pariter cujuscunque status, gradus, conditionis, & dignitatis personis Secularibus quibuscunque, ne per aliquos Presbyteros, etiam quomodocunque exemptos, suis in ædibus Sacrificium Missæ aliqua ratione celebrari petant aut patiantur. Si quis autem hoc Decretum Tridentinum & prohibitionem Nostram violarit, tam Sacrificans, quàm is, qui ipsum ad celebrandum requisivit, aut in privatis suis ædibus admisit, arbitrio Nostro graviter punietur, Apostolico privilegio, quo ei facultas id faciendi indulta erat, neutiquam suffragante, nisi illud priùs Nobis aut Generali Nostro in Pontificalibus Vicario exhibitum, & ab eodem Archiepiscopali Nostra auctoritate fuerit ap-

Nullo etiam exemptionis colore

probatum. Pastores interim & Vice-pastores, subditos suos, qui diuturno morbo detenti Ecclesiam adire non possunt, doceant, ut illis suas piè preces jungant, qui corpore præsentes Divinis intersunt Officijs, & ad excitandam pietatem, observent Divinorum Officiorum tempora, vel campanarum pulsum, quo ea, quæ tempore Missæ in Templis peraguntur, indicantur, & ubi corpore adesse non possunt, corde & pijs orationibus sese præsentes sistant. Quod dum religiosè faciunt, salutaribus huiusmodi ordinationibus, per quas antiqui Canones in usum revocantur, obsequendo, majora veræ pietatis facient incrementa, quàm si importunis precibus Missas intra domesticos parietes celebrandi consensum extorserint.

Supràpart. 2. tit. 1. cap. 2. §. 1. & seq.

CAPUT VIII.

Calicum Vasorum sacrorum materia.

§. 1. CAlices Stannei, quorum usum in Missæ sacrificio periculoso hoc belli tempore non absque dolore Nostro permisimus, simul atque meliora tempora affulserint, omninò tollantur, eorumque loco, si non aurei, argentei saltem substituantur, aut certè superior eorum pars seu cuppa sit argentea inaurata, maximè ubi non est periculum ab hostibus aut prædonibus: sicubi verò ejusmodi periculum, vel extrema Ecclesiarum pauperies, aliave necessitas stanneos retinere jubet, ij singulis quindecim diebus, vel singulis minimum mensibus diligenter mundentur & defricétur. Calices autem, Patenæ, Pixides, Hierothecæ & Ciboria cuprea, vitreave, aut lignea penitus removeantur quia illa ob vini virtutem celerius æruginem, quæ vomitū provocat, contrahunt, hæc fractioni facillimè sunt obnoxia.

c. vasa cum Calix de consecrat. dist. 1.

§. 2.

§. 2. Quandoquidem prohibitionibus Apostolicis refragatur, patentibus nudè collaribus lineis, cum annulis, chirothecis, manicis, etiã hieme frigoris arcendi causa, Sacrosanctum Missæ officium celebrare, vel crucem aliquam sive auream sive argenteam, sive ex alio metallo ante pectus suum suspensam, etiam extra Missam palàm deportare; hinc severè inhibemus, ne ullus Civitatis & Archidiœcesis Nostræ Colonienſis Sacerdos, etiam Præpositus, Archidiaconus, Decanus tam Collegialis quàm Ruralis, Doctor Prothonotarius Apostolicus, Canonicus, Pastor, Vice-pastor collaribus lineis detectis, aut, nisi sit Episcopus vel Abbas jus baculi ac mitræ deferendæ habens, annulum in digito, aut manus chirothecis, sive manicis tectas, gestans, Sacrificium Missæ celebrare, vel extra illud crucem in pectore, nisi quibus id ex speciali privilegio Apostolico cõpetit, palàm deferat; si autem secùs quisquam fecerit, is Nobis aut Generali Nostro in spiritualibus Vicario, non tantùm ipsius collaris, annullivè seu crucis, chirothecarum & manicarum privatione, sed etiam graviori pœna arbitraria pro ratione delicti puniendus, denuncietur.

Collarium, chirothecarum, annulorum usus in Sacrificio prohibitus.

Infrà partu 3. tit. 1. cap. 2. §. 10.

CAPUT IX.

§. 1. IN Missis necessariò adhibendi sunt ministri, saltem privatis in Missis unicus, qui totius populi nomine Sacrificanti respondeat, ac vinum aquamque porrigat. Et ne ministri hujusmodi malè vestiti (quemadmodum æstate penè nudos pueros scholares in hac provincia reperire est) vel pannosi & sordidati contra Sacrificii Divini reverentiam adhibeantur;

Laici Sacri Ministri.

volumus, ut sint honestè vel palliati vel superpelliceis induti, quæ in defectum ex antiquis sacerdotum Albis conficiantur, vel ex communibus Fabricæ Ecclesiæ reditibus nova parentur; serventurque cum aliis sacris vestibus in sacrario, ac publicis Ecclesiæ sumptibus crebrò abluantur. Detestabilis verò est consuetudo, quæ in quibusdam Archidiœcesis Nostræ locis viget, ut Sacerdotes tum Seculares, tum Regulares, maximè in pagis, Missam sine ministro respondente celebrent, eam ubivis locorum, tanquam ab Ecclesiæ traditione & Apostolicis Constitutionibus abhorrentem mandamus, sub gravissima pœna arbitrio Nostro infligenda omninò abrogari, & eandem hoc Nostro decreto sancimus esse abrogatam.

c. hoc quoque de consecrat dist 1.

Masculi sint non fœminæ.

§. 2. Cum minister in Missis adhibendus debeat esse mas non mulier nulla prorsus fœmina cujusvis ætatis, aut conditionis nec sanctimonialis quidem in Monasterii sui Ecclesia, Sacrificanti ministret, aut Clerici Sacerdoti Sacris operanti Ecclesiæ nomine respondentis officium usurpet; nec Sacerdos ullus eam admittat; sed potiùs abstineat à Sacrificio, aut si gravior Sacri faciendi necessitas urgeat, sibi ipsi Sacerdos ministret & respondeat; Satius enim est sine ministro, quàm fœmina ad Altare respondente & urceolos porrigente, &c. celebrare. Tanti est fœminam abesse à Sacrificio, etiam Religiosam

c Sacratas dist. 23, c inhibendum §. prohibendum de cohabitat. Cleric. Statutâ Sifridi Archiepisc. Colon. cap. 1. pag 35 col. 1 §. nec. Mulier.

Ministrorum habitus & actio.

§. 3. Dum Missa in quacunque Civitatis vel Archidiœcesis Nostræ Ecclesia, Subdiacono vel Diacono Ministrantibus, cantatur, sacro Subdiaconatus vel Diaconatus Ordine insigniti de-

ti, debitâ Clericali Tonſurâ, ſacriſque veſtibus juxta Ordinem quique ſuum ab aliis ſint diſtincti, nec unquam à Sacerdote, cui inſerviunt, ne quidem ut Chorum cantu juvent, recedant ſed ad finem Sacrificii eidem ad Altare aſſiſtant, aut ſi Celebrans ſedeat, hinc inde utrumque ejus latus conſidentes claudant. Aſſiſtant autem locis & modo in Rubricis Miſſalis Romani vel Cæremoniali Epiſcoporum præſcriptis, cum omni vultus maturitate, modeſtia morum, & gravitate, ut ne ſe invicem quidem, niſi miniſterii duntaxat ſui causâ, multò minùs alios aut Clericos aut Laicos vagis & curioſis oculis vel aſpiciant vel alloquantur. Si quis autem in hoc vel diſceſſu ab Altari, vel alio quovis modo peccaverit, ab Eccleſiarum Prælatis, Decanis, & Superioribus, quorum eſt hujuſmodi exceſſus & culpas corrigere, ſeverè pro ratione delicti, juxta deceſſoris Noſtri Sifridi Archiepiſcopi Colonienſis Statuta puniatur; acriùs tamen quàm mitiùs, ut pœna unius cæteri faciliùs emendentur.

c. hoc quoque de conſecrat. diſt. 1. Statuta Conradi Archiepiſcopi Colon. c. 7 pag. 11. & 12. ſub fin. Concil. Provinc. Colonien. Sub Henrico Archiepiſcopo Colon. cap. 11. pag. 87. Statuta Guilielmi Archiepiſc. Colon. §. 15. pag. 151 & Friderici Archiepiſcopi Colon. cap. 45. pag. 215. col. 2. & ſequen Concil. Provinc. Colon. ſub Hermanno 5. poſt. 3. cap. 27. pag. 362. col. 2.

CAPUT X.

Officia Dominicalia propria retinenda in Sacrificio.

§. 1. CVm ſancta Mater Eccleſia Catholica Apoſtolica Romana, Spiritus ſancti inſtinctu non ſine gravi & juſta ratione ſingulis Dominicis & Feſtis diebus, ſingula ac peculiaria aſſignaverit officia, mos ille admodum eſt improbandus, quem imperitia cantus, ac librorum defectus in his partibus genuit, nempè quod diebus Dominicis inter Feſtum Paſchæ

chæ & Pentecostes, omisso proprio Dominicæ diei officio, Missa diei Resurrectionis Dominicæ: & à festo Pentecostes usque ad Adventum Domini alternis vicibus, vel de Sanctissima Trinitate, vel de sancto Spiritu canetur; indeque fiat, ut ex frequenti & nimia repetitione Divina vilescant Officia, ac præcipitatâ quadam cantandi consuetudine, magnâ vocum confusione, magis astantes offendant, quàm voce ac tono gravi ad dolorem peccatorum & amorem Dei permoveant. Ad tollendam hanc corruptelam, omnibus ac singulis Ecclesiarum Civitatis & Archidiœcesis Nostræ Abbatibus, Præpositis, Archidiaconis, Decanis tam Collegialibus, quàm Ruralibus, aliisque Prælatis, Pastoribus, Vice-Pastoribus, Superioribus, Rectoribus, Cantoribus, Custodibus, Ludimagistris, & aliis quibuscunque, quorum est eam emendare & abolere, in virtute sanctæ obedientiæ præcipimus, ut non obstante contraria fundatione, institutione, consuetudine etiam immemorabili, deinceps Dominicis & Festis diebus Sacrum summum fiat de Officio, quod occurrit, neque ejus loco Missæ votivæ, aut pro defunctis peragantur: ita ut Missæ quotidianæ reliquo diei Officio respondeat per annum, & ferialibus vacantibus non aliud quàm proprium illius diei Dominicæ Officium, quod in illam septimanam ac diem incideret, curent decantandum; Rubricas etiam, si, quæ fortè in quibusdam Missalibus aut libris ordinem solennium Missarum servandum præscribentibus, huic mandato contrariæ reperiantur, ex hujus decreti Nostri sententia ac voluntate quamprimùm expungant & corrigant: ita ut in dicendis vel cantandis Missis servetur ordo Breviarii; ac proinde Missa quotidiè, præ-

præsertim verò diebus Dominicis, cum dicti Officio conveniat; Missæ autem votivæ, quæ pro Sacerdotis pierate quocunque die, excepto Dominico, per hebdomadam, quando Festum duplex non occurrit, dici possunt, passim sine justa causa non legantur.

c.2, de celebrat. Missæ Concil. Provinc. Colon. sub Hermanno 5. part. 2. cap. 16. pag. 352.

Hostia in Sacro.

§. 2. Celebraturi Missam, nullâ aliâ, quàm majori Hostia utantur: & quia intelleximus quosdam Sacerdotes ex crassa ignorantia unicam duntaxat Hostiam, quam imponant Monstrantiæ seu Hierothecæ consecrare, veteri, quæ in ea fuit, in Sacrificio consumpta; ad integritatem autem Sacrificii, Oblatio, Consecratio, & ejusdem Corporis & Sanguinis sumptio pertineant, ideò ad conservandam Sacrosancti Missæ Sacrificii integritatem, districtè mandamus, ut quotiescunque erit Hostia, quæ Monstrantiæ imponatur, consecranda, Sacerdos celebraturus duas majores Hostias consecret, alteram ut sumat, & alteram Hierothecæ sive Monstrantiæ imponat; licet enim idem planè Corpus Domini Hostia nuper & nunc consecrata contineat, non tamen eædem sunt utriusque species.

c. relatum de consecr. dist. 2.

Eius in Monstrantia exposita usus.

§. 3. Vetus verò Hostia à Celebrante exempta ex Monstrantia seu Hierotheca, vel statim cum ea, quam ipsemet consecravit, Hostia, vel in ipsum Calicem, si auræ humiditate elanguat, injecta, cum Sanguine, vel certè (quod satiùs est) post sumptum Sanguinem Christi, antequam se abluat, sumatur, vel seponatur, à Celebraturo sequenti die modo jam dicto consumenda. Extra octavam Festi Corporis Christi, qua durante eadem Hostia poterit in

Monstrantia sive Hierotheca remanens postridie diei octavæ similiter consumi: Hierotheca autem, durante dictâ octavâ collocetur in Tabernaculo Sacratissimi Sacramenti; quod si ejus non sit capax, extrahatur sacra Hostia, & in Ciborium, Calicem, seu Pixidem reponatur; nunquam verò dicta Hierotheca seu Monstrantia cum sacra Hostia in armarium, Sacristiam, vel alium locum minùs decentem, vel non satis munitum referatur.

Vinum ad consecrandum adhibendum.

§. 4. Ex Concilii Florentini definitione constat Materiam Sanguinis Christi esse vinum verum naturale de vite, aquâ modicissimâ, & nullis aliis permixtum liquoribus; ideò quod ad Sacrificium adhibetur sit incorruptum, purum, ac tanto dignum mysterio, & singulis ut minimùm octiduis renovetur, ne acescat; cui ulla alia liquida misceri sub indeprecabili pœna arbitraria vetamus: neque vino Rhenano Hispanicum temperetur, neque Hispanicum unquam in Missa usurpetur; nam experientia docuit hisce in regionibus, ejus nomine, sæpè liquorem è melle vel aromatibus confectum & decoctum accipi & distrahi, de quo infrà redibit dicendi locus.

Eugenii 4. Papæ constit. 9. § 12. Bullarii tom. 1. Conc. Trid. sess. 22. de Sacrificio Missæ cap. 7. infrà part. 3. titul. 9. cap. 3. §. 6.

Mustum cavendum in sacris.

§. 5. Gravis porrò seu mortalis violatio reverentiæ censetur, in musto seu vino ex uvis recens expresso, idque propter ejus impuritatem, extra necessitatem, consecrare; proindè mandamus omnem omninò consuetudinem, si in aliqua Ecclesia adhuc vigeat, quâ uvarum primitiæ in Calicem expressæ, certo anni die consecrantur, abrogari.

c. cum omne crimen in medio de consecrat. dist. 2.

Genuflexio ſacerdotis.

§. 6. Quoties Sacerdos ex præſcripto Miſſalis aut libri Ritualis genuflectet, non ſolùm leviter incurvet ea, ſed ut adorantes Deum vivum & verum *in Spiritu & veritate* decet, profundiſſimè uſque ad terram ſeſe in dextrum genu demittat, ut internam animi ſui demiſſionem & adorationem externa hac reverentia Deo omnipotenti profiteatur.

Ioan. cap. 4. verſ. 23.

Partes Sacri per cantum vel organa non mutilandæ.

§. 7. Curent quoque Abbates, Præpoſiti, Archidiaconi, Decani tam Collegiales, quàm Rurales, cæteriſque Prælati, Paſtores, Vice-Paſtores, & alii Eccleſiarum quarumcunque Superiores, quò ab offenſa Dei ſeſe liberent, ut, quæ à Provincialibus Conciliis ſub deceſſoribus Noſtris Hermanno V. & Adolpho III. Archiepiſcopis Colonienſibus præſcripta ſũt, tandem aliquando poſt longam & diuturnam negligentiam exequantur, & tam in ſummæ, quàm defunctorum Miſſæ Sacrificio, Epiſtola, Symbolum fidei, Præfatio, & Oratio Dominica, tanquam præcipuæ eorum, quæ in Miſſa canuntur, partes, Cantorum & Organorum concentu non mutilentur aut inrercipiantur, multò minùs reliquum decantandæ Miſſæ Sacrificium proximè poſt elevatam Hoſtiam lectione ſubmiſſâ abſolvatur, ſed omnia ex integro diſtinctè, & articulatè canantur. Nihil organo vel vocali cantui laſcivum aut impurum admiſceatur, omnisque cantus aliud non, quàm quod audientium corda in Deum rapere queat, perſonet. Invigilent quoque, ne concentus organi, vel nimia properatione, vel brevitate ſua Majeſtati cultus Divini aliquid detrahat, aut Clero & aſtanti populo nimia protractione tædium aut faſtidium

dium pariat; sed cantu Gregoriano reverenter ac graviter servato, paulò diutiùs extendatur.

Concil. Provinc. col. sub Herm. 5. part. 2. cap. 15. pag. 352. Statuta Adolphi 3. Archiepiscopi Colon. titul. quæ in Eccles. Cathidral. & Colleg. inquiri debeant. §. 48. & 51. pag. 481. & titul quæ à Decanis tam colleg quàm Rural. & Pastoribus inquiri debeant § 25. pag 485.

In Canone Missæ secreto vel alia parte nihil mutandum & addendũ.

§. 8. Singuli etiam cujuscunque status, gradus, conditionis, & dignitatis Sacerdotes, sacrum Missæ Canonem secretò pronuncient: nihilque in eo seu alia Missæ parte etiàm vel pietatis vel reverentiæ causa, unquam addant, demant, minuant, omittant, vel quocunque alio modo immutent, neque orationes, preces, sequentias, aut Missas novas, à sede Apostolica non approbatas, dicant, sed illas duntaxat, quæ Missali Romano, ac proprijs sanctorum Patronorum Civitatis & Archidiœcesis Nostræ Colonienſis Sacris ad Ritum Missalis Romani recognitis continentur.

Concil. Trid sess. 22. de sacrif. Miss cap. 4. Statuta Adolphi 3. Archiepiscopi Colon. §. 22. pag. 485 suprà hoc tit. cap. §. 1. & seq. & hoc cap. §. 11.

Pulsus ad elevationem gravis adhibeatur

§. 9. Elevato Corpore & Sanguine Domini nostri Iesu Christi, in sacrosancto Missæ sacrificio, pulsu tintinnabuli omnes Christi fideles adorandi Dei in Sacramento verè & reipsa præsentis admoneantur, curentque Pastores Vicepastores, Concionatores, Catechistæ, Ludimagistri, aliique puerorum Sacrificantibus inservientium instructores, ut pulsus ille nihil puerilis insolentiæ, vel gesticulationis præseferat, sed soni sui gravitate & modestia Majestati rei præsentis congruens decorem & attentionem eidem conciliet.

Statuta Sifridi Archiepiscopi Colon. cap. 7. col. 2. pag. 19. sub fin.

§ 10. Ve

§.10. Vt pijs omnibus ad recolendam mortis & amoris Chriſti memoriam totus animus, omneſque vires internæ, nullo eos ſono diſtrahente, penitus intendantur in omni ſummæ Miſſæ ſacrificio altiſſimum, dum Corpus & Sanguis Domini noſtri Ieſu Chriſti elevatur, in canticis & organis ſervetur ſilentium, omneſque quotquot in Templo Clerici, cantores, organœdi, cuſtodes reperiuntur, cum ijs, qui organorum folles agunt, in genua procumbant, ac facie & animo ad ſanctiſſimum Sacramentum converſi, Deum omni pietate adorent & venerentur: quem in finem, tùm quoque campanæ majoris pulſu ſignum detur.

Reverentia & ſilentium ſummum tunc obſervetur.

Statuta Adolphi 3 Archiepiſcopi Colon. tit. qua in Eccleſiis Catedral & Colleg. inquiri debeant §. 52 pag. 481.

§.11. Sub gravi pœna arbitraria vetamus, ne in ulla deinceps Miſſa pro defunctis ſequentia *Audi Tellus* ſed ejus loco *Dies iræ Dies illa* juxta Miſſalis Romani & novi Colonienſis præſcriptum canatur. Neque ſub finem Miſſæ defunctorum à quovis Sacerdote ulla detur benedictio, cùm ea ſit nota ſolennitatis; atque in Miſſalis Rubricis expreſsè prohibeatur. In reliquis verò nemo qualiſcunque Sacerdos Sacrificans, quantumvis Prælatus, niſi jus mitræ & baculi Paſtoralis habuerit, & in Pontificalibus celebret, in fine Miſſæ tam privatæ quàm ſolennis ſæpiùs quàm ſemel benedicat populum, ſed unicum producens ſignum crucis dicat *Pater* † *& Filius & Spiritus ſanctus*, ad differentiam Epiſcopi, qui ter populum benedicit. Item nunquam ab Altari, niſi Evangelio S. Ioannis plenè lecto, recedat, neque dicto S. Ioannis Evangelio, vel alio, ſi dicendum fuerit, ullam det populo benedictionem, ſed eodem, quo ad Altare venerit modo, recedat ad ſacra-

Sequentia Audi Tellus benedictio ſub finem Miſſæ & receſſus ab Altari.

sacrarium, sicut expressé Rubricis Missalis Romani & novi Colonienſis præscribitur.

Rubricæ generales Missal. Rom tit. ritus celebrandi Missam cap 3. n.1. in fin. & Missalis novi Col cap. 3. n. 4. & cap. 12. num 6.

De duplicanda Missa & Missis siccis.

§.12. Extra casus jure permissos, & absque expressa licentia a Nobis Nostrove Vicario in spiritualibus Generali scripto obtenta, nullus uno die duas Missas celebret, neque quisquam ad duas Missas una die celebrandas consuetudinem, sine Apostolica vel Archiepiscopali Nostra facultate sibi posse suffragari opinetur. Eadem lege Missas siccas, in quibus Corpus Domini nec consecratur nec sumitur, interdicimus, ac penitus abrogamus. Ideoque qui deinceps Missam hujusmodi siccam, vel ad purificandam Mulierem, vel celebrandum conjugium, vel ullum quempiam finem celebraverit, Nostram non effugiet animadversionem.

c. relatum de consecr. dist. 2. c. sufficit de consecr. dist. 1. c. consuluisti de Missæ celebratione Statuta Sifridi Archiepisc. Colon. cap. 1 pag. 36. col 1. §. nullus dicat. Henrici Archiepiscopi Colon. § 12. pag. 102. VValrami Archiepiscopi cap. 7. pag. 114.

Discursus, excursus & fabulæ in cœmeterio sub sacro tollendæ.

§.13. Vbi is abusus irrepsit, ut pluribus simul in eodem Templo in diversis Altaribus sacrificantibus, populus ab uno Altari ad aliud, dum sacra elevatur Hostia, discurrat, vel ad orationem Dominicam aut pacem datam, perinde ac si absolutum esset sacrificium, Templo egrediatur, planè antiquandus est: caveatur etiam ne in Templis vel cœmeterijs, sub divino præsertim officio, donec ad Hostiæ elevationem signum datur, deambuletur, neque sacra Hostia eminùs conspecta intermissa tantisper inambulatio resumatur, sub gravi pœna

in

in Parochiali ſynodo Noſtrove arbitrio certò infligenda. Ne populus etiam ſub divino diſtrahatur, pauperes per Eccleſias Eleëmoſinas petere non permittantur.

Infrà part. hāc 2. tit. 12. cap. 7. §. 1.

§. 14. Cùm inter Chriſtianæ religionis Myſteria, Miſſa magnam contineat populi Chriſtiani eruditionem, ut populus eorum, quæ in ea leguntur & fiunt, ex ſacris tum verbis, tum Sacrificantis actibus notitiam ac guſtum aliquem delibet, injungimus Parochis, Vice-Parochis & quibuſcunque aliis Sacerdotibus, ut eam clarè, diſtinctè & articulatè legant ad Offertorium uſque, Secreta verò & Canon ſubmiſsè recitetur, reliqua verò quæ ad ſacrum Miſſæ officium pertinent, eadem pietate, attentione, animiq́ue moderatione pronuncientur, nec nimiū præcipites, aut æquo tardiores ſint, majorem boni exempli & decori, quàm proprii affectus rationem ſemper habeant.

Gravis & diſtincta ſit ſacrorum verborum pronunciatio.

ſuprà hoc tit. cap. 3. §. 4. Conc Trid. ſeſſ. 22 de Sacrificio Miſſæ cap. 5.

§. 15. Quod ut honeſtè fiat, ſemihoræ circiter ſpatium Miſſis communibus neceſſarium eſſe & ſufficere arbitramur, nihilq́; in eis etiam pietatis gratia, unquam addatur vel mutetur. Inſuper Sacerdotes eam in vultu, moribus & geſtibus modeſtiam, in Cæremoniis peragēdis gravitatum inter Sacrificandum præſeferant, quam tanti Myſterie Majeſtas requirit. Nec abs re fuerit eadem Myſteria & eorum Cæremonias quādoq́; rudi populo ſub Concione explicare, ut intellectus eorundem notitia imbutus, voluntatē ad majorem pietatem inclinet, cū ignoti nulla ſit cupido, præſertim, cū hoc tēpore pro-

Semihoræ ſpatium ad Miſſam communem ſufficit.

prodierint libelli, qui sat accuratè omnes Sacrificii Cæremonias, & crucis toties formandæ rationes exposuerint. Cæterùm ne hoc Nostrũ mandatum aut per ignorantiam violetur, aut secuturis annis intermoriatur, volumus, ut typis editum, in cujusque Ecclesiæ sacristia, aliovè patenti atque convenienti loco affixum, omnium intrantium & exeuntium oculis exponatur. In quorum fidem præsentes literas propriâ manu Nostrâ subscriptas sigilli Nostri appressione jussimus communiri. Datæ in Oppido Nostro Bonnæ die 24. Septembris 1631.

Maximilianus Henricus
Archiepiscopus Colonienſis

Loco † Sigilli

Vt. Georgius Paulus Stravius Episcopũs Ioppensis & Suffraganeus Colonienſis.

B. Holbeeck,
Secretarius.

Villitor
de Sacris
Ritibus

Th
2237

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN